



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4 A
35





ANTVERPIÆ
Apud Iohan. Meursium *1645*





IOAN·MARIA·CARD·GABRIELLIVS

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

FABIO CHISIO,

Epiſcopo Neritonenſi, Sedis Apoſtolicæ, cum poteſtate legati à latere, Nuncio Colonienſi,

IO. BAPTISTA MASCVLVS


è Societate IESV

Εὐπράττειν.



Vm primum ſuperioribus annis temperata eſt mea Lyra, Præſul Illuſtriſſime, obtulit ſe univerſè poëtarum choro tangendam. Poſtea, cum iterum cuperet audiri, diu quæſivit choragum ipſum, cui ſe ſingillatim dicaret. Te, Fabi, tandem invenit: ſerò quidem; ſed nimirum teſtudo eſt. Quo verecundior ad te accedit; quem geminæ, cum pietatis tum ingenii, alæ celerem & ſublimem

 ferunt.

ferunt. Et ſane cujus illa manu tractari malit, quam ejus, quem virtutum concentus nobilem facit? Cui reſpondet alter diſciplinarum. Nam & à pueritia ſemper tibi pietas cordi fuit; & orbem illum bonarum artium, quam ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, naviter confeciſti. Teſtis eſt publicus ille doctiſſimorum Virorum conſeſſus, qui te, præcipuas ſapientiæ theſes ſtrenue tuentem, admiratus eſt, ac tanto cum plauſu triumphantem excepit. Iam tunc Roma te per honorum gradus excitare ad faſtigium gloriæ conſtituit. Quæſitor es factus, hoc eſt, veræ religionis tutor, in urbe Melitenſi; in ea, inquam, urbe, quæ ceterarum urbium decora, & collectum habet nobilitatis florem. Cœperunt Equites præclariſſimi minus delectari Melitenſi roſa, cum tui pudoris, quem ætate florenti vultus ipſe præ ſe

fert,

fert, purpuram viderunt; ac dignam putarunt, quæ Romano quoque murice fiat aliquando dibapha. Inter hæc Neritonenſis urbis honeſtiſſimis infulis Præſul ornatus, ad ejus muneris adminiſtrationem te accingebas; cum ecce amplum virtuti theatrum ſe obtulit. Germania te ad ſe accerſivit; ut germanam illam ac ſinceram indolem animi tui deguſtaret. Conſediſti Coloniæ; Nuncii, ut vocant, honorificentiſſimo munere. Qua prudentia, & induſtria, quam alto conſilio, omnia adminiſtras! Quanta apud principes ac dynaſtas gratia flores! Quorum nemo eſt, qui, cum in te ſapientiam atque virtutem tam alte eminere videat, non te ad celſius culmen, & votis & plauſibus vocet. Iam quid ego tuam in noſtrum Ordinem benevolentiam ſtudiumqne commemorem? Devinxiſti omnes humaniſſimis mo-

ribus tuis. Misisti nuper ad me fœtum ingenii tui, illustrem cumprimis ac splendidum; qui tuam erga me benevolentiam testatur peculiarem. Sed hæc, & cetera longe præstantiora, brevi epistola nec debent claudi, nec possunt. Ad Lyram meam redeo. Ambiunt, ac percupiunt ejus chordæ temperari, ac tangi à te, tanquam odéi magistro. Versaris istic inter arma bellica; ubi quisque sibi ab ictu timet. At mea Lyra hoc maxime expetit, ut ipsam ferias. Vale.

IN-

INDEX LIBRORVM.

Numeri sunt omnes Horatiani, itemque stylus.

Correctis aliorum typorum mendis.

TYPOGRAPHVS
ad Lectorem.

Tertia est hæc editio Lyricorum, sive Odarum P. Ioannis Baptistæ Masculi è Societate Iesu, quæ ab ipso recognitæ sunt. Accedunt ad faciliorem odarum intelligentiam argumenta brevia, licet interdum illæ more ac iure suo artificiose digredi soleant. Ad hæc visum est in margine loca Horatiana apponere, ut sunt Homerica apud Maronem. Profitetur quidem Auctor se non nisi Horatl lingua perpetuò loqui, sed sæpe tamen peculiari ratione ad Ideas quoque illius respiciens formavit suas, quamquam non serviliter, & coactè, sed liberè. Si materiam carminis consideres, nihil tam dissimile, quippe opponuntur incestis casta; sin autem stylum, & quædam quasi lineamenta dicendi, ita eum referre, totumque mira similitudine exprimere, atque exscribere studet, ut alterum in altero mireris effictum. Operæ pretium igitur visum est, ea carmina, in quibus præter Horatianam elegantiam, adscitus est etiam pudor, aliis mandare typis, ut poetica laurus verè dici possit innuba. Cupie-

bam

bam præponere operi, ut fit, quædam de ipso elogia è viris doctis conscripta, sive quæ variis in libris inveniuntur impressa, sive quæ per epistolas apud Auctorem ipsum latent, sed renuit omnino, nihilque extorquere potui præter hanc vocem: Non esse tubam adhibendam ad præconium lyræ.



CASTO
LYRICORVM
POETARVM
CHORO.

IOANNES BAPTISTA MASCVLVS,

Ἐυλυειζειν.

EST illa vulgi, vel indocti, vel improbi vetus opinio, erroris potius, quàm veritatis nixa fibris, ut putet, carmen, niſi à Venere, venuſtatem habere nullam, nequè, quod caſtum ſit, idem ad aures accidere poſſe jucundum. Evellam ego ex animis opinionem tam inſitam, tam vetuſtã? difficile id quidem, propterea quod poëtæ fere omnes tùm maximè dicendo ſplendent, cum amore veſano ardent; tùm acutiſſimi ſunt, cum tela Cupidinis acuunt; tùm acerrimo videntur ingenio, cum hoc indulget genio. Ergo nulla ſuavitas erit poëtæ niſi delibuta veneno? nulli horti niſi Adonidis? nulla voluptas niſi aſperſa cœno?

cœno? non afficiet animum, nisi etiam inficiat? at hæc in Epicuri gurgustiis disputent, non in Muséo: Musarum nos pudentium choris intersumus casti. vidit hoc Theocritus vel in Cyclope lynceus, cum dixit, nihil hominem ab omni illecebra revocare magis, quàm Musarum cantum: hinc illa non magis decora fabulis, quàm significatione vera; Sirenes blandas illas voluptatum conciliatriculas à Musis cantu fuisse superatas, pennis etiam evulsis, ex quibus corollam sibi Musæ confecerint, ut ait Crobylus: neque enim tùm tantum motus ingeniorum celeres sunt, ut isti putant, cùm voluptate rapiuntur, sed cum in eam invehuntur. quarè qui poësim ad minus honesta deflexit, is non artis, sed vitio notetur suo: Itaquè meum omne studium, atque operam aliquandiù contuli, ut Lyricis ea tantum exprimerem, quæ ad Christianam pietatem, religionemque pertinent: operæ pretium me facturum ratus, si hujusmodi argumentis consecrarem labores meos. atque utinam illud etiam assequi possem, quod de se gloriatur in Argonautis Orpheus, cum Leuco-

siam

ſiam inſulam prætervéheretur, ubi cantu inſidiabantur Sirenes, ſe noluiſſe ad arborem alligari, neq; aures obduxiſſe cera, ut ab Vlyſſe, ac ſociis factum eſt, ſed Deorum laudes ſe canere cœpiſſe; tum illas repentè obmutuiſſe, imo deſperatione actas muſica inſtrumenta in mare projeciſſe, quibus ibidem perdiderant multos; utinam, inquam, ea vis eſſet meorum carminum, ea ſuavitas, ut adoleſcentes quæcunq; languidis liquefaciunt voluptatibus, prorſus abjicerent; quod certè impetrare deberet eadẽ, quæ Orphei, materies de rebus divinis, hoc æquius, quòd fabellas affingimus nullas. accedebat exemplum ſanctiſſimorum hominum, inter quos olim Ephrem ille Syrus à Theodoreto laudatur, qui ad ejus ſæculi corruptelas reprimendas, & ad hæreſes profligandas, de rebus divinis ſacras odas conſcripſerit, Lacedæmoniorum, ut ita dicam, more, qui ante pugnam Muſis ſibi conciliatis, lyra, & cantu hoſtem provocabant. contendit hoc idem noſtra propè ætate Arias Montanus, ſed non ita felici Marte, nec ea celſitudine carminis, qua nominis; & quamquam

non

non ignoro versari me in re difficili, propterea quod sacræ, divinæquè res non tam accersito verborum utuntur ornatu, quàm sententiarum suo quasi succo, & sanguine vigent, conabor quidem certe, ne sordidis istis rerum æstimatoribus sola pietas Christiana omnibus Latii ornamentis destituta videatur; atquè in primis vobis si minus carmen ipsum, quod rei dignitatem assequi nequeat, certè materiam gratissimam fore spero, qui ab impuris poëtarum illecebris abhorretis, integritatis apprimè studiosi, pudoris amantissimi. Ceterum Lyristæ suo jure Lyrica sibi deposcebant, quibus, ut est in veteri adagio, ἀνεῳγμέναι Μουσῶν θύραι. quare non dubito quin aures libenter sitis meæ quoque Polyhymniæ faciles daturi; si tamen hoc tempore inter bellicas tubas, quibus obstrepitur, audiri poterit sonus imbellis lyræ.

SCRI-

SCRIPTORIS INSTITVTVM.

DIsputat apud Platonem Socrates cum Ione Rhapsodo, quid causæ sit, quod alii alio Poëta delectentur, & quasi eodem, quo ille furore, hoc est celeri quodam ingenii motu, concitentur. Homeri carmina in theatro Io canebat ad lyram, atque ita erat affectus, ut alium æquè repræsentare, atque hunc, scitè neque vellet, neque posset; Hesiodum enim, aut aliū quempiam si exprimeret, oscitabat protinùs atque torpebat, licet cum Homero aliquando materia convenirent; hoc uno statim excitabatur, atque ardebat: id Socrates ad divinam quandam, arcanam-

namque vim refert; quemadmodum enim lapis ille, quem magnetem Euripides, Herculeum alii nominant, non modo ferreum trahit annulum; ſed vim quoq; ipſi tribuit, qua id efficere poſſit circa alios ſerie quadam invicem apta pendentes, ita planè à Muſa Poëtam divino inſtinctu concitari, qui deinde alios ſuo quaſi furore afflet; quod idem affirmat accidere pictori cuipiam, qui ea tantum, quæ Polygnotus finxit, exprimat, & ſtatuario qui ea, quæ Dædalus Metionius, aut Epius Panopei filius, aut Theodorus Samius, vel alius quiſpiam ſculpſit, ad unguem imitetur. quorſum tandem hæc? nempe ut conſilii mei rationem exponam, ita enim me affecit Horatius, &

quo-

quodammodo afflavit, ut cum à Venere discesseris, nihil venustius Venusini Poëtæ carmine semper sit visum, ac licet in Epopœia Maronem qui expresserit, is concitari videatur ardentius, tamen Odæ libentius legi à nonnullis solent, quàm Epicum carmen, & quia breviores, & quia materies in multis non una delectat. Age verò quæ Horatiani carminis dignitas, ac majestas? quæ venustas, & gratia? quæ sententiarum gravitas? quæ verborum pondera? qui lepos? ut propterea in laude ponendi minimè videantur ii, qui odas alio, quam ejus stylo scribunt, etiamsi à Latio non abhorreant. nequè vero mihi probantur qui novo dicendi genere neminem ex veteribus magistris & class-

& claſſicis ſapientiæ ducibus ſequuntur. audiant Pliniũ in epiſtola ad Severum, in qua laudat Paulum quendam Paſſienum his verbis: In literis veteres æmulatur, exprimit; reddit Propertiũ in primis, à quo genus ducit, vera ſoboles, eòq; ſimilima illi, in quo ille præcipuus; nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in elegis illum alterũ effingi putes; ſi quid in ſtudiis cognatio valet, hujus propinquus. *Ego igitur hunc ipſũ ſequor, hunc exprimo, ad ejus odarum ideas tanquã ad exemplaria ut plurimùm meas formo, ipſius numeris tantùm utor, & inprimis uſurpo eũ, in quo ille crebrior, quia grãdior atq; plenior, & mihi accommodatior ad*

divina. eandem item materiam aliquando vestire sententiis, ac verbis aliis nõ dubitavi, ut ille sæpè, in quo inique carpitur à Scaligero; nec veritus sum in verbis ipsis quicquid ejus ostri atq; purpuræ, quod splendorem videretur accersere, data opera carmini meo attexere in loco: fuit semper hic mos doctissimorum virorum. Iustinus quidẽ Philosophus, ac martyr advertit, Homerum præstantissimum Poëtarũ Orphei poesim adeo sibi proposuisse imitandam, ut in Iliade primum versum ab Orphei poematis principio sumpserit, mutato tantù Cereris frugiferæ nomine in Pelidæ Achillis. habes similia de Marone apud Macrobium, qui existimat, hunc esse fructum legendi, æmulari

ea

ea quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquẽ usum tuum opportuna derivatione convertere; quod & nostri tam inter se, quam à Græcis, & Græcorũ excellentes inter se sæpe fecerunt. *Et quoniam hujusmodi poesis sublime quoddam dicendi genus postulat, atque à vulgo remotum, ac prope Græcanicum, non videbor obscurus iis, qui in Horatiana lyra tractanda sunt ob peritiam clari. Iam opus edo ad vigiles lucernas; ut cũ eodẽ Flacco loquar, lucubratum oleo illo Demosthenico, quo certè nitidum fortasse carmen apparebit, si minus illustre; difficillimum quippe fuit sive sacris, sive Philosophicis argumentis, quæ ex im-*

polito sermone rubiginem quandam contraxerant, nitorem dare. Porrò librorum nonnulli unum argumentum continent, alii plura, quorum alterum ad copiam, ubertatemq; consulto retuli, alterum ad voluptatem, quam varietas conciliabit. At ô laborem, inquies, parvo repensum, qui paucos habiturus sit studiosos, eosque tantum qui eodem, ut ais, afflentur Horatio. quotus quisq; tandem is erit? quin aliquando parias aliquid, quod jamdiu parturiebas de sacrorum interpretatione librorum; id plane gratius hoc maximè tempore, & verò gravius fuerit. audio. sed nimirum volui rebus tantis quasi præcinere fidibus, ne si fortè inter sapientiæ quæsitissimas epulas lyram

recu-

recuſarem, ut olim Themiſtocles, haberer vel indoctior, vel agreſtior. ita verò exprimam Horatium, ut me non modò Chriſtianum, ſed etiam religioſum virum eſſe meminerim; & quod ſacræ leges ſinebant, mulierem barbaram hac conditione in familiam cooptari poſſe, ut ungues præciderentur, id ex Adamantii ſententia ſic interpretor, ut Ethnicã ſapientiam mihi adſciſcam, demptis, atque præciſis iis, quæ inſtar unguium lædere, atque exulcerare poſſint. quamquam hoc etiam contendi, ut eodem Phœbo, qui & Poeticæ, & Medicæ facultati præeſt, auſpice, ex Horatianis illecebris quaſi venenis ſalubrem adoleſcentiæ maxime conficiam medicinam, nec non Muſeum,

quod prope jam Augiæ stabulum reddiderunt Poetæ, quà licet repurgem, & ut loquitur Lucianus in Pseudomante εἰ καὶ μὴ πᾶσαν, ἀλλ' εἰς δύναμίν γε τὴν ἐμαυτοῦ ἀνακαθαρήσασθαι πειράσομαι. Nectamen Herculis laudem mihi arrogo, sed in re simili laboro. Ceterum nolim ingratæ fortasse accidant ad cujuspiam religiosiores aures quædam voces, ut fatum pro morte, vel pro serie rerum à Deo pendentium, Ceres pro frumento, Pallas pro sapientia, & si quæ sunt aliæ à Poetis potius, quam à Theologis usurpatæ, quæ a me parcius, ac pudentius, nec nisi necessario poetarum more dicentur; neque enim tam hymnos in templis, quã odas in Helicone canendas scribo; quamquam & Mercurii,

*curii, & Hyadum, atq; Pleja-
dum, & Arcturi, & Orionis, &
Cocyti meminerunt sacræ literæ,
quibus nostras plane subjicimus,
immò verò etiam cornu Amal-
theæ, ita enim Iobi filia apud 70
interpretes appellatur, quæ apud
nos Cornustibii; adeo non semper
à fabula abhorrere debemus, cum
est in loco. Incurrent aliquando
religionis hostes, nominabuntur
à me Saxones, Sicambri, Batavi,
Septemtriones, nō quod tota gens,
ac natio sit infensa, sed ii tantum,
qui infesti sunt veritati, quos ta-
men brevi nobiscum fœdus initu-
ros esse confido: neq; enim propo-
sitū mihi est intendere nervos ad
vulnus, sed chordas ad cantū, &
plectrum potius seu lyricum arcū
exercere, quam bellicum. Alludo
nonnun-*

nonnunquam ad ſententiam aliquam ex inſtrumento ſacro; neque id ago ut interpres verbis addictus, quod vetant Romanæ leges; ſed ut religioſus Poeta, quod ſuadet pietas; quod autem divinæ lyræ commiſerim non eſt audaciæ tribuendum; feci exemplo ſanctiſſimorum virorum, idq; prudenter & moderate. & ſane plerique ex hymnis, quos ſtatis horis ritè canimus, divinam vim celebrant, atque naturam; neque verò ille rerum omnium conditor, & molitor Deus abhorret à lyra, qui, ut ait Philo, mundi quaſi præcentor eſt, & chori Magiſter.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV
LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER I.

De Sapientia rerum humanarum, ac divinarum cum virtute tractanda.

Πρεοιμιον

HErmathenam in Academiis olim constitui solitam accepimus; qnod simulacrum fuit Palladis, atq; Mercurii ex uno lapide; tanta enim inter eos cognatio sapientiæ fuisse putabatur, ut separari minimè deberent: næ veteres illi consultius fecissent, si cum Pallade, vel Mercurio Virtutem, Pietatemque junxissent; hujusmodi certè in Christianorum Academiis spirantia simulacra visuntur, ità bellè posita, ut totum Ecclesiæ quasi gymnasium verissimè ἡλίς ἀγάλματα esse videatur: neque enim altius exaggerata doctrina

pietatis, religionisque luminibus obstruit, sed splendoris addit plurimum. libet nunc eos, qui hæc secuti sunt, carmine prosequi. sentio quam difficili verser in re, nullum enim apud Lyricos adhuc hujusmodi vestigium vidi. illustrandæ sunt obscuriores philosophiæ sententiæ, mitigandæ asperitates; denique horridiori, incultiorique doctrinæ lepor, ac nitor afferendus. sed licuit inter agrestes Faunos Sileno philosophari.

Namque canebat, uti magnum per inane coactã
Semina, terrarumq; animæque, marisq; fuissent,
Et liquidi simul ignis, ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit Orbis:

Hæc, & reliqua ex intima sapientia depromere potuit Silenus ebrius, & ad calamum aptare: quidni ego sobrius eadem possim ad lyram? Iopas item ille in convivio ipso Didonis cum cithara philosophatur; nobis etiam in Symposio sapientum liceat de more circumferre lyram. neque verò hæc altiora sunt, quam quo Lyricus aspirare audeat: licet admirari ore profundo ruentem Pindarum in rebus maximis: quid autem Horatio sublimius cum adsurgit ad divina?


Quid

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus ? qui res hominum , ac Deorum,
Qui mare , ac terras variisque mundum
Temperat horis ;
Vnde nil majus generatur ipso ,
Nec viget quicquam, simile, aut secundum.

Scilicet licuit hæc canere Poëtæ ex Epicuri hara , quanto æquius nobis, qui ad aram sanctissimi , castissimique Numinis quotidie facimus ? & quamquam nullum in hoc genere vidi Lyricum Poëtam , qui se in hujusmodi asperrima disceptatricis sapientiæ dumeta conjiceret, tamen, ut cum Lucretio loquar,

Iuvat integros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores :

Det igitur auspicium nostro carmini Vrbanus V I I I, olim Musarum , nunc summus omnium Sacerdos.



AD VRBANVM VIII. PONTIF. MAX.

Tanto munere dignus ostenditur.

ODE I.

Vrbane, honestum cui caput infulis
Regina primis Religio sacrat,
Orbemque tradit temperare
Mentis ad arbitrium magistra;
Te Vaticanis Præside sedibus
Lustralis anni vertitur orbita,
Pars expiati pura sæcli,
Luce nova populis renidens:
Te, te parentem visere gestiens
Effusus orbis confluit, unius
Spectator Urbani, pedesque
Purpureos tibi rite lambit,
Miratus instar grande supercili,
Et prænitentem sideribus patrem,
Frontemque vittatam beati
Flaminis, atque apicem tiaræ.
Te Roma mirans se sibi prætulit
Major videri; nec veterem stupet
Famamque fumumque, & minora
Magnanimûm monumenta avorum:
Honore cunctos ut prior occupas,
Virtus & addit vim sapientiæ,
Seu Graja Pallas cudit acre
Ingenium, & resonans Lycéum,
Seu jussa Regum, juraque Cæsarum,
Morumque normas, Pontificum ac tenes

De-

Decreta, legesque, & statuta
Mente capax memori retractas.
Quin & Camœna nobilis implicas
Virente lauro tempora, Apollini
Cognatus, Ascrais & aptas
Plectra modis praitura sceptris.
Nunc ô ter amplis auctus honoribus
Consurge: Virtus quidlibet aggredi
Fœcunda laudum suadet; ausis
Macte novis operose rerum:
Vrbes reponunt se tibi Feltrides,
Et debita arces jure Quiritium
Prisco; neque Alecto rebelles
Ausa (nefas) agitare mentes:
Metaurus urnam detulit auream,
Novoque ritu jam sine sanguine
Cum Tybride icit fœdus, ultro
Roboreo duce roborante;
Lucemque virtus duxit ab Vmbria
Clarata factis: te Senogallia
Hæredem, & agnoscit Pisaurum;
Cuncta tibi tua Fors resignat.
Si te silenti concilio Patres
Legêre, nomen si tacita tuum
Movetur urna, at fama dicet
Postgenitis lituo canoro
Vocalis; illis ex adytis venit
Honos merenti castus, & integer
Æqui, nec eblandita flectit
Ambitio arbitrium Senatus.
Par gliscit altis consiliis vigor,
Par cura menti te citat ardua;

Pulchros per Alcidæ labores
Curre doli, scelerumque vindex:
Sunt monstra terris, sunt Erymanthii
Apri; veneno fœta renascitur
Exetra Lernes belluosæ,
Et Nemee recreat leones.
Calvinus amens, & malè Martius
Insultat hostes, jam redeunt Mimas,
Et Rhætus audax ire contra
Numina, Geryonesque turpes.
Quid monstra dicam cetera, vulnerum
Memor? calescit lividus Adria
De cæde, probrosumque pontum
Pervolitant avidæ Liburnæ.
Et illa tellus, illa cruoribus
Peruncta sacris, nobilis ac Dei
Vestigiis, heu, squalet hostis
Serva diu Solyme protervi.
Compone motus, bellaque regia
Auctor tuorum pacis, & otii,
Ferrumque dignos verte in usus
Odrysias domiturus iras.
Iam venit ætas ultima nominis,
Gentisque Mauræ; jam trahitur gravè
Scythes catenatus per Vrbem,
Vt Superûm haud dubiè annuentum.
Invade Martem, pilaque commove,
Ianique portas cardine demove,
Ne parce victis, ac trophæum
Siste Arabum mediis ruinis.
Præfers Gradivo nomina dextero;
Te facta tangunt illius, illius

Urbani, acuta cæde quondam
Qui Scythicum minuit furorem,
Te Bellicosus Sarmata suscitat
Ad arma, victor Sarmata, nobili
Qui strage nuper Bosporanis
Incubuit, trepidumque Maurum
Ferro fatigavit, propè & impulit
Gravi ruina non reparabile
Regnum, sed urgebit premendo,
Quod ruere instituit, te agente.
Gemens Tyrannus pergama tandiu
Regnata dixit. Non mihi Thracia
Splendebit ultra Luna cornu,
Luna minor tenuata vultum,
Cruenta malas; non equitabitur
Impune campis: de nece barbara
Fatale nomen ducit orbis
Ille potens Latialis Heros;
Seu pervicaces fulmine dejicit
Vindex ad Orcum; fœdere seu pio
Regum timendorum recenset
Mille rates, equitumque turmas,
Horrendus hosti: protinus emicat
Collatus orbis; Fortis & Allobrox,
Et Hesperus pugnax, & acris
Gallia, Sauromataque duri:
Fucos inertes quale ferox apum
Examen urget; Romulei patris
Gentile signum nosco, & omen
Plus nimio Phrygiæ sinistrum.

AD CALLIOPEN.

Abhorrere se dicit ab obscœnitate carminis.

ODE II. *Hor. l. 1. od. 1.*

Mater Calliope pulchrior ingenI
Casti, vatis honos, cui minus aliger
Idæus calamum sufficit improbum,
Adsis, nec comitem sic Pudor abneget;
Hinc absistat Amor leno, marinaque
Non tangenda Venus, Syrtis amantium.
Et Myrrha geniti fabula dulcior
Nequicquam, juvenum spe male credula;
Pastori Phrygio nec bene fiditur;
Testes Iliaci vos cineres, domus
Atque ardens Priami, Pergamaque ardua
Flammis Argolici diruta Vlyssei.
Est ut Castalia plurimus integras
Confundat Styge aquas; ambrosiam neque
Puro rore nitens, Phœbe, laves comam.
Artes ut Paphias cudere nobilem
Vatem dedecet? & ludere carmina
Scribendo nimium lubrica perlegi?
Castas Aonides quippe vetat, vetat
Insanire Pudor turpibus orgiis,
Quondam Bassaridum more procacium,
Incestosque movet dissociabiles.
Tu me virgineis Calliope parens
Immisces choreis; me pudor, & decens
Sacrat; mî latices pulchrior elicit
Permessi sonipes, nec decus inficit.
Tu ne casta mihi, Pieri, ne bona

Desis,

Desis, tange fides pollice candido,
Mecum & lude pia seria barbito.

AD FRANCISCVM TOLETVM CARD.

Multiplicem ejus scientiam laudat.

ODE III.

IBere Doctor, quem Latii potens
Ornavit ostro, Pallade nobilem,
Normamque Lojolæ parentis
Consilio haud humili sequutum.
O macte fama, dum sapientiæ
Consultus alti niteris ingenI
Pennis, & auras Dædalêis
Certior auspiciis inerras,
Nec usquam aberras, nil latêt artium
Zenonis; omni tu laqueo rudem
Tironem acutus fraudulenti
Ingenii per iniqua solvis:
Quandoque veri ludit imagine
Vis differendi fallere lubrica,
Diffingis argumenta, & astus
Detegis artificis dolosi;
Sic captiosis denique mens plagis
Evadit extricata, neque improbi
Lusere Soritæ; atque Thesei
Certus iter regis omne filo.
Natura seu te detinet intimè,
Alteque vestigantem, & origines
Causasque, fontes atque rerum,
Quaque satu, serieque manant:

Dicis capaci Materiam ſinu,
Formaſque nexas fœdere mutuo;
Caſuſque natales, & ortus
Occiduos revocans viciſſim.
Alterna mundi fata volubilis
Natura condit lege reciproca,
Unius incumbens ruinæ
Rurſus amat reparare damna.
Seu tu beato ſedulus otio
Oracla dictis grandibus expedis,
Et fidus interpres latebram
Haud dubiè retegis docendo:
Tu cæca mentis crimina conſciæ
Oſtendis, & diſcrimina ſingulis
Tonis, reſolvens complicatam
Conſilio potiore mentem.
Sic Purpuratum te bene Principem
Minerva vidit, maximus imperI
Regnator olim Vaticani
Detulit ut trabeam merenti.

AD CÆSAREM BARONIUM CARD.

Laudat annales eccleſiaſticos ab eo ſcriptos.

ODE IV.

O Blivioſi temporis unicè
Vindex; Quirini nominis integra
Seu jura, & ortus, ſive narras
Progeniem melioris ævi.
Antiqua reddens; tu ſapientia
Sagax amico digeris ordine

Tot lustra sæclorum, tot orbes
Difficili serie retexens.
Obscura promis, quæque silentii
Caliginosa nocte recondidit
Iners vetustas: vita per te,
Spiritus atque redit sepultæ
Iam pene virtuti; & decus, & vigor
Redintegratur, tu simul inclytis
Factis per annales celébres,
Facta senum revocas avorum.
Non fabuloso carmine detinent
Bacchove Theba, aut Delos Apolline
Clara; nec Idæorum acutis
Creta Iovis memoranda sistris.
Non Roma quondam Marte sub impio
Iactata, primùm quam cruor inficit
Fraternus, alternis & iris
Civis agit malè parricida
Gens, quæ superbis aucta nepotibus
Conata ferro vertere patriam,
Flammaque vastare, in suorum
Perniciem exacuitque tela.
Quàm digna votis materies tuis
Subest? honestis fœta laboribus,
Laudumque dives, sive Graja,
Seu Latia potior Minerva.
Est digna merces; jure Quiritium
Fulges parenti proxime, Punico
Insignis ostro, teque dicit

AD ROBERTUM BELLARM. CARD.

Laudat ejus Scripta adversus Hæreticos.

ODE V. *l.3.od.3.l.4.od.5.*

O Clare magni nominis omine,
Qui bella præfers, roboris integer,
Roberte, Lojolæ propago,
Purpureæ decus atque Romæ.
Tu pervicaces Hussiadas domas,
Tu vincis Oecolampadis igneam
Fortis Chimæram, concitatum
Tu Carolostadium coërces,
Durosque frangens Saxonas atteris.
Quin & Batâvus te stupuit ducem
Belli fatigantem superbas
Ingenii levioris arces
Gravi ruina; fulmen ut occupat
Stridens per auras alta Ceraunia;
Cessave qualis rupe torrens,
Aufidus aut violens cucurrit.
Frustra protervus Porphyrion stetit
Adversum, & audax turba sodalium
Contra reluctando laborans
Indigetes pepulisse Cælo,
Ædes, & aras tollere pertinax,
Sacrosque ritus, libaque Flaminum.
Quid uspiam casti relictum?
Quid sceleris, maculæque purum?
Eheu malorum Relligio satis
Flevit, laborans milite transfuga:

In-

Infensa Romæ sat Megæra
Impia, sat furiavit Vrbes.
Fœcunda monstri detumet Eumenis
Tandem, Latinis addita legibus;
Turpesque diffugere Phocæ,
Scylla neque irrequieta latrat.
Post te Melancthon perfidus erigi
Non ausus; hostis nec furor impulit
Vastata dementi ruina
Templa, voluminibusque flamma.
Te, te ferocem vividus ingenI
Demisit ardor, quo citat impigra
Virtus, & inter tela firmum
Propositi dat habere robur.
Dixitque tandem cum gemitu fremens
Alecto: Inani prælia suscitem
Labore confundens tumultus
Pannonias trepide per oras
Bicornem ad Istrum, perque Trionibus
Regnata septem Pergama Martiæ
Germaniæ; vanoque Pluton
Numine nos inimicet Vrbi.
Acres Britannos fingere distuli
Meos ad usus, damnaque Romulæ:
Cedunt, & iram pertinacem
Protinus ingenio redonant
Docentis. aris ille recentibus
Dapale Numen protulit, & probra
Defendit iracunda, vindex
Dedecorum, Latio parenti.

Et ritè Campanæ dat Vrbi
Iura pater, lituique gestat
Insigne; honores quin propè tangere
Visus supremos, sistere & arduo
Throno Quirinali Sacerdos;
Sed refugit bene tecta Virtus.

AD MVCIVM VITELLESCVM Præpositum Generalem Soc. IESV,

Offert ei pudicum carmen.

ODE VI.

Vitelliorum sanguis, amabile
Decus tuorum, tu quoque Lesbio
Dicère plectro notus alti
Consilii, ingenuaque mentis;
Fies parentum, non sine Numine,
Lojolidûm tu sextus, & efficax
Domare nutu temperabis
Arbitrii faciles habenas.
Virtus merentem te tulit ardua
Sublimè penna; namque animus tibi
Rerumque prudens, atque honesti
Acrior, & sine fraude vindex.
Acuta Pallas vim simul ingenI
Procudit, & mentem sapientibus
Curis fatigans erudivit
Egregium Latii magistrum.
Seu matris almæ vim genitabilem
Inquiris, & casus reparabiles:
Cælestium seu tu peritus
Haud tenui studio elaboras.

Eubœa

Eubœa Siren Nestoris æmulum
Audivit olim, nectaris uberem,
Dei retractantem te acuta
Vulnera vepris, acuta ferri.
Manabat ingens copia dulcium
Ad plenum amorum; mi quoque lacrymæ
Sinum rigarunt, atque malas
Luminibus geminis caducæ.
Paullum severis cura negotiis
Soluta desit; desine muneris
Laboriosi, teque puris
Tinge volens Heliconis undis.
Non qua sodalis cumque Cupidinis
Mollivit arte insanus Anacreon,
Ludam Camœna, aut plectra tangam
Æoliæ male tuta Sapphûs;
Te casta Clio carminis integra
Intaminatis mulcet amoribus
Vocalis, ô tutela vatum,
Et citharæ decus innocentis.
Pindi recessu tu Polyhymniam
Deducis alto; tu tacitam jubes,
Ignobili tectam & latebra
Posse frui potiore luce.

AD FRANCISCUM SVAREZ,

Singulos fere ejus librorum tomos commendat.

ODE VII.

HIspane Vesper, Lucifer ingenI,
Francisce, vives morte perennior,

Moles

Moles & evincent superba
Mempheos interitura nunquam
Effata mentis, quaque recolligis
Ingens ter amplo pectore, Nereo
Capacior, mortalis ultra
Sortis opes trepidare doctus.
O qua per auras vis citat, orbita
Non usitata? quis vigor insolens?
Cura ut fatigatum profundis
Consiliis animum resorbent
Æterna tractantem, ardua in omnia
Nitentem? inoffensa sapientia,
Certaque consultum Minerva,
Non sine & Vrania Magistra?
Hac supra Olympi sustulit ignei
Sublime culmen; Numinis unius
Vim simplicem, par, ac ter ingens
Rite doces, sine fraude, Numen.
Seu non remistis mentibus abnegas
Mortale corpus pondere pragravi;
Ictuque primo vim sciendi
Alite Mercurio priorem
Dicis. vel orbem Vespere digeris
Sexto, atque limi principis expedis
Ortumque natalemque Eoum,
Et celerem memoras ruinam.
Ducis choreas tu quoque nobiles
Virtutum, & addis munia singulis,
Aut monstra damnas criminosa
Mentis, & ingenii procacis.
Legesque mundi, juraque provida,
Et certa rerum fœdera callidus

Edicis, & regnata cuncta
Vnius arbitrio potenti.
Parentis uno præsidio ferox
Vitabo fraudes, & laqueis caput
Benè explicabo, sic pudenda
Labis ero, scelerisque purus.
Vis illa constans pectora roborat;
Vt turpe bellum livida commovet
Megæra, vires martiales
Adjicit, atque operi adlaborat;
Sive illa menti illabitur intime
Iure hospitali concilians Deum,
Fulmenque diffingit trisulcum,
Et decus, & speciem refingit.
Fides latenti credula Numini
Narratur, alba candida tænia;
Comes sorori Spes virescit,
Atque Agape micat acre flamma.
Regina cultum Relligio tenet;
Venale sacrum carpis, & impiò
Quæstu repensum; te magistro
Vana superstitio haud renidet;
Rerumque voti reddere victimam
Iubes, proterva fallere nec fide
Perjurum; & usum te docente
Ritè Deum didici apprecandi.
Constricta vinclis brachia liberis
Dicis ter arcens; seu libet arbitro
Parere morum, seu Dionen
Mittere, Mygdoniamve gazam,
Tum jura narras ardua Cantabri;
Dicis vovendi certaque fœdera, &

B. *Iura-*

Iurata magni in jussa patris
Castra novas obitura terras.
Quò tendis ultra fas hominum? Deo
Mortale adaptas corpus, & integri
Florem pudoris non recisum
Vngue doces sine labe matris;
Scribetur infans quicquid amabilis
Gessit, virenti aut vere puertiæ,
Necisve damnatus cruenta,
Dives & exuviis Averni.
Septena Nili tu velut ostia
Pandis, recentem seu lavis alveo
Prolem, recondis sive Numen
Sub Cerere, & vacuo Lyæo.
Seu cordis acri vulnere diluis,
Fletuque crimen non iterabile, &
Multa soluta; meque Averno
Iudicis arbitrium resolvit.
Seu tu severo fulmine luridum
Actos ad Orcum, nigraque Tartara
Secernis, arcet quos ab aris
Relligio, prohibetque mensa:
Parvosque fœtus mens tua parturit
Non parte parva laudis. & ardua
Cura; laboratasque opellas
Arte pari, variaque cudis.
Te Vaticanas Palladis ægide
Arces tuentem Mulciber haud potis
Terrere; clarabit libellum
Flamma magis decorum ministra.
Tu Dux, & auctor dirigis unicè
Consulta mentis, callidus Adria

For-

Formidolosi, Bosporique
Difficilis, dubiaque Syrtis.
Reposta rerum tu penetralia
Subis; nec altè quærere distulit
Mens Vnius, Veri, Bonique
Semina, Materie relicta.
Qua lege res, & qua vice rettulit
Natura, ut obtutu velut alteram
Respectet, ortu fœderata,
Seu studio haud leviore mentis.
Te magna Virtus Pallada fœdere
Iungens Olympo dedicat igneo;
Spansque latè fama nomen
Post-genitis memorare amabit.
Nil arroganti plurima defluit
Merces ab alto: scilicet ingenI
Pudentis ardor splendet uni,
Et decorant bene docta mores.

IN FIRMICVM GENETHLIACVM,

Horoscopi vanitas indicatur.


ODE VIII.

Liber, & castus dominabor astris;
Nec Iovem novi, dominumque Martem:
Me notat frustra metuendus acri
Scorpius igni.
Parce fallaces nimium tueri
Siderum vultus, & inane fœdus;
Multa quid vana jacularis arte
Non sine risu?

Mitte sectari leviora, debes
Ni levem ludum vacuis amicis:
Sape divinum male te futuri
Omina fallent:
Quid mihi ingratis inimica signis
Hora natalis referat, vetabo
Cautus inquiras, minimum malignis
Credulus astris:
Si movens nutu Pater efficaci
Cuncta, dat Cœlum trepidare motu,
Quid tremo frustra trepida astra, nulli
Prompta minari?
Ille molitor Deus, ille mundi
Temperans clavum bene me tuetur
Destinans ultro sibi; quicquid alta
Mente paravit,
Quicquid æterna placitum perennat
Lege, disponat bonus auctor æqui:
Omnis hinc large mihi vis bonorum, &
Copia manat.
Illius tantum fruar explicato
Ore, nil viso cupide adlaboro;
Me vel infestis agat usque rebus
Damna ferentem;
PræsidI multum pietas, habetque
Cœlitum tutela vigil, malisque
Eripit nil jam metuentem acerba
Vulnera sortis:
Eximit curas brevioris ævi
Altior fatis animosa Virtus
Evolans, clavos animoque fixos
Sponte refigit.

Nescit

Nescit obstringi violenter are
Vincta libertas adamante nullo,
Et sui semper generosa juris
Frena gubernat.
Pone Saturni male sub tyranno
ArbitrI, non me violens tenebis
Stella, vesani neque me Leonis
Ira lacesset.
MercurI stella minus obligabor
Callidus caca tegere arte iniqua
Furta; devotum neque sidus arcet
Cypris amantem.
Si quid insanit Babylon, vel amens
Cura Chaldai, mihi lex Quirini
Abnegat, sacrique minatur atrox
Fulminis iras.
Astra nequicquam Genitor corusca
Lucis accendit radiis, & auro,
Si tamen demens hebetavit error
Lumina vatum.
Illa me Cœli species decora
Efferat Cœlum super; illa quondam
Dulcè Lojolam tenet, atque terris
Evocat imis.
Astra quid culpo, male cui Cupido
Imperat? nil hac potuere contra,
Vimque Gradivi premit, insequenti ob-
nixa voluntas.
Innocens ScorpI jubar ardet, insons
Stella Saturni, Venus ipsa noxa
Splendet immunis; feror ipse praceps
In scelus ultrò:



Nulla me densis onerat catenis
Servitus; quondam mihi & undam, & ignem
Obtulit prudens Pater in legentis
Libera vota.
Astra sublimi pede cui premenda,
Turpè quid tantum veneror pavendo?
Ipse volvendis mihi pronus astris
Serviat æther.

AD PERERIUM,

Laudat de Materia philosophantem.

ODE IX.

TE magna mater Materies sinu
Complexa formas detinet, & gravi
Cura fatigat vis perennans
Casibus, interitura nunquam.
Vetusta quicquid sæcula demovent
Non omne prorsus deperit, & manet
In stirpe virtus, atque fibra.
Nititur incolumi superstes.
Hinc restitutum reddidit alterum
Natura prudens, fataque temperans
Resarcit, alternaque vita
Res hominum reparat caducas.
Hinc & per herbas ludere roscidas,
Gestire & arvis caprea cernitur;
Virescit arbos, & novale
Gramineo juvenescit ostro.
Suos nec unquam perdidit intimè
Natura fœtus illacrymabilis
Noverca, natos ceu peremit
Colchis, amat recreare mitis;

Vitaque

Vitaque certum rite vicarium
Ponit; recenti sic redimit necem
Fœtura, & hanc extinxe letho,
Hanc utero retulisse gaudet:
Vnius ortus protinus obfuit
Fatalis uni; Tyndaridæ velut
Reciproca se morte reddunt,
Inque vices reparant cadendo.
Mortale corpus desine, luridam
Mundique facem mente revolvere,
Informe rerum seu cadaver,
Digne animi potiore cura.

AD CLAVIUM,

De Sphæra scribentem laudat.

ODE X.

QVo mentis altæ te vigor incitat
Ferens per auras? insolitos docet
Vis ingenI nisus volúcrem,
Icariæ sine fraude pennæ.
Quò? quò meatu tendis iter novo?
Cœlum recurrens, sideraque impiger
Ales pererras; bruta tellus
Ecce procul tibi jam recedit,
Vallesque campique, & juga montium;
Te, te Bootes evehit aureo
Sublime curru; noctiluca
Luna choros tibi ducit uni.
Omnis profunda mente reconditur
Natura, quicquid sublatet intime;
Origines, rerumque fontes,
Certa fides patuitque veri.

Cubile Divûm tendis in arduum,
Secure casus; & radio polum,
Terrasque describens jacentes;
Cuncta capax animo resorbes.
Atlantis instar (credite posteri)
Axes Olympi vertice lucido
Torquebat heros, & rotundos
Ille humeris agitavit orbes.
Casta Minerva Relligio soror
Æternat astris. jam pede proteris
Septemque regnatos Triones,
Ac trepidos Aquilonis ignes.
Te nota poscunt sidera patrio
Cognata cœlo; suetus ut orbitas,
Cursusque labentum tueri
Purpureo Superûm theatro.

AD ÆGIDIVM AVGVSTINIANVM

De potentia Obedientiali, ut vocant, differentem.

ODE XI.

PArata rerum fœdera Principi
Parere magno dicis, & omnia
Illum potenti temperantem
Imperio, facilique motu.
Prævertis Euros ingenio prior,
Ut tu pererrans imaque, & ardua
Mundi, retractas vim obsequendi
Ingenitam, & penitus repostam.
Quicquid feraci pectore protulit
Natura, rerum subdidit arbitro;

Natale

Natale primis atque cunis
Obsequium didicere cuncta.
Nil pervicaci duritia ferox
Obnititur : nil restitit impie
Pugnax volenti, vel proterve
Frena terens ; dominosque fasces
Nil non veretur : sponte domabilis
Natura se dat, protinus impigra
Servire Divo, nec reluctans
Ferre jugum, & docilis cieri.
Non jura Cœlum distuht exequi
Præscripta quondam ; sidera devio
Edicta non rupere cursu :
Nec vaga plus nimio Diana,
Phœbusvè pulchra luce superbiens ;
Seu jussus olim sistere concitas,
Iubente Nunida, quadrigas.,
Seu trepido remeare curru
Testante vitam. singula gestiunt
Sequi imperantem Numine libero ;
Incontumaci cuncta parent
Ingenio, & minimum rebelli.
Sui parentis nil temerè abnegat
Parere jussis ; profuit omnia
Regnata tractari, regique
Unius imperio moventis:
Nil certa vis non efficiet potens
Regina rerum ; non erit irritum
Quicquam, vel infectum redibit
Quod placitum semel est Tonanti.
Vis illa jussit mira facessere
Non usitata lege potentiæ,

Præterque vires, annuente
Rite Deo, ac super efferente.
Sic sæpe & ultra fas trepidat minor
Natura; sed vi præstitit insita
Se tantùm, ut instrumentum, inaudax
Iusque sibi, decus arrogare
Fabrique magni; surda nec abnuit,
Quandoque rerum vult Pater ardua
Decreta maturare, paret
Ausa licet potiora forte:
Vis namque forti Numine roborat
Infirmiorem; nec tamen addidit
Impune quicquam, præter altum
Imperium, dominumque nutum.
Sic unda primi criminis eluit
Labem refusam fontibus integris;
Damnumque, natalemque pœnam
Diluit, ac Superis reponit.
Natura jam jam sume superbiam
Quæsitam ab alto, quidlibet efficax
Effingere, ut te cunque firmans
Extulit arbitrium Parentis:
Te tende supra, protinus obsequi
Parata Divo; mollior est tibi
Vis ingenI, nec pervicaci
Consilio violens resistis.

AD MASIVM DOMINICANVM,

De Vniversali natura philosophantem.

ODE XII.

Plenum laboris mente negotium
Tractas : an unum in plurima diditum
Se findat ortu multiforme,
Et titulis, & honore eodem
Denominando. parturit uberem
Imago se se, prodiga vis sui,
Platona quondam fabulosa
Ludere qua potuit figura,
Et larva mentis: si qua fides viro,
Vagata Phœbes orbe sub extimo
Discreta multis una, cunctas
Fundit opes, nec inane desit.
Non ludor omni prorsus imagine,
Mens quippe rerum dum similes notas,
Formasque visu concolores
Perlegit, ambiguosque vultus,
Mire sagacis vi simul ingenI
Tuetur æque par specimen, neque
, Discrimen in rebus, notamve
Dissimilem, propriamque cernit.
Sed mitte tandem sollicitus sequi
Humana; major te Deus excitat
Vnus ter ingens ille, nutu
Non alio, neque jure secto.

AD BARTHOLOMÆVM AMICVM De Relationibus Scribentem.

ODE XIII.

Vices amorum, certaque fœdera
Doces; ut unum rettulit alteri
Natura sollers, quippe mire
Omnia consociare nexu
Amans; parentem seu soboles novo
Tuetur obtutu, & sobolem pater
Luce irretorta; seu notantur
Res simili vice concolores;
Relata quamquam fœdère mutuo
Mensura nunquam respicitur, neque
Amoris alternat gemelli
Iura fides repetita utrinque.
Natura certo parturit ordine,
Effœta tandem gignere desiit,
Vtraque præscriptum haud refertur
Liberius numerosa partu,
Seu verus ordo vinciat intime,
Seu congruentum fœdera nominum
Iungantur, & res apta dici
Verba ferat vacua sub umbra;
Divina spectes: hinc imitabilis
Origo rerum, jure sed impari.
Exemplar ingens exprimendo
Magna minor sine fraude duces.
Quater relatus Numine simplici
Ter maximus se respicit, & vices

Commit-

Committit alternas amoris
Usque Deus genio feraci.
Non ille rebus dirigit infimis
Proclive Numen, sed micat arduus,
Cunctis sic & illibatus effert
Altius, haud humilis referri.

AD TIBERIVM CARAF. PRINCIPEM

De rationis ente, ut vocant, diſputantem.

ODE XIV.

QVid mens inani ludat imagine,
Quid arte cudat dædala fingere,
Ne quære ſollers, & Chimæra
Tolle ſupervacuum laborem.
Fruſtra revincis diſſociabiles
Hircumque Cervumque. abnegat inſolens
Natura, nec jungit jugales
Arbitrio leviore mentis.
Quid monſtra fingis barbara? quæ neque
Nutrix ſub altis educat Africa
Luſtris, nec hydris fœta Lerne,
Horridus aut Erymanthus abdit:
Mens evaganti ſueta licentia
Aptare formas indociles pati
Commune fœdus, fraudulenti
Callida mens opifex laboris.
Sed vis volendi non opus arrogat
Sequax monentis; prævia nam regit
Intelligendo, præque eundo
Mens animi face noctiluca.

Permissa menti ludicra; quæ simul
Insueta junxit fœdera gestiens,
Formasque rerum complicatas
Involüit, simulacra gignit,
Informe spectrum fertilis ingenI;
Fabrum sed orbis fingere nescium
Secernet, immortale inaudax,
Summaque composuisse nostris:
Humana mens, & vis minor arduo
Parente multum discrepat. his age
Obsiste monstris, & renatam
Bellerophon domita Chimæram.
Hircos olentes, & celerem fuga
Cervum, Lycei ludibrium leve,
Omitte sectari haud tenaci
Aucupio, vacuoque præda.

AD THOMAM SANCHEZ,

De matrimonio castè scribentem.

ODE XV.

At non te inerti fama silentio
Diu recondet, nec sapientiæ
Inglorium semper latere
Illa sinet sine luce nomen.
Doctrina fraudis conscia callida,
Pudica virtus nescia criminis
Te, magne Thoma, roborarunt
Consilio metuente falli.
Mirante multum flamine, cui patet
Latebra cordis, pulcher ut integra
Quondam juventæ flore, turpis
Connubii, thalamique damna

Incesta

Incesta nosses providus, & sciens
Doli; neque acris tela Cupidinis,
Artes Dionææ, neque ullæ
Te tacitæ latuere fraudes:
Ceu tela Titan lucidus aureæ
Impune mittit, nec jubar inficit,
Lucemque cœno, perque fœdam
Expedit radios mephitim.
Sic elocuta Naïadum choris
Tristi Cithere. non ego jungere
Conabor impermissa posthac
Gaudia; jam patuere fraudes;
Nec Iuno iniquis nectet amoribus
Nepotem, & unum non bene sanguinem
Miscebit exlex, impudenti
Fœdere, connubiique labe;
Non flamma cor depascet adultera;
Virique constans jam metuet fides
Culpari; amantes ille certis
Legibus edomuit procaces.
Contaminatos abnegat, abnegat
Sancire amores; juraque pronubæ
Fœdare flammæ; vincla damnat,
Et vetitis Hymenæa tædis,
Torosque cæcos, & sine conscio
Consentientum flamine nuptias
Bene auspicante, & rite castis
Ominibus sociante fœdus.
His ille firmat consiliis pius
Auctor pudentes, scilicet in meas,
Natique conjuratus artes,
Dedecorum invidiosus ultor.

Nunc dedicatum sidera patrio
Poscunt Olympo, Pleïadum choro
Canente laudes, & choréas
Vespere non humiles agente.

AD ANTONIVM RVVIVM
De Maceria philosophantem.
ODE XVI.

TE docta clarat porticus abditi
Veri sagacem; patrius Hesperus
Te sæpe miratus ferocem
Palladia pugilem palæstra.
Dum jura mundi certaque fœdera
Sollers retractas; dum tacitos satus,
Fontesque natalesque rerum
Mente nova meditaris ortus;
Res unde promat, quove alat ubere
Natura adaugens, quove cadentia
Humana fatali resolvat
Pulvere, nunc vegetante vita;
Nunc morte inerti cuncta reciprocans.
Versas profundo Materiam sinu;
Complexa formam seu sodalem
Hospitio facilis receptet,
Seu pellat infida, & sociam dolis
Perjura fallat; scilicet hostium
Plerumque conjurata movit
Castra novos agitans tumultus:
Vim multiformem, vim genitabilem,
Stirpemque narras alta ab origine,
Vimque appetentem conjugali
Fœdere consociare formam;

Vitale

Vitale rerum semen, & intumens
Alvo feraci; fœtaque parturit
Rursum potenti vi, & ferendo
Sustinet, elicitamque firmat;
Substans tuetur, ne vacua in leves
Vanescat auras; non animum tamen
Superstitem vita perenni
Ipsa suis opibus reservat.
Natura motu læta reciproco
Humana ludens, perque vices agens
Transmutat incertam recenti
Materiam subeunte forma,
Rerumque vultu; nec tamen omnia
Quæcumque adhærent dissolvet, neque
Pervertet, investemque reddet,
Aut fugiens decus omne vexit
Germana secum, scilicet omnium
Trahens ruinam, ceu gravis Africo
Citata tempestas resorbet
Cuncta ruens, populatque campos;
Divina quin tu mente recolligens
Versas? remiscens nil iterabile,
Concretum & alternante motu,
Nil varium, geminumve nexu.
Natura, vis ac Numinis infimam
Semota longe Materiam abnegat
Adjunxe; simplex, nec bimembre
Usque sibi decus una poscit.
Immunis auctor dissociabili
Componi abhorret re Deus altera;
Intaminata vique pollet
Ipse sibi sua mens, amorque.

Hæc te retentent; ingenium catus
Hac cude digna cote; agitabilem
Vim mentis æternis fatiga
Consiliis, animique curis.

AD CLAVIVM MATHEMATICVM.

Iterum eximiam ejus scientiam laudat.

ODE XVII.

DIcêris heros plus vice simplici,
Lux multiformis quem sapientiæ
Claravit olim dædaleam
Doctæ senis Megarensis artem.
Incerta Cœli jura volubilis,
Insanientum ac fœdera temporum
Tu corrigis, Solisque cursum
Consilio revocans, viasque
Errantis anni. ni bene consulas
Cogens dierum frena licentiæ,
Confusa & indiscreta quondam
Relligio trepidet moveri;
Nec rite fastos, sacraque dividat,
Statosque cultus, inferias Deo
Reddens cadenti, martialem
Sole novo reparante Lunam:
Ipse involutum digeris ordinem
Vindex iniqui temporis unice,
Seu menstruos componis orbes,
Seu vacuas reficis Kalendas.
Quicquid severus Panthoides docet
Tenes, retractans & Babylonias,

Arteſque Chaldæas, viciſsim
Per numeros, ſeriemque ducis.
Deſcribis æquam planitiem; polum
Nunc turbinas; diſcrimina lineis,
Graduſve certos nunc reponis,
Pæne Syracoſio videri
Prior Magiſtro, callidus orbium
Qui temperavit ſidera vitreo
Cælo, Iove emirante, & audax
Conſilium minus approbante.

AD IVRISPERIT. IAM RELIGIOSVM De prædeſtinatione ſolicitum.

Vt divinæ pietati ſe committat, hortatur.

ODE XVIII. *l.3.od.29.*

REmitte curas, eripe te licet
Iuſto timori, quæ Patris abdita
Decreta quondam ſortiare;
Concipe jam meliora latus.
Notas amoris præcipui Pater
Oſtendit; ignem prætulit, & facem
Menti, Chimæra te forenſi
Expediens, vacuoque vulgo.
Vt roſtra prudens deſeris, ac fori
Cæcos tumultus, non ſine litium
Clamore rauco, cum Megæra
Iudicii per iniqua diſcors
Irritat iras. ille ſui propè
Securus eſto, dicere cui licet,
Te pectus ardet, me vel Orco
Si lubeat, Pater, obligato,

Vel astra donato. haud tamen irritum
Quodcumque sanctum est, efficiet, neque
Diffinget, infirmumque reddet
Quod statuens semel arbitratu
Decrevit alto liber, & omnium
Potens, profundi stamine consilI,
Et mentis æternæ latebra,
Seu mihi, sive alii benignus.
Volo beantem; si negat exulem
Inferre Cælo, ferre juvat, neque
Causam involutam, & complicatum
Consilium temere revolvam.
Non est meum, si Manibus impiis,
Vel immerentem me Stygis inserat,
Decurrere arcanos ad ortus,
Et tacitos reserare fontes:
Virtute tantum involvere me libet,
Certoque Matris præsidio piæ:
Tutum per omnes sic procellas
Aura feret, facilesque Divi.
Tu funeratum quis maneat status
Quæris, saluti & sollicitus times,
Quid ingenI consulta magni
Fixa moves? sibi lex volenti est.

AD GASPAREM BORGIAM CARD. Præpositum Neapolit. Regno.

Præstolatur ejus adventum, ipsumque laudat.

ODE XIX.

Prognate magno Borgiade satu
Gaspar, decoro murice nobilis,

Te casta Siren Vaticano
Monte ciet, dominaque Roma.
Acclive semper ne Capitolium,
Et alta patrum tecta Quiritium,
Flavumque contemplere Tybrin,
Et Latii juga septicollis.
Curvata portu brachia porrigit
Complexa Siren, certa quid indoles
Nutrita puro lacte possit
Sub laribus bene culta regum.
Te docta quondam vidit Iberia
Defendere acrem viribus ingenI
Quicquid palestra Martialis
Edidit, edocuitque princeps;
Mirante alumnum Pallade, sic graves
Eludis ictus, spiculaque impiger
Hosti retorques; plausit omne,
Terque sonum crepuit theatrum:
Non parte dempta de solido die
Pugnas, tueri pergama pertinax
Grajum, fatigatosque vicit
Solis equos vigor ille mentis.
O magne princeps fortis Iberiae,
O magne tutor Parthenopes, vides,
Ut maesta Siren te citatum
Sollicito gemitu reposcat?
Quid vota multos longior in dies
Dudum trahebas? quid Prochyte diu?
Cajeta quid te lacte amico
Detinuit male suada nutrix?
O solve tandem pectora civium
Pallente cura. purpureum diem

Desecta vivat, non sine partium
Reciprocantum fœdere: singulas
Natura discrevit, sed una
Compede Amor benefidus arcet:
Hac te tuentem scilicet ardua
Pallas trilici munit ægide,
Et tela declinantem, & ictus
Ingenio bene pertinaci.
Quandoque ab alto fingitur æneus
Globus relabi, immane volubilis
Æquabili planoque vitro,
Imminet: ille gravem ruinam
Frustra timetur ducere lubrico
Casu; jacentem mole neque obruet,
Frangetve crystallum caducus,
Aut violens aget obterendo:
Seu lege certa per medium fluens
Moratur aër haud penetrabilis
Ultra premendo, seu resedit
Protinus, incubuitque puncto
Libratus orbis; planitiem abnegat
Iniquus æquam tangere; respuunt
Utrinque componi uno amoris
Fœdere, nec potuere jungi.
Iam mitte curas, desine sectilis,
Multaque Lerna, & nubibus arduis
Intende mentem, teque Cælo,
Mentibus & superis remisce.
Nil vere junctum; dissociabiles
Odere Divi fœdera partium;
Impune discindi nec ungue
Dividui, metuuntve ferro.

Te jure felix Parthenope stupet
Mirata mentem Principis arduam,
Curas & evinctam tot inter
Imperii, sophiæ solutam.

AD M. ANTONIUM PALUMBUM

De Divina Providentia scribentem.

ODE XXI.

QVem tu fovebis prodiga munerum,
Pronœa virgo, provida posteri,
Quiete multa feriatum
Expedies agitante cura.
Cui tenta nutrix ubera porrigis,
Nil dulce deerit; copia nectaris
Manabit illi; vis bonorum
Affluet; hinc opulenta Virtus,
Hinc alma cornu divite Faustitas
Ditabit illum. prava commodis
Occurris ultro, praque vertis
Omnia consilio sagaci,
Interminatis didita sæculis
Prior tueri; scilicet antea
Nil te futuri, nil fefellit
Textius, ancipitemque lusit
Nutante motu; certa sed occupas
Perennis ortum, nec dubia fide
Pracurris eventura quondam,
Interior subitura verum.
Discernis ortu singula proprio,
Et regna menti libera dividis,

Laxare

Laxare vult, sive illa mavult
Cogere non humiles habenas:
Quicquid triformi maximus ambitu
Excepit orbis, muneris est tui,
Implente te flavas aristas,
Et gravidos vegetante partus:
Comante campos pingere lilio
Gaudes, Idumes regibus inclytis
Flore invidendo, vincit artem,
Et trabea decus omne vincit.
Tu lacte depulsum, ac tacita specu
Nutris Leonem Marmaricum, famem
Placante præda, implumis ac te
Pullus Apollineus reposcit.
Te dante vitæ subsidium, & boni
Ducente venas, haud trepido vigil
Parare in usum multa, parco &
Pauperiem nimium cavere.
Aurum sub arca condere negligens
Æterna prudens pectore colligo;
Curasque mordaces remitto
Sponte; supervacuumque pono
Laborem. amica quod satis est manu
Alumna dulcis sufficis in loco;
Currique tempestiva amanti
Promere divitias repostas.
Regnata Divo machina dædala
Tractatur omnis; nec temere incidunt
Humana, nos nec cæca versant
Fata, Deo minus annuente.
Carere quamvis Principe sedulo
Insanientis dux sapientiæ,

Et fortuito cuncta dicat
Per vacuum sine lege ferri;
Sed clamat ultro, clamat, & omnia
Deum tuentem Numine provido
Natura fert, & voce acuta
Ingeminat, sonitu haud maligno,
Titana testans purpureum coma
Nitente, tollat, seu caput occulat,
Lunamque testans noctilucam
Sidereas choreas agentem.
Ignara falli, puraque lubrica
Pronœa fraudis promovet exitu
Quod ordinavit cumque, promens
Tempore composito sub auras.
Fortunæ abuti nomine dedoces,
Et voce Sortis, Marce, volubilem
Rotamque diffingis, vetasque
Vulgus iners dominam fateri.
Inanis omnis fabula carmine
Signata Grajum; nulla necessitas
Severa fati, nulla Clothûs;
Clavus abest adamante fixus.
Vis illa terras, astraque temperat,
Vis una magni Numinis omnium
Regnat, gubernaclo residens,
Cuncta movens, procul ipsa motu.
Quod si procaces ire licentius
Sinit, neque igni protinus obruit
Tonante, tandem sera telo
Pœna reum graviore franget.
Vidi protervam sæpe superbiam
Iacere turpem, deque tumescere

Fastu

Fastu minore, ultricis iræ
Cum subito intonuere nimbi:
Nunc castus incesto haurit amabiles
Permistus auras: nam mala dirigit
Auctor bonorum, corrigitque
Consilio medicans salubri.
His, Marce, Sortem vocibus increpas,
Fatale nomen. magnus Aquinius
Sic erudivit te profunda
Mente citans operosiorem.
Hæc funeratum te prope reddidit
Votis tuorum, mollibus annuens
Pronœa votis, nec laborat
Parthenope dolitura casum.

AD MOLINAM
De Restitutione scribentem.
ODE XXII.

RESarcienda justitia doces
Modosque legesque; & vitia, & dolos
Narras, & artes fraudulenti
Plus nimio, cupidique vulgi.
Quicquid reducto surpuit angulo,
Reddet malignus duplicis ingenI,
Impune ceu pubes Lacana
De tenero rapere ungue docta,
Cæcoque furto condere callida,
Quicquid negata legibus alea
Lucratus argenti est, reponet
Iuris amans domino priori:
Quid sæpe peccet ludus, & alea
Novi, remordens Numina vocibus

Inomi-

Inominatis; & lacessens
Opprobriis, ubi jacta fallit.
Audax Enyo gentibus intulit
Fœnus dolosum conditionibus
Malis, & extructos acervos
Aggerat alterius ruinis.
Incontinentem mitte cupidinem,
Satis locuples paupere copia
Census paterni; criminosam
Materiem cumulare mitte:
Cogis sinistra scilicet alite,
Discinctus olim quæ male prodiget,
Nepósque perdet, quæ Cytheren
Divitiæ dominam sequentur.
O prisca virtus, ò decus integri
Ævi resignans omnia simplici
Quondam colono, nec recondens
Clavibus, interiore & ære
Opes avitas; nunc sed aheneas
Perrumpit ædes, duraque limina,
Foresque robustas cupido
Alterius spoliis renidens.
Immunis artis turpis, & abstinens
Tolles supinas sideribus manus;
Sic explicabis colla vinclis,
Expedies animumque curis.
Non tu sodalem Numinis aspicis
Demissum ad Orcum? cura pecuniæ
Cervice suspensum peremit,
Atque avidum furiavit auri.
His tu rapaces exagitas minis,
Hoc jure terres, sic timet æquitas

Culpari,

Culpari; & integræ rapinas,
Atque nefas domuere leges.
Solvens iniqui vincula fœnoris
Compescis æquo jure licentiam
Auri, nec impermissa raptim
Quærit opum facilis libido.
Occultiorum callidus artium
Nil elaborat Mercurius doli,
Opes nec ingentes Britannûm
Merce mala reparare tendit.
Iam fraus neque auro miscet adultero
Infame mendax æra, neque inficit
Rubigo natalem nitorem;
Non tacito medicata succo
Stat forma, ferro nec juvat integrum
Abradere aurum: certa fides manet
Pecuniæ, cæcusque Plutus
Mille modis vafer exulavit.
Lances Olympo detulit aureas
Astræa, sæcli principis inferens
Moresque, jusque intaminatum,
Nil domino rapiente dextra.

AD BECANUM

De peccati hæreditarii damnis,

ODE XXIII.

ACerba narras damna parentium
Inobsequentum, primaque funera,
Et poma detestata genti
Terrigenum, miserisque Natis.
Manent superbæ nos etiam vices,
Et jura fati debita posteris:

Cunctas-

Cunctasque cervices suorum
Ipse manu Genitor recidit
Ictu sub uno. pœna prait reum;
Cunas ferétrum protinus occupat;
Et occido vix ortus, urna
Pulvis iners, cinis atque acerbus:
Superbienti proposuit Deus
Edura dicens omnia, dextera
Promptumque fulmen; sed fefellit
Lubrica plus nimio videri
Fatalis arbos. non tibi liberam
Dapem remordes, immerita, parens,
Amore peccas, teque triste in
Exilium impositure, & omnes
Tecum nepotes. ah miser, ah quibus
Devote damnis exitium grave
Ducis tuorum, & criminosam
Perniciem veniens in ævum:
Amica conjux edomuit virum
Blanda illecebris vincere, credula
Colubro; Avernas cudit artes
Pollicitus coluber superbum
Cultum, ac Tonanti par decus, impiè
Mendax; avaram conditionibus
Movitque divinis, ut alti
Numinis ambitiosa ramo
Injussa pomi carperet, & dapem
Succo priorem vipereo: sibi,
Fraudemque commisit malignam
Postgenitis nocitura mater.
Mortem parenti debeo, & improba
Pestem novercæ: quantus adest viro

Sudor?

Sudor? doloris quantum acerbat,
Concipiat, pariatve, matrem?
Impendet, eheu, sæva necessitas,
Et summa vitæ jam brevior vetat
Sperare longam, quæ virescit
Credula quam minimum juventæ.
Vt fugit omnis jam decor, & nitor?
Infusa labes ut mihi candidum
Turpavit, infecitque pectus?
Utque notam Pater immerenti
Impressit informem? haud timuit graves
Minas, severi juraque fœderis
Vxorius pomum remordens,
Patre Deo gravius vetante.
Hinc & rebelles pectore fervido
Deprœliantur non sine turbido
Sensus tumultu, perque miscet
Civica seditio quietum
Regnum pudicæ mentis; inæstuat
Iecurque flamma, quam cinis integis
Dolose, natalemque Martem
(Mira fides) acuunt amores.
Parum voluptas, jam sine Numine,
Comis remulcet; cunctaque pallidus
Timor remiscet cura inani
Nunquam animi trepidi soluta.
Nudus paternis muneribus genus
Iacto parentis frustra, & inutile
Nomen tyranni belluarum,
Regna brevi domino relicta.
Stat usque custos ales acinacem
Instar coruscans fulminis ignei,

Vibrat-

Vibratque fatalem macharam,
Ne temerè propiora tangam.
Sed labem avitam pectore diluit
Integra Nais; nec tamen intimè
Sedata tempestas quievit,
Sæpe mari Cyprio tumente.

AD CAMEROTAM

Ejus doctrinam, & in recognoscendis libris prudentiam laudat.

ODE XXIV.

TE Roma longùm detinet æmula
Sirenis almæ; mitte Quiritium
Ostrumque mirari, ac tiaras,
Et rapidum sine lege Tybrin.
Te pauper undæ poscit amabili
Sebethus urbi, scilicet artium
Multarum, & altæ mentis olim,
Et memor ingenii feracis.
Seu te docentem Materiæ parens
Natura partu principe detinet,
Rerumque perscrutantem operta,
Sive acie potis irrefixa
Lumen tueri Numinis unius
Ter clarum, & altos tendere nubium
Tractus, inaccessique fontis
Ducere non sine laude rivos.
Te nostra misto carmine barbitos
Compellat; atram non ego perbibi
Lethen, nec indictum silebit
Musa sui veterem magistrum,

Du-

Ducemque vatis. non sine te liber
Lucem videbit Palladis arbitro,
Seu scripta censendo notes, seu
Arbitrio potiore plaudas,
Fas inquinatas est tibi judici
Damnare chartas; Mercurialium
Dixit virorum te potentem
Phœbus, & ingenium subegit.

AD GABRIELEM VASQVEZ

De Bapt. sang. seu Martyrio scribent,

ODE XXV.

PVlchrè profusis lota cruoribus,
Et membra puris uvida fontibus
Dicis; minaci ut sponte ferro
Purpureæ patuere venæ.
Est ille labes eluere efficax
Sanguis; momordit si tamen antea
Dolor nocentem, criminosi
Turpe nefas animi recantans;
Idemque partes fluminis integri
Resumit aqua sorte vicarius
Sanguis; colubro quicquid olim
Credula plus nimio noverca
Peccavit exlex, fonte vel elues
Tergente, voto aut fontis amabili,
Vel expiabis tu severo
Vulnere, purpureoque tabo.
Iamiam Deorum signa terunt pede
Mori feroces, thuraque denegant

Indebita, & delubra tradunt
Marte novo leviora tolli:
Sic occidendo, ceu cadit ardua
Cupressus, ultrix quæ simul occupat
Ferro recidentem protervo, &
Sternit agens grave funeratum:
Infracta virtus prodiga sanguinis
Multo recrevit pulchrior, & fides:
Innixa fibris irresectis
Eviruit meliore ramo;
Vmbramquè latè protulit, aspera
Per damna victrix, & per acumina
Securium, latè Quirini
Explicuit pia signa Martis.
Illum tuendo muniit æneo
Thorace Virtus, qui facilis mori
Lacessiit ferrum, Neronum
Ora tuens bene pervicaci
Obtutu, & ausus ludere libero
Impunè verbo: non ferit integrum
Virtutis, omnis barbarorum
Ira ruat nocitura nunquam.
Plerumque nutu frangere fortior
Manes caducos in patriam Styga,
Ditemque misit, sic triumpho
Nobilis, emeritaque lauru.
Hac certa merces sanguine proprio
Repensa: sertum sidere Cretico
Fides adornat dux, ut ultro
Purpureum caput obligavit.

AD HIERONYMUM FASULUM

In xiij primas quæst. Theol. scribent.

ODE XXVI.

Non tu jacentes vilè perambulas
Terras premendo, sed vigor aliger
Per ætheris campos citatum
Evehit, & super alta sistit
Poli haud paventem. Tu sapientiæ
Sublimioris callidus intimum
Cubile vestigas Tonantis,
Et taciti penetrale Cœli.
Veri magistram dicis, & artium
Ducem, sciendi nec decus abnegas,
Ut illa rerum oracla firmat
Teste nihil variante Divo.
Hæc templa Olympi, sideris hic nitor
Deum fatentur; dædalus artifex
Mundi elaboratum decorem
Perpetuis opibus tuetur.
Non ille nectit fœdere sordido
Mortale corpus, Numine candido
Simplex, & impermistus omni
Labe Deus, sociæque partis
Immunis, omni ex parte beatior,
Et aptus ex se, nullius indiget,
Nil desit illi, sed resorbet,

Aut blanda mollivit voluptas,
Aut decorat sine labe honestas.
Summam bonorum scilicet unicè
Ille impiet ingens, namque recolligit
Cunctam redundans; manat inde
Vena boni, sata visque rerum;
Nullus coërcens terminus obstitit;
Inane mundi complet inhospiti,
Et gestit immetatus ultra
Tendere liberiore voto.
Præsens, & extans temperat omnia,
Nec fortuito, fingere seu potens,
Diffingere orbem sive, magno
Arbitrio, facilique nutu.
Quodcunque sanxit Numine provido
Mutare quondam nescius, integer
Dicti, nec æternum refigit
Consilium levius moveri:
Unus perennat dissociabilis
Deo sodali; luserit impiè
Fœcunda monstris quicquid olim
Græcia, cœlituum noverca.
Se mente habendum dulcius exhibet
Divis amicis, non sine lumine
Priore Phœbo; exhausit omnia
Haud animus, simul hausit omnem.
Insigne nomen par Deus occupat
Nemo; sed illi quisquis amicior
Denominatur, nec Deorum
Iura tamen temerè arrogabit.
Hæc mente versus haud humili, sciens
Diviniorum, pluraque parturit

Mox

Mox editura in lucis auras
Vsque ferax, & opima rerum.
Ergo merentem præficit ardua
Pallas Lyceo, dicit & arbitrum
Vmbratilis primum palestræ,
Atque ducem sine fraude mentis.

AD FRANCISCVM ALBERTINVM
De Corollariis Theologicis.
ODE XXVII. *l.4.od.3.*

DEscendat alto colle biverticis
Regina Pindi dicere tibia,
Et voce acuta te, Lycei
Grande decus, celerisque acutum
Mentis. minorem fœdere Pallada,
Magnamque jungens Vraniam catus
Committis ambas, ac tenaci
Nectere amas nova vincla nodo:
Sic per laborem carpis amabilem
Flores Lycei sedulus, Attica
Vt ales, aut Sicana condit
Mella favis operosa textu.
Dicêris alma Palladis uberes
Deduxe fontes, & scatebris novis
Fluenta derivasse princeps,
Culta rigans Sophiæ feracis.
Sic visa Pallas pulchrior, ut decus
Cœlo sacrasti; gratior unicè
Renidet, & rugas reponens
Illa tua juvenescit arte.

Non, si priores Hesperius tenet
Sedes magister, lumen Iberiæ
Franciscus, alter tu latebis
Indecori tacitus sub urna.
Perennat alta mentis opus Pharon
Vincens superbis molibus arduam,
Et ingenI commissa magni
Post genitis monumenta vivent.
Sit apta merces; tempora vinciat
Flore haud caduco Melpomene decens;
Plectroque sacret te canoro,
Dedicet & propria Corolla.

AD GREGORIVM DE VALENTIA De Fide scribentem.

Ingenium Fidei subjiciendum dicit.

ODE XXVIII.

FIdem profunda nocte reconditam
Nitere dicis præter Apollinem,
Dieque lucem. mira narras.
Cæca regit, beat illa Cœlo
Exul, sed altam ducit originem
Cognata Cœlo, nec pudet exulem
Abesse, mortales reponat
Illa tamen, metuente gressu
Errare, tutum stravit iter Deus,
Idemque testis non revocabilis
Sententiarum, turpe falli
Nescius, & sine fraude verax.
Illam sorores nudaque Veritas,
Decens & ultro Religio præit

In-

Intacta cultu; sese & alba
Simplicitas comitem redonat.
Remitto causas quærere, conditam
Verique prædam non trepido male
Sagax odorari, negata
Multa (nefas) jaculatus arte.
Obscura suadens attenuat Fides
Sensum protervum; credulus auribus
Nil obtueri curo, tendens
Certus iter sine luce Phœbi.
Divina rerum nec rapere audeo
Sub divum, & umbris obsita prodere;
Mortali & impermissa Lyncis
More supersedeo tueri,
Simplex fateri Numinis unius
Vim ter verendam; virgine seu Deum
Parente natum, seu latentem
Liba tenent gemina figura:
Sat firmat auspex, roborat & Fides
Fœcunda signi: mira tot indicant
Ostenta, votivaque multa
Conspicuus paries tabella.
Loquentis olim quod semel edidit
Cortina magni Numinis, irritum
Haud vertit, & mentem haud fatigat
Vocibus ambiguis dolosa.
Iam muta Pytho ludicra, Phœbades
Et mente mota, jam tripodes silent,
Quercusque Dodonæa, & ore
Fatidico geminæ columbæ.
Me nec moratur Socraticæ domus
Severus auctor, Panthoidæ aut senis

Arcana, libri vel Panæti, aut
Callidus implicuit Cleanthes:
Oracla vatum provida consulam,
Quinis libellis quicquid & edidit
Admissus arcanis Tonantis
Isacidum, duce nube, Princeps;
Et fama quicquid tradidit integra
Veri, Pelasga puraque fabulæ,
Amplector, & quæ prisca avorum
Relligio docuit nepotes;
Est & Quirini certa fides patris,
Et lex ferentis rite vicaria,
Ignara fraudis, dux & una
Consilii, & facilis magistra.
Te, Petre, magnum dicimus arbitrum
Rerum, potentem juraque Manibus,
Et ferre Cælo; temperantem
Cuncta boni veneramur ultro.
Contaminato non ego debeo
Labem Luthero, nec metuam gravem
Pestem, propinatumque virus
Liberiore mero calenti,
Sensusque turpis purus, & unice
Intactus. O qui vindice devoves
Flamma protervos, frange telo
Hussiadas male pervicaces.

AD MICHAELEM VASQVEZ.

Ejus ingenium, & doctrina laudatur.

ODE XXIX.

QVa te beatis cura laboribus
Retentat? imam post humeros humum
Remittis; ardens jura mundi
Discere deproperat juventas.
Mortalis alte tollere non times
Obtutum acutus; vis animi ferox
Irritat acrem; perque rumpis
Claustra potens nimis arcta cœca
Naturæ. ut ardor v[illegible]dus ingeni
Pervicit, extra mœnia prosilis
Flammantis orbis: cuncta magna
Mens obit, atque animus peragrat.
Hinc mira narras, quid queat assequi
Natale munus, quidve frui nefas
Luce; occidenti quave finis
Hæreat, impositusque limes;
Natura ut ortu res ferat, augeat
Lactans alumnas ubere provido,
Solvat peremptas quòve rursum in
Materiem, & genitale corpus,
Semenque rerum. Numinis unicè
Natura magni principium abnegat
Ævi perennans, nil egena,
Seque suo beat ipsa nutu
Semota damnis, atque cupidinis
Immunis omnis; nec querimoniis

Acerbat iras; dulce cerni
Numen erit mihi, dulce amari.
Hoc nempe voto pectus amabili
Suspirat alto vulnere saucium;
Divum tenebo mox, beatam
Vsque inhians aciem tuendo.

AD IVLIVM CÆSAREM RECVPITVM
De peccato hæreditario scribentem.
ODE XXX.

QVid reum fraudis memoras paternæ
Quid cita mortis rigidas bipennes
Cæsar, objectas misero, retractans
Vulnus acerbum?
Cruda non unguem patitur cicatrix,
Parce mittenti saniem, calenti
Parce adhuc plagæ, nisi te obligandæ
Cura remordet;
Vt nefas unda maculosum, & igni
Numinis puro lavis omne delens,
Sed manent vestigia, sed manent, heu
Semina culpæ.
Testor infestum penitus tumultum
Cordis, & nunquam vacuum duello.
Pectus, ah testor trepidæ negata
Otia menti.
Sic levem differt animum procellæ
Impotens vis; usque adeo minore
Mente turbatur, neque syrtis unda
Mota resedit.

Iure secernis tamen hinc parentem
Virginem; turpis caret una probri
Sordibus quondam, caret ulcerosi
Pectoris astu.
Illa fatali neque funerata
Concidit trunco, neque Ditis atri
Serva, mortales caput inter omnes
Nobilis effert.
Candida certat nova forma Phœbe,
Haud tamen ducit maculam, decentes
Occupat Diva nota nulla malas.
Fata timere
Parcit, & casus hominum recentum,
Negligens, ne anguis regerat timendum
Virus; illum alte pede adurget, acri
Libera morsu.
Principis sacli haud violens procella
Tangit immunem; fugit una cautes
Enatans damnis miserum invidenda haud
Sorte nepotum.
Vindicis magni neque fulmen ardens
Horruit justas acuentis iras:
Patriam pœnamque & acuta partus
Tela fefellit.
Quò pater tendis moriture dextram?
Siste, quid prolem jugulas? Tonantis
Voce sublimi nihil, & minaci
Territe fato.
Carnifex gentis, pater, execrata
Rure jam mœres viduus beato,
Femina culpante vafri colubri
Sibila frustra.

Savit,

Saevit, ut querceta per alta flamma,
Dira contages; secuitque primum
Pensa ferali properata textu
Atropos ungui.
Insolens cymbas Acheronte vectat
Portitor; nigro rogus arsit igni,
Luxit & pulla Libitina myrto,
Sive cupressu.
Pigra tum tellus vacuum colonum
Lusit, incurvos acuitque vepres
Hispida, (infandum) parere & venena
Thessala coepit.
O vetus jactura recentis aevi,
O fugax ver candidioris otI,
O brevi risu genialis aura
Orte Favoni.

AD FRANCISCVM DE MEND.

Cum Davidis questum explanaret de nece Saulis, ac Ionathae Πϱοσωποποιΐα.

ODE XXXI.

CRuenta rupes, & juga Gelboës,
Et saxa tabo lubrica regio,
Et decolores cade colles
Purpurei Solymae tyranni;
Vos dura Diris devoveo juga,
Inominata culmina Gelboës;
Vos usque telis, & rubente
Vsque manu Genitor fatiget.

Non

Non imber usquam jugera perluat.
Obliviosa Pleiade munerum;
Puer nec urna verset aurum,
Aut Hyades pavido colono
Adsint amicæ; non pluvialibus
Madescat Hœdis Africus uvidus,
Nec Cantabræ qui regnat oræ
Cæruleo Capricornus astro.
Haud unquam Orion prodigus imbrium
Maritet agros; nec bibat æquoris
Thaumantis undas, mille ab alta
Concipiens nebula colores
Adversa Phœbo; stent juga torrido
Anhela Cancro; stent sitientia,
Dulcem biberunt quæ cruorem
Immerita madefacta cæde.
Fatiscat æstu terra nocentior,
Non læta verno germine rideat,
Non fœta pomis curvet arbos
Brachia, sollicitosque ramos.
Nec flava dulcis munera Liberi
Expressa querno robore diffluant,
Quæ vos cruento terra prælo
Examines sine lege pressit:
Tellus maligna languida Gelboës
Durescat arvis, fœdaque vastitas
Camporum inhorrescat, situque
Torpeat assiduo vepretum.
Pater revisat non semel herbidum
Hermona, saltu divite pinguium
Frugum, Saronque, & cærulanti
Taboreos beet imbre colles:

Vestris

Vestris aberret finibus; oraque
Vertat recedens immiserabili
Tellure, qua non auspicato
Marte pii cecidere reges,
Cissea proles. prô decus insulæ,
Fractique fasces; tu quoque Ionatha,
Votum breve, heu; luctuque longo
Illacrymande puer sodali.
Vos ite vulgus flebile Virgines,
Scissæque crines, & lacera genas;
Regnumque fatali ruina
Occiduum, nova damna, flete.
Ciete questus; occidit, occidit
Spes una gentis, dulce Saül decus,
Dulces amores; ah peristis
Deliciæ Solymes gemellæ.
Acerbe pulvis, vilior heu cinis,
Injuriosus quem Notus auferet;
Inconditi, indefleti & artus
Præda feris nemorum relicta.
Vos ille, matres, murice perlitas
Tingebat olim divite ab Africa,
Peplumque, pallam & discolorem
Sidonio variabat ostro.
Ardebat auro purpura Lydio,
Et flore cyclas picta croci, haud semel
Incocta Sarranos rubores,
Et Tyrio repetita aheno:
Conchyliato lana superbiit
Infecta fuco, quam Babylonius
Signis rigentem nevit auro;
Et Phrygiis animavit umbris:

Rerumque formis Cea nurus sciens
Acu laboranda chlamydis, simul
Beryllon accendens, & igni
Chrysolithon niveo decorum.
Cervice torquem suetus eburnea,
Et fulgurantem nectere iaspida;
Monile baccatum pyropis
Ferre dabat, variamque cestum.
Quæ prima questu? quæ sequar ultima?
Formosa proles funere patrio
Se junxit unà, nec cadentum
Dividui cecidere amores.
Doctus sagittam tendere Ionathas
Arcu recurvo. non iit irrita,
Thorace aheno vim premente,
Aut vacuo resilivit ictu.
Quæ parma pectus muniit, heu jacet
Abjecta campo, parma rigentibus
Decora signis, ægis auro
Aspera, luce nova renidens.
O jura Regum, nomen & ImperI,
Et arma tristes exuviæ, Deum
Affixa delubris, in altum
Dedecus, opprobriumque gentis.
Nec juvit ungi Pallade regia,
Nec ferre fasces, ac trabeæ decus,
Sceptrumque dextra; insigne gemmis
Cingere vel diadema fronti.
Natusnè dulcis vertice languido
Cadit? juventæ cum nova muricem
Lanugo vestiret genarum,
Et patrias agitaret artes.

Fertur

Fertur cruenti militis impium
Hausisse ferrum pectore Martio,
Et obvio telis; nec atram
Sollicitus timuit procellam
Belli. sub alta nocte recondidit
Dulces ocellos, ceu breve lilium
Ligone sectum, seu recisus
Vngue comas, Hyacinthe, langues.
Quæ vis sinistro Marte resorbuit
Deprælìantes colle sub aspero?
Contraque turmas barbarorum
Egit, & in medios maniplos?
Sancita quondam fœdera mutuò
Trahunt & ambos; irrevocabile
Illi sacramentum paratus
Dixit Amor sociasse fatum.
Quæ vis resistit? cur volucres sequi
Morantur alæ: pigraque funera?
Mei resecta parte vivo
Semianimis facilis perire.
Hæc dum retractas vulnera, Gelboën,
Francisce, damnans, montibus aviis
Negansque rorem, rore (mirum)
Mi riguæ maduere malæ.

IN BERNARDINVM REALINVM.

Ejus pietas, & scientia laudatur.

ODE XXXII.

Carpensis heros, te tua destinat
Virtus Olympo, munere candidæ

Fun-

Functum senectæ, melle morum
Dulcem, & amabiliore sensu.
Te pulchra novit Luspia Palladi
Regnata, quondam tempora patria
Cingens oliva; te parentem
Illa suum venerata dicit.
Te rite ad aram flamine victima
Litante magna, te tacitum prece
Flectente Numen, manat illi
Divite opum nova vis Olympo.
Laudes sileri nunc patere, ac decus
Virtutis ingens; grandia castior
Dum facta pendit Roma, honorum
Arbitra judicio sagaci.
Civilis olim tu sapientiæ
Decreta doctus, juraque gentium,
Et fas tenebas, & statuta,
Seu Lacedæmonii Lycurgi,
Seu tu Solonis; nec refugis piam
Plerumque plectro tangere barbiton
Musis amicus, suete mecum
Ludere jam senior Camœna,
Brevique carmen cudere acumine;
Qualis canoro gutture personat
Obliqua Mæandri cadente
Albus olor melior senecta.
Sciens Minervæ, sed sapientior
Mentem fatigas usque perennibus
Curis, & æternos in usus

Discrimen hac vocum illa flando
Temperet, & potiore ludat
Posthac avena; nec fide gaudeat
Iam Teïa, acri vel mage tibia;
Quin fistulam cedens Apollo, &
Arcadii stupuere Panes.

IN PETRVM ANTON. SPINELLVM De Dei Matre Virgine scribentem.

Laudat ejus doctrinam cum pietate conjunctam.

ODE XXXIII.

CVltor pudicæ matris amicior,
Labisque purus, mentis & integer
Vt te laborum sorte functum
Erigone super astra virgo
Effert, reponens sedibus igneis,
Sacransque Cœlo? te genus inclytum
Gentis vetustæ, multiformes
Te tituli decorant avorum.
Te parca nutrix pauperies alit
Frui paratis lætior, & comes
Se jungit ultro te lacerna
Involvens, veterique lana.
Quid mos avitus, splendidus ac Ducum
Cultus reposcat, quid deceat genus
Illustre, sectari remittis
Pauperie haud humilis sodalis:
Quamvis honesto murice gaudeat
Frater, parenti proximus arduo,
Notusque trans silvosa Dacûm
Oppida, Danubiique ripas.

Poti-

Potite magni delitiis poli,
Et note Cœlo, quippe potentibus
Votis fatigans usque matrem
Numinis, aligerosque Divos.
Non tu reciso flore puertiæ
Mœres pudorem, pectore candido
Immunis & flamma, & sagittæ
Damna cavens pueri dolosi.
Pallas pudicum sic amat, innuba
Pallas, docenti protinus adfuit,
Magnum parentem, seu retractas
Mente satum, placidumve Amorem.
Lenibat ægros forma decentior,
Vnum relictæ præsidium rei,
Spretaque plebi; nunc beatos
Lætus ama sociare mentes.
Te casta mater Numinis igneis
Attollit astris obsequii memor;
Æternat & Virgo suarum,
Quæ reparas, monumenta laudum.

IN MICHAELEM AIOSS. CLER. TH.

Ejus concionum elegantiam commendat.

ODE XXXIV.

MEdulla Suadæ, flos Italûm; Charis
Cui pressit almum nectar, & imbuit
Alumna guttur; profluentis
Ingenii memorande vena.
Diserte, quantum non Ithacus, sata
Prolesve Neleo, non fidicen lyræ,

Quem pavit examen volantum
Purpureis opifex labellis:
Certavit Hyblæ pinguibus alveis,
Fœcunda mellis, linguaque nobili:
Facunda cultu; dædaléis
Tingere sideribus decoros
Edocta textus; staminis aurei
Sciens, magistram vincere gestiit
Minervam, & olim nil superbæ
Opprobrium metuens Arachnes
Fies loquendo Mercurialium
Heroum; & inter Græciæ Rhetoras
Primos remiscet: macte victor
Iam Latii minus invidendi;
Te fama tollat; non mage Romula
Miretur ultra rostra forensibus
Pugnis, & HortensI intonata
Eloquio, rapidique TullI.
Nec una tantum laus venit ingenI;
Major docendo te vigor excitat
Ducem Lycéi, perque curas
Mentem agitas operosiores:
Tenes Cleanthen; quicquid & artium
De fonte fluxit Socratico, ebibis;
Tentasque Naturæ latebras
Aucupio jaculatus acri.
Quin te refulgens Vranie suis
Recepit astris, & caput arduum
Flagrante Olympo, teque Numen
Totum habet, & studio resorbet.
Vis una compar, jus & idem trium;
Seu mente magnâ profluit unicè

Natus

Natus parentis; sive amantes
Æquat Amor, religatque amando;
Hac suete quondam non humili catus
Versare cura. prô nimium breve
Decus tuorum, cur severa
Fila cadunt properata Clothus?
Quò juncta Amori Gratia? quò fluens
Perennitatis vena volubilis
Cessit? nec unquam parca fandi
Copia, vis nec egena rerum?
Quò gurges auri divitis, ac nitor
Torrentis Hebri? quòve abiit lepos?
Qui nuper emirata corda
Surpuit eliciens theatro
Plaudente voces, terque manu sonum;
Vt ora solvis Palladio madens
Sermone; & evincit tenaci
Arte animos benesuada Pitho;
Aurita templis agmina principum
Duxti; corona Parthenope frequens
Ambivit, & suspensus ordo
Purpureus procerum Quiritum.
Te muta deflent templaque, & exedræ;
Te dedicati fœdere candido
Flevere patres, lecta Cœlo
Nobilis Italiæ propago.
Ereptum acerbe quid queror? eloquens
Spirante vivis nunc in imagine;
Nec melle manans dulce Nestor
Ibis iners sub amara Lethes.

AD IOAN. BAPTISTAM A PORTA. Physiognomicum.

Vanitas ostenditur ejus artis.

ODE XXXV.

Fallit heu nimis nota
Severior supercilI, & genarum
Fraudulenta purpura.
Pudore vano; tecta forma veri est,
Effugitque lumina.
Manus dolosa lineas inanes
Tendit, aut trahit parum.
Leves requiris indices malorum
Augur imminentium.
Ero beatus moribus pudicis,
Et decôris integer.
Licet mineris horridus citatum
Funus, & nigros brevi
Novendiales, ac trium Sororum
Parciora stamina;
Non horreo superstes interire,
Cura magna providi
Parentis: ut novam inchoare vitam
Firma me docet Fides,
Vetatque aniles, dedocetque nugas.
Te resecta linea
Timore acuto desecat: futuri
Consilis manum insciam;
Sed una Sortis arbitra est parentis
Dextra, cuncta temperans,
Amore cuncta provido gubernans.

IN CONSTANTIVM PVLCHARELL.

Ejus carminis elegentiam commendat.

ODE XXXVI. *l.3.od.4.*

O dædalei carminis artifex,
Manavit olim nobilis ingeni
Cui vena, Lubrensis Minervæ
Gloria, delitiæque Pindi:
Pulcher Camœna, pulcher Apolline,
Vt vim salubris Pœoniæ catus
Exquiris, & contra explicatas
Bella moves acies malorum.
Grandis videri carmine, te simul
Sublimis effers, ac prope jam Maro:
Sic & venustas, & lepores
Haud humiles numeros sequuntur.
Donate serto jam puer Attico,
Ab usque cunis præmia præcipis
Matura vatum; prompta largis
Muneribus tibi fata currunt.
Nam te gementem incommoda pallidi
Morbi, tegendo juvit Apollinis
Tutela, lauri teque mater
Deposuit viridi sub umbra;
Mirante vatum concilio satis,
Quicumque & arcem Palladis ardua
Tenent, acutis quosque Vervex
Cornibus æquoreus lacessit,
Vt interesses Castalidum choro
Exultim, & ultro Calliope decens

Phœbique ramis, teque oliva
Palladia tegeret remulcens.
At te morantem Pæonis artibus
Proclive fatum, non tulit Atropos,
Vna recidens fila vitæ,
Carminis atque operosa texta.
Seu miscet astris lucidus igneis
Vocalis Orpheus, digne chely aurea,
Vt elaboratam poësim
Dulce modis animas canoris,
Seu septem adauges nomina Pleiadum,
Septemque vates, quos tulit inclyta
Fama vetustas, duc magister
Orbis Apollinei choréas.

AD FABRVM FRANCISCANVM
De quantitate philosophantem.
ODE XXXVII.

E*Xercet vacuus te labor; an partibus effluat*
Ingens, dividuo fœta parens pignore Quantitas
Chaldæos numeros exsuperans & Babylonios,
Vndis Icariis, & Libyes æmula pulveri:
Ceu dux Hippolyte densa ferens agmina partium;
Indiscreta eadem num maneat, nec nisi sectiles
Educens acies; sive neges sedulus ultimam,
Seu censere juvet; linea protendier an potis
Immetata suis finibus, & libera termino:
Quæ nunc vexat agens, comminuit robur &
ingenI.

Æter-

Æternum, sapias, mente Deum concipe: finibus
Non inclusa viget nobilitas, & spatium breve
Longa spe repares, innumeros praecipiens dies.
Ævi integra manet, tempore nec secta perēnitas.

AD MARIVM SCHIPANVM
Medicum Collegii Neapol.

Ejus artis peritiam laudat.

ODE XXXVIII.

MAri severam sæpe Proserpinam,
Clothoque ludis doctus Apolline;
Et igneam defendis agris
Auxilio potiore febrim.
Vita reservans; ingluviem & famem
Frustratus Orci corpora deripis,
Quæ destinarat furva nigris
Manibus, & Libitina Diti.
Frustra laborat Mercurius gregi
Compellere atro, quem bonus expedis
Per damna fati; nec sororum
Fila cito pateris recidi.
Fastidioso ponè sedes toro,
Nec tu recedis sedulus Hespero
Surgente, & astris; meque longas,
Advigilas, pereunte noctes.
Edura fortis fata refringere,
Vt docta callens jura Machaonis;
Artesque Phœbaas salubri
Consilio catus elaboras,
Arcana miscens pocula nectaris
Parte imbuendo; ducere nec piget

Ingrata succi, te jubente, in-
Grata aloës, & amara myrrha.
Nec si sodalem Naiadis integra
Cratera pascam, tu dare deneges;
Venasque anhelas, æstuosum
Et jecur egelida remulcens;
Seu tu benigna sævitia negas
Prudens, feremus, ne nimium pius,
Morboque fidens fraudulento
Dulce malum cyatho propines.
Tu me tueris rebus in ultimis,
Tu das secundum vota superstitem
Sperare vitam, o tutor ægræ
Parthenopes, trepidique vatis.
Vt cura sollers adfuit, unice
Securus æstus haud metuam status;
Cum bella confundunt iniqua, &
Prima movent elementa Martem.
Vtroque Phœbo nobilis, aurea
Tu barbito seu carmina temperas,
Acuta seu morbi retundis
Pæoniis operosus herbis.
Eheu laborans nec tamen irrita
Decreta reddes: lurida perbrevi
Mors decolorabit, facemque
Purpuream soluët favilla:

AD RELIGIOSVM ADOLESCENTEM Philosoph. cruorem excreantem.

Avocat ejus mentem à nimio labore.

ODE XXXIX. *l.2.od.17.*

QVid me cruentas sollicitum tuo
Cruore? Pallas sauciat, improba
Te Pallas hasta; mitte curas
Exanimes bene feriatus.
Quid usque robur frangis, & integrum
Succidis ævum? non adamantina
Mortale corpus vi perennat,
Nec chalybes reparant te ahenum.
Seu tu involutum Democritum sequi
Iurate tendis, sive Academiam;
Seu mentis exercet palæstra
Strymonias prope natus undas
Doctor: fatigat sic Hyperionis
Ad ora prolem haud degenerem satu
Sublimis ales; pervicaci
Illa ferox oculo coruscum
Titana contra nititur: haud secus
Intendis acer lumina vividæ
Mentis: nec elangues tuendo,
Exacuunt aciem nitores.
Ne tu cruento pectore saucius
Dole, procacis tela Cupidinis
Experte nunquam criminoso
Vulnere, sat docilis dolosas
Eludere artes. an tibi purior
Amor tetendit spicula? criminis

Immune pectus perque fodit
Purpureum eliciens liquorem?
An tu sagittis pectora destinas,
Traisque pœnis pro Latii fide
Devote letho? teque imago
Dulce rubens alit induentem
Mucrone pectus? ne propera nimis
Immite vulnus: jam tibi lividos
Procudit enses barbarorum
Ira, novant aciemque acutam
Invadere acres: tum bene concides
Virtute adulta, sive Trionibus
Subjecta septem decolores
Regna, solum inficiasve Eoum.

AD SPINVLAM SACERDOTEM.

De prædestinatione solicitum solatur.

ODE XXXX. *l.3.od.23.*

SI liba pura contigeris manu,
Et vota Divis candida fuderis;
Nec vicerit mentem Cupido,
Ebriaque illecebræ veneno
Dulci juventas; ardua vel ruant
Convexa Cæli, damna per ultima
Dijudicandus, perque flammas,
Certus eris trepidante mundo.
Quid te futuri cura tenacior
Frustra remordet? te nihil attinet
Tentare secretum Parentis
Arbitrium, tacitosque sensus:

Seu te beatis destinet insulis,
Inire sedes & jubeat pius
Civem merentem, præque scriptum
Ordinibus Superûm quietis,
Seu te reorum sorte nocentibus
Addixit Vmbris immiserabilem,
Cui criminoso tendat ultrix
Tisiphone furiosa tædam:
Vtcumque Virtus tecum aderit, libens
Manes adito, regnaque tristia,
Visure nigræ stagna Lethes,
Immerito data præda Diti;
Decreverit fati arbiter; inserat
Te tantum amicos inter amabilem;
Per alta Averna, imum sub Orcum
Non sine Amore animosus ibis.

AD MARTINVM DEL-RIO contra Magiam scribentem.

Præstigiæ quàm exitiosæ sint, ostendit.

ODE XXXXI. *l.2.od.1.*

ABominati damna veneficI
Narras; sub atra nocte volatiles
Striges, & Harpyias nocentes
Vnguibus, & Lamiarum avara
Novi cruoris guttura: providus
Sed tollis autor semina turpium
Malorum, ut execrata vota
Iudicio patuere ritè
Patrum severo. deterioribus
Luctate monstris; non vigil Hercules

Decernit æquè, non pudicus
Bellerophon, rapidusve Perseus.
Vt totus imo fundo Acheron furit?
Vt alta Averna? invisaque Tænara,
Larvasque, & immanes Cyclopas
Prodis agens, Lemuresque nigros?
Fædum videri Morphea, spiritu
Graves & hircos, oraque Cerberi,
Matrique detestata, charis
Et pueris simulacra Ditis?
Seu tu protervum, seu famulum genus,
Lares recenses, spectraque montium,
Simosque Silvanos, timendum
Panaque, cornigerumque vulgus.
Vt horret artus hispida lividos,
Et torva vultum Saga? comantibus
Hydris capillos implicata,
Et magicam furiata mentem.
Duplex ocellis pupula fulminat
Vibrans acutis ignibus; enecat
Fatalis obtutus, venitque
Sulphureo gravis ore nidor.
Iam jam sepulchris excutit impios
Horrenda Manes, exululans Styga
Circum: minaces ora bustis
Prosiliunt; stetit omne Ditis
Examen atri; tabida adest Lues
Depasci amantes strenua luridos,
Furorque cadus sponte, & amens
Sæviti s. furit ecce fœta
Pythone diro Thessalis, ebrios
Lymphata sensus; assilit, insilit;

Em-

Empusa qualis crure aheno
Sanguinis ut sitiens paventes
Cursatque cunas, & miseras domos
Incestat, artus pollice differens
Molles adunco, perque succos
Tabificos tenuans medullas.
Illam severæ frontis Erinnyes,
Illam gigantum monstra tricorporum,
Stipantque Centauri biformes,
Et nocuæ comitantur Vmbræ.
Iam prompta tractat læva malas dapes
Radice vulsa rupibus asperis;
Venena confunditque amara
Nunc Styge, nunc graveolente Lerna.
Quid sæva possint gramina collium,
Tortoque rhombo concita licia
Sat novit, attactuque fruges
Sanguineis rubuere guttis.
Aut illa amanti pocula miscuit
Circæa, surdo murmure carminum,
Marsis & excantata verbis;
Aut animos inimicat iris.
Vtcumque casta conjuge deripit
Fastidiosum jam thalami, ut jugo
Diduxit, infuditque tædis
Immemorem sine amore lethen.
Heu quis gemiscit languor amantium
Insanientum? quis furit igneis
Æstus medullis, atque venis?
Quanta cor implicuit Chimæra?

Formæ, cruentæ pallida ora ,
Pectoraque , & laqueis revinctæ.
Nunc sæva sacris temperat impiis
Medea , & atræ Gorgones abstinent
Tandem furoris ; namque vindex
Pœna pede assequitur citato ;
Inquirit omnem materiem mali
Iudex sacrorum , atque abdita callidus
Vestigat, & cura sagaci
Dira superstitio tenetur.
Devotæ fraudes expiat , expiat
Flamma , & furentes Mulciber edomat:
Vacant inanes officinæ
Colchidos , atque Hecatæa fana.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM

SIVE

ODARVM

LIBER II.

De Christiana Pietate

Πρgοαώλιον.



Aria nunc se offerunt vel initia religionis, vel indicia pietatis. illa mihi ante omnia prodeat in lucem parens lucis Gratia, sine qua frustra conamur quicquam aggredi vera laude dignum. Admirabile opus est tuum; cum ex altera parte luctetur pertinacia, ex altera tua dextera sine vi trahat, exigis ut sacrosancti esse velimus, adeoque blando uteris imperio, ut inserviamus liberè. testor hoc loco ignotam antea Indiæ partem, quæ Iaponia dicitur; inde mihi excitaberis è sanctissimis bustis invicta mater in primis cum puero mellitonè dicam, an adamantino? siquidem altera sexu, alter ætate nuper spe-

ctaculo, vel potius miraculo fuiſtis: nam in ignem (ut ferunt) pro vera religione injecti oſtendiſtis, non timeri flammam à vobis ſacro fonte recens madentibus. hæſerunt, atque obſtupuerunt oculi barbarorum inauditam poſt hominum memoriam conſtantiam intuentes veſtram. videretur hoc contra votum, juſque naturæ factum, ut mater traheret ſecum in rogum, atque exitium filium, niſi pro religione ſuſcepta mors eſſet auſpicium vitæ. Deſpexiſti flammam, puer, qui vix aſpexeras lucem; materna ubera penè ſuxiſti in rogo, quæ tunc maximè affluebant lacte pietatis, cum areſcere putarentur igni. quamquam cineribus veſtris ignis ille ſervatur, ac tegitur, quo mox ea, quæ ſuperſunt ſuperioribus ruinis delubra, atque fana mendacium Deorum, deflagratura ſint. poſt hæc aperiendi mihi ſunt ſacri ſeptem ipſius Gratiæ fontes, aliaque tractanda Chriſtianæ argumenta pietatis, quæ Muſa venerari tacendo mallet, quam dicere; ſed ſibi temperabit; accedet pudens, & verecunda, neque intima ſubibit adyta divinitatis, & quamquam ea quæ dicenda ſunt accommodare ad lyram difficile eſſe ſentio, conari tamen operæpretium erit, ut religioni, atque pietati omni ſtudio, ac diligentia ſerviamus.

IN DIVINAM GRATIAM.

Cum nuper in Iaponia pro Religione Indi quidam mortem strenuè oppetiisse dicerentur.

ODE I. *Hor. l. 1. od. 35.*

O Diva, mentes quæ regis integras
Natalis ultro juris, amantium
Versare quem tu cumque mavis
Strenua, nec violens domare
Immune pectus: se dominæ tibi
Gens ultimorum dedit Iaponum,
Vrbesque dedunt Bactrianæ,
Quæque latent tacito cubili
Obliviosæ Tethyos, inscia
Curæ sagacis, finibus inviis
Discretæ, & olim quæ Liburnis
Difficiles metuere tangi.
Auriga mentis, Gratia, libera,
Clavumque tractans nobilis Imperî,
Recens triumphis barbarorum
Corda tenes, Latioque subdis.
Vilem Pagoden te duce proterunt,
Turpemque Amidan; fanaque proruunt;
Nec flamma terret, nec minaces
Consilio revocant tyranni.
Infida pubes haud trepidat novi
Perjura voti, nec malè diffugit,
Vt lictor acrem strinxit ensem
Ferre necem celer, ora torvus.
Testata nuper cum sobole est parens
Fidele robur; parce, puer, genas

Fœdare flammis, immerenti
Parce animæ, cinerique acerbo.
Prô magna virtus! non muliebriter
Commota mater; non pueriliter
Natus reformidavit; ambo
Insiliunt medios in ignes.
Tantum potenti Numine prævales;
Quodcumque sanxisti, efficies potens,
Mens si renitatur, rebellem
Sponte tuis opibus refringes,
Circum sorores stant Charites piæ;
Et tempus, observasque locum, efficax
Hostem reluctantem movendo
Concutere, atque animi protervum.
Nec præstituta lege necessitas
Coërcet arcens irrevocabilem,
Gestansve ahena vincla dextra,
Aut chalybem replicans trilicem,
Vltro recurrunt ocyus, ac Ducem
Sequi volentes pergere gestiunt;
Nec vis moratur; tuque gressu
Certa pedes agis irretorto.

IN DIVINAM GRATIAM.

Ejus vis efficax ostenditur.

ODE II.

Converte Cœlo, duc age liberas
Regina mentes arbitrii potens
Haud pervicacis; vique nulla
Corda tenens moderata nutu.
Effusa multum me tua largitas
Ditavit, almo pavit & ubere

Ad

Ad plenum, alumna ô cordis una;
Magna parens & amoris una
Stipant euntem Suadaque dulcior,
Castique Amores, & Lepor, & Decens,
Prædamque vestigas vi odora,
Aucupio metuente falli;
Illam obligatam retibus occupas
Edocta saltus cingere devios
Indagine; ambis belluosum
Indomitis Erymanthon apris:
Indum remotis finibus advenam
Nuper tulisti præmia; te fera
Quæ potat Hebrum novit, & quæ
Danubium, rapidumve Araxem
Objecit ultro pectora; seu petis
Acrem Leonem; seu Leporem levem,
Damamque per colles citatam
Figis & hinnuleum fugacem.
Dant discolores pectora Tigrides,
Dant & Bisontes setigeri tibi,
Latoque cornu immitis Vrus,
Dirigis ut leviore dextra
Amica telum; nec tamen avium
Quodcumque tactum est effugiet, tenes
Fallente nunquam mitis ictu
Cuspidis, & sine cæde victrix.
Quicquid repostis aut nemeæ jugis,
Aut silva lustris cœlat Iäponis,
Saltus vel Hircani recondunt,
Diva, tuis petitur sagittis,
Arcuque forti retia mollia
Mirè retentant; prædaque libera

 Cœlo

Cœlo refertur; quin Amor te
Non vacuo stupuit labore:

IN DIVINAM GRATIAM.

Negat eam officere libertati.

ODE III. *l. 4. od. 4.*

CVm me vis animi potens
Cunctantem placido traxeris impetu,
Non edura necessitas
Luctantem pepulit; libera consilI
Fert vis, Suadaque fert rapax;
Quo tu cumque vocas depropero libens:
Tu rerum bene callida,
Eventura tenes, duraque pectorum
Mollire ignibus efficax,
Opportuna moves, & sapis in loco,
Prudens arbitra cordium;
Nolenti arbitrio nec tamen officis,
Iussis officiosior:
Non ulli violens, non adamantina
Nectis vincula pervicax;
Tu regnata volens corda volentium
Nexu mollior illigas,
Adstringis tamen, ac subjiciens tenes
Vltro; certa sed ingenI,
Nec rerum dubio falleris exitu,
O duris quoque Thracibus
Donatura piam, si lubet, & novam
Mentem, flectere barbaras
Gentes sola potis: Memnonidæ tibi,
Et non ante domabiles
Iunguntur facili fœdere Sinici;

O anceps

Ô auceps animi, ô amor,
O mentis vigor; & vis ſine vi potens;
Lojolæa quod impiger
Miles ſigna ſequor, ſi uſque ſequar, tuum eſt.

IN SANCTISS. EVCHARISTIAM.

Argumentum ſummi amoris oſtenditur.

ODE IV.

O Mente compar edite patria,
Dulcemque proſlans pectore fervido
Cum patre Amorem, Divus idem,
Numine non alio perennans.
Quæ te profundo detrahit æthere
Vis tanta? mens & lingua potens Dei?
Regnator ingens ô ter ampli
Orbis, & exuperans minorem,
Inane complens, præter & effluens,
Coacte fines inter amabiles
Cratere puro Numen arces,
Exigua Cererisque fruge.
Quandoque fando ſacra ſilentia
Citantur aris, ſubſtituit Deum,
Deum reponit mira rerum
Vox opifex, taciturna vulgo,
Audita Cœlo, Manibus impiis
Horrenda, caſtis gratior, exili,
Modusque pœnæ, perque puros
Expediens Acherontis ignes.
Plerumque ad aras abſtinuit Pater
Irarum, & olim gurgitis ignei
Reſedit æſtus, ne Sabæa
Thura piis adolente flammis.

Hinc versat omnis sic mihi largior
Olympus ; almos exprimit Eucharis ,
Dulcesque succos lactis , inter
Purpurei latices cruoris.
Ah quantus ignis torret, inastuo
Amore quanto , te simul inseris
Mortalium sub corde dignus
Hospitio meliore Divus.
Deum liquentem quis neget igneo
Amore solvi ? quis neget aurea
Vinctum catena ? fert superbo ,
Fert Amor edomitum triumpho.
Sortitus hujus regna potentior
Mensæ, pudoris jura dat integri
Amor ; magister ritè opimum
Ille epulum moderatur, unus ;
Hic summa Cæli templa jacentibus
Terris , & imis ardua sedibus
Mutare adegit , te dapsilem
Sufficiens , liquidumque Divum.

In sanctiss. Eucharistiam.

AD BRANCIVM
recens initiatum.

Muneris vim, dignitatemque demonstrat.

ODE V.

Casti pudoris flamen amicior ,
Libabis implens sanguine vivido
Cratera pinguem , & mente miti
Sæva movens simulacra cædis.

Subit

Subit potentes ille Dei vices,
Qui ſacrat almam voce novans dapem,
Et vina ſacrat compare ore,
Liba manu trepidante tractans
Tangenda nulli, rite Amor antea
Ni dedicarit, guttura carmine
Majore ſolvens; nec profanum
Verba humili bibet aure vulgus.
Quam pene Cœlo tollimur ardui?
Qua vi feroces ſponte laceſsimus
Ditem? triumphatoſque fratres
Pellimus in patrias tenebras?
Sed nulla iniquis luminibus fides,
Teſtantur aures dicta. protervitas
Mittenda, cedat Saxonum mens
Dura Dei liquido cruori.
Fas eſt Lycéi temnere inertiam,
Cauſaſque rerum, & difficiles modos
Ne quære, fruſtra mente acuta
Cecropias agitante curas.
Vtrinque fallunt viſa ſagacius
Dapes odorantem, atque liquentia
Vina; ut recondunt non videnda
Numina, purpureumque Divum.
Huic obligatam redde famem pius
Conviva menſæ; pectore perbrevi
Conclude magnum, nec tuere
Aut Bromium, aut Cererem minorem.

In Sanctis. Eucharistiam.

AD OCTAVIVM AQVAVIVAM Card. & Antist Neapolit. à quo est initiatus.

Quantum sit Sacerdotis munus exponit.

ODE VI. *l.2.od.20.*

AMoris uber lambere gestio,
Purique lactis munere candido
Frui. piorum ritè mensas
Instituo, faciamque magna
Verbis susurrans grandibus hostia.
Est invidendo gratia flamini,
Vis est: cruorem libo, & escam
Purpureis inhio labellis
Admissus arcanis epulantium
Conviva Divûm. non liquor Atticis,
Non esca decedit Quiritum
Deliciis, opibusque Crassi;
Certansque cœnis Adjicialibus
Amor dapalis pinguia munerum
Promit; sed integrum pudoris
Esse jubet sine labe mentis;
Qui liba tangit candida turpior,
Puroque Cæli munere vescitur
Incestus, hunc addicet Orco
Mensa reum, rapidæque flammæ.
Effata menti consocians, Deum
Stantem profundo deripiam polo;

Ore ut potenti devocatus
Ad tacitum venit ille carmen,
Notasque voces. non ego contigi
Mortalis aras; de tenui potens,
Et sorte, fortunaque major
Terrigenas superare tendo.
Cratera tingens sanguine roscido,
Reddam parentem criminis impii
Obliviosum, cadis olim
Sed memorem sobolis benignæ.
Me puro amantum nectare proluam.
Amara & ægri pectoris eluam;
Sanumque bacchari licebit
Dulce Deo, & furere ebriosum.
Opima se dent Numina, nil prece
Supra lacesso, Perside ditior
Multò; tyranni me minores,
Atque humiles coluere fasces.
Cœlestium mens est mihi; luridam,
Vdamque terram, jamque inamabilem
Fastidio; eblandita Siren
O valeat, patriæque luxus.
Nunc me per auras ardor amabilis
Citat biformem. lilia vicero
Candore, Mæandrique olores,
Pectora par fluvio nivali.
Dixitque matri Cyprius aliger,
Quid tela frustra tendimus? emicat
Ille acrior multo leone,
Quem Libye peperit ferocem.

In ſanctiſ. Euchariſtiam.

AD LVCIVM SANSEVERIN. CARD.

Mira vis facientis oſtenditur.

ODE VII.

REfige leges, juraque priſtina,
Natura, mentis jam minor, incipe
Inſueta mirari, fruentem
Me dapibus, Superûmque menſis.
Non Dindymenes me quatit impetus,
Nec concitatam Pythius eripit
Mentem; Sacerdos ſacra tango
Sobrius, haud violata libans.
Majora pectus concipit orgia
Sanum; pudicis æſtuat, æſtuat
Flammis, & exultim ſua cor
Sede ſalit, reſilitque amando.
Vt mente caſta concipio Deum?
Vt ore puro parturio? hoc edam
Quod edo. feci, & me refeci
Voce ferax, ſine fraude verax.
Cruore vivo pocula dedicans
Deum evocabo: vocibus arduis
Commiſſa vis hæc, me vel alto
Æthere deripere efficaci.
Nil forma vero derogat abdito,
Seu liberi, almæ ſeu Cereris notæ.
Impune frangam non refractum,
Dente teram, neque deteretur.

O perge;

O perge; mensa quis pavor avocat?
Quæ cura tangit? fallor? an alites
Inter ministros, & beatas
Interero dapibus choréas?
Cœlum fatiscit; jam propior Deus
Ardet, neque ullis sensibus haurio,
Numenque, & explorata Divûm
Gaudia jam teneo; quid ultra
Mentem fatigo consilio levi?
Certus fateri, seu furor impius
Cervicibus tendat secures,
Seu laqueo tenuere fauces:
O quantum amoris profluit, & boni
Quantum benigno Gratia munere
Donat redundans, nunquam & almo
Vbere non opulenta desit.
Me, me incruento sanguine, & hostia
Litante viva, fulmineum Pater
Deponit ignem, nec minando
Obloquitur tacite loquenti.

In Sanctiss. Eucharistiam.

AD DECIVM CARAFAM CARD. & Antist. Neapolit.

Alludit ad hymnum, Pange lingua.

ODE VIII.

Non usitatum dic age, barbite,
Carmen, choréas inter amantium,
Plaususque, & argumenta magni
Fœderis haud dubie retracta.

Com-

Committi acutis vult fidibus Fides,
Seu tu latentes Numinis abditi
Mirabere artus, & cruorem,
Sive Deum minimum cruentum.
Illo repensos sanguine liberos
Dimisit ultro qui bonus omnium
Regnavit, & venalem Averno
Cæde sua reparavit orbem,
Vndans amorum, & dulcem animam suis
Donare largus; scilicet altilem
Deo saginat mentem; & ultrò
Dat Superûm accubuisse mentis.
Hic se redonat, qui semel integra
De matre natus pertulit horridæ
Spelæa Bethles, atque brumas
Egelidi nimium cubilis.
Videre terris Isacidæ rudes
Deum sodalem, priscaque fœdera,
Et aspra mutantem statuta
Lenibus, historias docentem
Purasque fraudum, & fallere nescias.
Tandem cadentem rite diem sacrans
Suis se alumnis, bisque senis
Esse viris dape dat suprema.
Horni sed agni viscera torridi
Remorsa raptim, more patrum, apparat;
Fugere ut olim regna sævæ
Mempheos, ac Pharium tyrannum.
Prô magna merces muneris: obtulit,
Dextraque sese (mira fides) sua
Porrexit, & succo liquentis
Nectaris, ambrosiaque pavit.

Sese ille magna voce iterabilem,
Redditque eundem, vimque animi refert
Interminatus; quo locorum
Insideat, fuge suspicari.
Dedisce summis ima rependere;
Naturæ iniquos ponere limites
Desiste, metirique Amoris
Imperium breviore sensu.
Committe verbis cuncta: simul Deum
Vox parturivit Numine proprio
Sacrans, cruentant vina venæ;
Vox animat Cereale libum.
Repente dio carmine se Ceres
Mirata pelli sensit: imaginem
Sed pingit illi concolorem
Mirus Amor simulare formas.
Ergo verendum Numen, & abditum
Divum fatebor; votaque deferam
Cervice prona: clausus orbe
Exiguo latet ille magnus,
Ille ô ter amplus, patre satus Deo,
Imago magni Numinis exprimens
Nitore mentem, juris æquè
Vnius, ac decor oris idem.
Fas ebriosum ducere gutture
Cratera amantum mî bene sobrio
Convivæ; Amor quando innocenti
Dulce mero, dape dulce nutrit.
Cedant inani munere flamines,
Et sacra brutis uncta cruoribus
Libata quondam magna parvis
Jam subeunt potiore cultu,

Verbo

Verbo fugata jam Cereris, Fides
Vanique Iacchi nomine dedocet
Vti; tuentem signa fallunt,
Ludere quæ potuere inertem.
Fides protervum strenua frangere
Sensum revincit; vim domat ingenI;
Et lumina oppugnare tendit
Credula vis animi latentis.
Commune rerum fœdus, & ordinem
Remitte, causasque & solitos modos
Perquirere; impermissa cerni
Numina ne trepida tueri.
Perjure nuaquam tu fuge transfuga,
Præbente vires, scutaque provida
Fide; labantes illa sensus
Ære novo, atque adamante firmat.
Iam jam recedit terra mihi, arduo
Tangenti Olympum vertice; jam patent
Æterna; & in me vis Amoris
Tota ruens sibi sacrat uni.

In Sanctis. Eucharistiam.

AD COMITEM ALTÆVILLÆ.

Invitat bene paratum ad sacram cœnam.

ODE IX. *l.4.od.12.*

IAm dulces epulas fingere Dædalus
Instauravit Amor, flebilis arboris
Antiquum opprobrium pomaque noxia
Vitali reparans dape.

Sti-

Stipant siderei protinus alites
Convivam, & socium jungere gestiunt;
Miranturque Deum, cui cor & intimum
Pectus jam placet hospiti.
Depromunt nitidi munera flamines;
Sed libare Deum, castaque Numina
Si gestis, Superûm & nobilium choris
Misceri, bene sobrius
Et purus Veneris dona merebere,
Et labes animi tristibus eluens
Curis; sic epulis accubat integer
Lojola, illius & cliens.
Hæc dum præbet Amor gaudia, candidus
Adsis ritè; jubet fœdere amantium
Te discumbere Amor; non aliter beat
Pleno nectaris ubere.
Hæc suprema tibi munera detulit;
Mens lethum repetat; sis memor acrium
Pœnarum, paribus junctus amoribus;
Dulcis nam dolor in loco.

IN SANCTISS. EVCHARISTIAM.

Freqens ejus usus ab Ignatio institutus.

ODE X. *l.4.od.15.*

Lojola quondam nectare Cælitum
Secli procacem ritè licentiam
Compescuit; sacris opimis
Atque vetus revocavit ævum,
Cum casta pubes usque Deo frui
Amans, paratas sæpe reposceret

Dapes, nec Alecto quietas
Corriperet furiosa mentes:
Nomen Quirini sic bene finibus
Porrectum Eois, famaque maximi
Patris per & fines cucurrit
Memnonidûm, tacitasque gentes.
Nos usque festis lucibus, & simul
Flamen profestis criminis inscii
Tangemus aris incruenta
Munera; sed memores cruoris
Olim liquentis collè sub arduo,
Necisque dura; pectore candido,
Et hospitali te Parentis
Progeniem haud temerè integemus.

In Sanctiss. Eucharistiam.

AD SPINELLVM PRINCIPEM.

Castè, sanctèque accedendum dicit.

ODE XI. *l 4. od. 8.*

Qva largitur Amor munera providus,
Appone ambrosiæ, ac delitiis poli.
Sollers arte nova condere Amor Deum,
Seu Forma Cereris, seu liquidi meri.
Est vis tanta polo ducere, talium
Vis est mira: feram maxima munerum,
Se donante Deo divite Numinis,
Per quod spiritus & vita perennius
Est afflata bonis; si bene sumpseris,
Mercedem hanc tuleris, sic tibi pignerat;

Si te

Si te mens animi conscia candidi
Nil mordet lacerans, mensa nitentibus
Immiscet Superis, & beat æthere,
Damnabit Stygii gurgitis improbum.
Optatis epulis tu fruere integer
Conviva, haud inhians delicias leves,
Quas aut Attalus, aut olim Halyatticus,
Aut regina viro protulit Actias,
Non mellis Siculi dulcius alvei,
Quam Divûm sapient ambrosiæ dapes.

IN SANCTISS. EVCHARISTIAM.

Ενθουσιασμὸς.

ODE XII. *l.3.od.25.*

TE, *te magne sator poli*
Mortalis teneo: pectus hiat Deo
Ardens; efferor, efferor
Alta mente, procul fert Amor arduus
Terris, meque volubili
Penna cingit agens aliger alitem.
Dicam augustum, & amabile, &
Mirandum; Superi lautius haud polo
Discumbunt; mihi pervium
Vt Cœlum patuit? plenius ut licet
Hausisse ambrosium Deum,
Et multi cyathum nectaris? ô Amor,
O regnator amantium,
Divinique potens cordis; & intimo
Sollers condere pectore.
Non bacchata loquor Mænala, sanior.

Me lymphatum, Amor, evocas.
Debacchabor, io, jam rape concitum.
Da nectar liquidum, & dapem
Summota Cerere, & purpureo mero:
Rerum ludor imagine,
Indiscreta Fides me tamen erudit:
Artus scilicet, & cruor
Arcana subeunt sorte vicarii.

In Sanctiss. Eucharistiam.

AD RAVASCHERIVM.

Nihil hac cœna lautius dicit.

ODE XIII. *l.1.od.1.*

Te cœna veterum Romulidum licet
Expletum teneant; & Saliaribus
Mensis, & nitida Perside gaudeas;
Protei fallere amans squamigerum pecus,
Silvanique domos, atque cubilia
Scrutatus tacitis artibus aucupI:
Frustra per gelidas Hæmoniæ nives
Quæsiti lepores, aut Erymanthium
Vestigatus aper per nemus improbam
Sedavere famem; vinaque Lesbia
Demulsere sitim, pocula divitum.
Cœlestes epulæ munera mentium
Castarum gemina me sub imagine,
Delectant avidum; me cyathus Deo
Plenus, purpurei nectaris & capax
Secernit minimum Saxone credulo.
Sic conviva pudens evehor altius
Mortali potior; si neque turpior

Me labes animi; nec scelus inquinat,
Par dicar Superis nectare, seu dape;
Siccus mane operans, & famis integer;
Mos & ritus avi summovet uvidum.

In sanctiss. Eucharistiam.

AD BERLINGERIUM SACERDOT.

Suavitas sacri hujus Symposii demonstratur.

ODE XIV.

REmitte luxus munera barbari,
Luculli opimum desine Apollinem
Mirari, inexpletamque Romam,
Ambrosia potiare Divûm.
Cratera ducens nectaris, hauries
Deum cruentum, nec cruor inficit;
Favoque certantem relambes
Dulce dapem, sapidumque libum.
Nunc, nunc recepto Numine fervidum
Bacchare pectus; nunc age concitum
Pulcher pharetra, pulcher arcu
Sancte Amor, & jaculum corusca.
Amore totus proluor; athere
Ingens amanti copia funditur;
Dapes inemptas cura Amoris
Apparat, & sine nectar auro.
Vox fœta Divo, vox operosior,
Totensque rerum immurmurat intimè;
Ne quare scrutari latebram,
Cede Deo benefidus ultro.

Tu magnum ab astris elicies Deum
Verbo parati Numinis arbitro;
Maturet, ô, tectus sub orbe
Triticeo, at bene notus hospes.
Huic thura fundes prodigus; huic faces,
Tadæque Amoris mille calebitis,
Huic artifex ceræ Sicanis
Alveolis apis adlaboret.

IN SANCTISS. EVCHARISTIAM.

Opiparum Amoris convivium laudat.

ODE XV. *l. 1. od. 2.*

RItè votivis operatus aris
Flamen augustus faciam potenti
Ore, ubi formis Amor involutis
Numen inumbrat.
Dulce potabo liquidum cruorem
Cacubo tectum; moriturus olim
Quem dedit nobis Genitor beati
Nectaris auctor;
Vt memor lethi, necis atque acerbæ
Viverem; poscit favus ille amantum
More lymphatum, & bene me furentem
Mente citata.
Prô Fides; miris animata formis
Vina mentito rubuere Iaccho,
Et Ceres falli faciles inanis
Ludit ocellos.
Nempe Amor nobis, Amor elaborat
Dædalus gratas epulas, & almum

Eliquat

Eliquat nectar, potiora bacca
Dona soluta.
Ille Cœlestum sator, ille Divus
Se dapem promit, vacuumque ducam
Liberum: vivus mihi temperabit
Pocula sanguis.
Voce fœcunda, gravidaque mente,
Ore vocali, tacitoque sensu
Integrum reddo, geminoque dicto
Germinat unus.

AD MORMILIVM

Magno Paschatispervigilio.

Hortatur ad exomologesin ritè faciendam.

ODE XVI. *l. 1. od. 27.*

NVnc, ô, resigna non bene condita,
Patens dehiscat pectus, & intimum
Cubile cordis; fraude cæca
Obsita quæ latuere, profer.
Ah siste tandem, siste licentiam
Procacis ævi; quis furor arserit,
Non erubescendus fatere
Vocibus, ingenuamque Patri
Committe mentem; quicquid habes reus
Depone tutis auribus, integer
Veri, terens & cor dolendo,
Vela dare & statuens retrorsum.
Quod ille pœnæ cumque salubrius
Decrevit, ultro persoluas, satis
Flagrove facturus, vel æra
Connumerans domino reposta.

Vectes ahenos pectore demove,
Centum quod arces clavibus: elue
Te labe turpem, atque ore pestem
Egere, vipereumque virus.
Culpabis actus, verbaque lubrica,
Operta prodes tu quoque consili:
Effare tandem quo cruentus
Vulnere, quo pereasve morbo.
Flamen mederi doctus, & abstinens
Solventis auri crimina, purius
Dijudicet, rerumque prudens
Atque sciens animi dolosi
Reducet Orco, teque polo potens
Verbis redonabit; Genitor quoque
Obliviosius mittet iram
Compositis melior sagittis.

AD ANNIBALEM DE CAPVA Antist. Neapolit.
à quo est chrismate confirmatus.

Robur inde pietas concipit martiale.

ODE XVII.

PVer recenti robore fortior
Vmbris Avernis pralia destino;
Ditem superbum nec morabor;
Marte prior generosiore
Manes lacesso; non ego Gorgona
Formidolosam, non Furias tremam,
Vltro recidens viperinos
Vertice difficili capillos,

Vt

Vt primum inungis Pallade tempora,
Sacroque olivo, jam ſat idoneus
Pugnæ per improviſa Martis,
Et medios gradiar per hoſtes.
Nec me relicta viderit ægide
Quiſquam paventem: vertice languido
Temnam cruentatas ſecures,
Et rigidos nimium refringam
Faſces tyrannorum: haud pavor impius
Culpæ ſodalis ſollicitet fidem
Perjuro, & arcu barbarorum
Poſſe mori pretium eſt volenti.

AD RVFFVM PRINCIPEM
De filii Baptiſmate.
Eo hæreditariam elui labem docet.

ODE XVIII. *l.1.od.1.2.*

HÆres Olympi Natus erit tuus
Tingens ſub unda molle caput ſacra,
Labes avitas efficaci
Eluere, & vitium parentis;
Ille haud ſcientes occupat, & genus
Turpat nepotum; fœminaque addita,
Fecunda culpæ nos beati
Ruris in exilium dolentes
Imponit exlex; parturiet gravis
Damnata curæ; protinus aſperi
Vepres, & agreſtes avenæ
Immeritis dominantur arvis.
Mactata pubes inferiæ nigro
Reddemur Orco ſcilicet, o parens,

O magna mater, jam noverca,
Progenie misera probrosas
Trahens ruinas; non ita credita
Tractatur arbos: ecce necessitas
Terras fatigabit nocentes,
Fataque deproperabit ægris.
Nunc innocentis fluminis alveo
Mergatur infans, enatet ut Styge;
Flamenque fando rore puro
Membra lavet, maculamque tergat;
Sic fœda quærat vertere candidis,
Votisque amicis tristia, promovens
Cœlo, recantatis parentum
Opprobriis, generisque damnis:
Natalis ignis nec tamen excidit
Extinctus unda; sæpe proterviens
Cum mente confundit juventas
Prælia; Acidalias tremiscam
Suspectus artes, vimque Cupidinis,
Ne tentet arcu pectora dispari,
Et auream scindat corollam
Virgineo decori repostam.

AD CLAVDIVM SERIPANDVM oleo sancto inunctum.

Mulcet eum spe beatitatis,

ODE XIX. *l.2.od.5 & 7.*

S*Acrata in usum præsidii fluens*
Oliva odoro corpora perluit,
Et imbuit succo, brevi arces
Sidereas aditure Claudi.

Quan-

Quanto sub æstu sollicitudinum
Æger laboras? ut coquit ignea,
Exestque morbi vis medullas
Exanimes populata venas?
Ne cede pœnis, robore Martio
Luctate Morti: sic oleo leves
Perfundit artus pulvere horrens,
Sole sub, haud pugil indecoro.
Hoc tu piorum præsidio ferox
Ditemque franges, vimque nocentium
Fratrum; per auras nil paventem
Tollet agens bene fidus ales
Tutor, coronatum & Capitolio
Sistet; nec ultra militia teret
Laboriosum; jam remiscet
Sideribus tibi destinatis.
Oblivioso lumina claudere
Sopore fas est, flamen ut aurea
Vnguenta de concha resignans
Rite linet morientis artus.
Circa nitentes est animus poli
Sedes, & arces; sic bene febrium
Solaris æstus, spe haud inani
Iungere Cælicolum choréas
Tragestienti. jam tibi limina
Patent Olympi; Relligio & parens
Tenet fatigatum profundis
Consiliis, agitatque mentem.
Nec frustra inunxit; fata morabitur
Plerumque olivum, & funus acerbius,
Cui pene Clotho parca fila
Absciderat breviore textu.

AD CARACCIOLVM DVCEM Matrimonio recens junctum.

Hortatur ad torum inviolatè servandum.

ODE XX.

O Flos juventæ purpureæ, integer
Intacti honoris, te pudor eripit
Vngui Diones; ritè sanctus
Carpit Hymen sine labe pulcher;
Vittata jungit se comitem Fides,
Et lætus auspex it pudor, it suo
Insignis ostro; pronuba ignem
Gratia splendidior coruscat.
Tu jure certo munia candidus
Debes, ut arcens fœdere vincula
Innectis, injectumque frænum
Lege pudor moderatur æqua.
Non ibit omnis liberior tori
Iuno, sed uni connubii fides
Sacrabitur, tædaque puris
Ignibus ad thalamum nitebunt:
Ferri juventas prona licentius
Timebit, impermissaquè gaudia
Furari, & insanus Cupido
Te vetitis agitare tædis.
Pectus pudicum non calet altera,
Lacæna virgo non tibi prænitet;
Nec flamma amantum te resorbens
Intus edet niveum videri.

Lau-

Laudandus æqua prolis imagine,
Parique vultu fraudis & abstinens
Injuriosæ, morte pejus
El[illegible]ium metues probrosum.
Culpata [illegible] crimine stet fides,
Sat certa natorum, haud pietas patris
Dilapsa cedat, nec cruentum
Agna lupum, generetve tigrim.
Lucina telis mitior asperis
Parcat. labores illa puerperæ
Levare lenis curret ultro
Difficiles aperire partus.
Pudica conjux parte domum juvet,
Dulcesque natos; lis neque distrahat
Virum querelis intonata
Fœmineis, tumidoque fluctu.

AD PATRVM CONCILIVM

De propagatione religionis sub Gregorio XV.

ODE XXI.

PAnde nunc oras pelagi repostas,
Gentium & latè sola barbararum,
Fama, quid cessas? pia signa tendat
Roma Quirini.
Magne nunc Pastor populorum, Olympi
Claviger stellantis uterque Solis
Limes extremus tua pronus orbis
Fœdera jungat.
Pervicax olim, neque docta flecti
Gens, novis aris, & amica templis,

Sponte jam cultu Latio renidet
Transfuga Ditis.
Indicus mœret sine honore Chamus;
Nescius fati cecidit Pagodes;
Sinicis Pluton equitare campis
Desiit audax,
Odit & Bungus, male pejorato
Iure, culpari; metuitque verti
Dura mens Regi malè blandienti,
Dura minanti.
Fontis integri latice expiatus
Ritibus Memnon caret obsoletis;
Immerens aris caret Orcus, Indi ac
Thuris odore.
Arduas moles violens securis
Vrget & casu graviore prisca
Fana procumbunt, simulacra & atro
Turpia fumo.
Summovet noctem pia cura Patrum,
Cæca & Aurora tenebras Eoo
Littori; & quondam Stygiis dicari
Dedocet aras.
Pallet & sacrum trepidus Melancthon
Fulmen, & sæva face devoventem
Vindicem; summi metuenda Patris
Iura veretur.
Vt tonans sacras jaculatur iras
Vltor, ac Diras acuit severus,
Arbiter tædis sub Averna nigris
Tellere fontes.
Quid Pater sistit? mora nulla, fortes
Destinet mundi lateri aut rigenti,

Aut

Aut latebrosis Orientis oris
Mittere malit.
Providus ne quà Latii laboret
Et fides, & Relligio, cavebit;
Iusque sacratum properabit amplis
Prodere terris.
Omnis hæc jussis animosa vestris
Crescit Ignatî soboles, & agmen.
Nulla materno gemitu citatos
Aura retardat.
Fidus ut Miles caput obligavit
Principis dicto Latii, inter omnem
Alcam rerum, Stygio minatur
Arma Tyranno.
Igneum laudo, rapidumque amorem,
Nullius pœnæ pavidosve lethi,
Quorum atrox virtus trepidat parata
Tingere ferrum.

AD GREGORIUM XV, PONT. MAX.

Decreta ab eo facta laudantur.

ODE XXII.

O Virine Princeps, maxime flaminum,
Edixit unum quem Deus arbitrum
Promendi; Olympi seu premendi
Ritè sera, rigidoque vecte.
Defendis acer tu bene Virginem
Non inquinatam labe parentium;
Frustra antecedentem fatigat

Non teter olim ſpiritus inficit
Fallacis hydri ; colla tumentia
Obtrivit atram dividentis
Ore luem, nocuumque virus.
Fatalis illam tangere neſciit
Chimæra, flamma principe liberam ;
Nec damna dementis Novercæ
Mæruit, impatiens ſuperbo
Parere Diti ſerva ; ſed arbiter
Pœnæ probroſis eripuit Pater
Malis, verecundamque Nati
Præſtituit ſine labe matrem.
Noſtrum duellum non tulit, innocens
Et Orcus illi temperat : ô decus
Inſigne maternum, reorum
Exuperans hominum ruinas.
Multum pudicæ matris honoribus
Crimen paternum diſtat, & improbus
Error ; nec æſtu viperino
Sivit Amor tumuiſſe pectus.
Parens Tonantis ſcilicet æneis ?
Captiva loris brachia vinciet ?
Ruetque (prô matris verendum
Nomen) in exitium nepotum ?
O magne vindex, ô decorum unice
Tutor ; renidet pulcher honos, tua
Quem lex, & ingens cura Nati
Expediit per acuta lingua.
Tu ſacra feſtis lucibus annuis
Firmans, abhorres dedecoris nota,
Timente decreto refigi ;
Quod ſemel inſtituis tueri

Roma-

Romanus auctor, non erit irritum,
Nec labem avitam spargere candidæ
Impunè Divæ profitebor
Voce palam maculare inaudax.
Tu purpuratum concilium regens
Tumultuosi materiem amoves
Honoris, inque altum cacumen
Plus nimio trepidare mentem
Vetas; ut iras, & querimonias
Irritat acres ambitio ferox;
Componis æquus cuncta, sedans
Vim cupidæ, strepitumque Romæ;
Prudens futuri, provide posteri
Auspex, triformes nobilium Patrum
Curas, & arcanum legendi
Consilium sine fraude cœlas:
Sic abstinebit dissidu frequens
Senatus, alto digna silentio
Vt tu resignari vetabis
Iura viris taciturna ponens.
Quin & citatus Numine gesties
Sacrare Divos ditibus insulis;
Est vis ferendi tanta honoris
Tergemini, superique cultus.
Vnum piorum te, Pater, attinet
Delubra, & aras tollere debitas,
Caput coronantem coruscum
Purpureis radiis, & auro.
Tu das Olympo sistere lucido,
Magnos Quirites atheris ardui

Illos opima prosequeris dape,
Desuso & olim Numinis abditi
Cruore, Cælestumque mensa
Indigetes adhibes recentes,
Donare Cælo largus, & hostia
Beare magna. vox tua Romulis
Æternat aris, & beatis
Muneribus, titulisque Divûm.
Hoc casta nuper jure Teresia
Herois arces obtinet igneas;
Philippus heros hoc dicatur,
Et sacer Hesperiæ Colonus.
Sic excitatis Cantaber interest
Lojola templis, thuraque promeret;
Quique Indiam lustravit, olim
Morte recens, tumulo ac superstes.
Non hæc honorum finis, & ultima
Laus gentis; astris mille paras Duces,
Vt ritè de virtute mira
Feceris arbitrium supremum.
Divinus abdens hæc monuit Senex
Quondam. Iubebit maxima providus,
Nec sanciet commune quicquam
Ille pater Latii Quirinus.

AD FERDINANDVM AVST. IMPER.

Divino cum præsidio firmat.

ODE XXIII.

N*On tú secundùm vota rebellium*
Injurioso Marte domabilis

Per-

Peribis, ò tutela, & ingens,
Austriade, columen Quirini.
Quid nunc superbit rege Bohemia
Tumultuoso? præsidio ferox
Divûm secures, atque fasces
Eripies domino immerenti.
Sunt certa rerum oracula, provida
Et voce firmant; spes alit auxilI
Præsentis; & vim martialem
Sufficiet Pater ipse magnus;
Te te cruenta (ne trepida) manu
Natus tuetur, vulnere fortior;
Hostemque fundès expeditus
Perque dolos, aciemque ferri.
Immane quamvis lurida gens tibi
Minetur Orci, damna per aspera,
Irasque debacchata cæcas,
Nil vacuæ tetigere fraudes.
Tu nixus alto robore consilI
Ne cede damnis, te statuet tua
Virtus per emensos labores
Littore, non iterum resorbens
Sub æstuosi saxa Capharei,
Syrtesque belli; macte ferocia,
Neu fata detrecta; per altum
Ducit iter pietas avita.
Tu contumacem Saxona, tu gravem
Dacum refringes; & furor impius
Centum reluctatus catenis
Discet ab Austriaco domari.
Præterviventi frena superbiæ

Per Teutonum campos nivales
Usque vagas equitare turmas
Impune: nostra sanguine barbaro
Cædi parentabis, minimum & feres:
Inultus; hostilis cruoris
Fœnore fas reparare cladem.
O perge patri subdere Romulo
Gentem rebellem. ritè laboribus
Functus reponeris piorum
Ordinibus, meritoque Cælo.

IN SICARIUM HENRICI VIII, Galliæ Regis Paricidam.

Indignum facinus execratur.

ODE XXIV. Esiod. 17.

Non monstra tellus Africana parturit
Magis pavenda, dira non Lernæ palus,
Ut ille furiis agitur atrox furcifer
Mucrone eburnis imminens cervicibus;
Parce ah furori, parce sæva dextera,
Devoto & ensi; per decus trabeæ precor,
Per sceptra non movenda, per sacrum caput:
Permovit olim gratus aspectus MarI:
Lictorem, & ingens instar, & supercilI
Species verenda; vultus AntonI, & lepos
Mollivit, acrem qui securim intenderat.
Quo pergis amens? ô caduca fulmina
Cæli tonantis, ô citati præsidI
Centum cohortes, Gallicana robora:

It, it cruore delibutus carnifex
Cruore pulchro. vile prô regni decus.
Emense curru, Phœbe, purpureo polum,
Currum tueris sanguine atrum regio?
O non cruenta barbari Sicarii
Tangende dextra, Galliæ magnæ potens
Sic occidis? fatale sic ferrum imbuis?
Innoxiamque purpuram tabo inficis?
Vittate frontem, & regio cultu sacer,
Fragrante olivo verticem quondam lite?
Tu densa suete castra ferro fundere?
Te Mars ovantem protulit tot nobilem
Palmis? ut ille martius jacet, jacet
Vigor? nec hostes frangit adversos metu:
Cervici inultus tela torquatæ imprimat
Satelles Orci? jugulum & infestus petat?
Nunc differatur artubus scissis lacer,
Distractus infelicium jugo arborum.

IN PERSONATVM.

Licentiam inhibet mortis memoria.

ODE XXV. *l. 1 od. 21.*

MVtare vultum deterioribus
Insaniendo cur juvat? excute
Bacchi furorem; mitte formam
Horrificis violare monstris:
Quæ Saga, quæ te fœmina Thessalis
Nuper venenis imbuit? heu pudor,
Quam turpis horres, & videri
Decolor, & sine honore frontis?
Vis os ferinum tu quoque sumere
Formidolosa brutus imagine?

Cacosque per lucos vagari
Vocibus exululans pudendis ?
Mortale corpus Taygeti feris
Discrevit auctor, lumina dirigens
Cælo ; nec immanem sub altis
Progenuit Nemee esculetis.
Compesce mentem ; cras tibi pulvere
Crines inhorrescent bene sordido ;
Oblite sortis ne remittas
Quærere, quid cineri ipse debes
Mortis sodali ; dedecorum artifex
Prælis tuorum : mox tibi luridum
Illa inquinabit fœda vultum,
Atque faces facie tepebunt.
Te cruda Clotho, te premet Atropos
Minore filo, demetet & breves
Virentis annos ; ecce tendit
Persephone secuisse crines.
Deforme pallens efferet, efferet
Venus cadaver ; nil veneris licet
Insit rigenti ; sic Averni
Sæva palus, redoletve Lernes.
Pingui, & dapali te nitidum Iove
Signabit atra Mercurius nota.
Quin temperas nunc læta mœstis ?
Et levibus graviora misces ?

AD REVERTERAM
De Ciner'alibus.

Abstemium nunc maximè jubet esse.

ODE XXVI.

Tandem vagantem coge licentiam,
Et pulvere atro colline verticem
Mortalis, haud oblite nigri
Funeris; indomitæque mortis.
Formanda curis asperioribus
Mens est; terendum nunc iter arduum
Olympo, inexpletique ventris
Ingluvies cohibenda, & omnis
Mittenda culpæ materies, fame
Domante luxum. si bene pœnitet,
Nunc livido sublimè flagro
Tange humeros sine amore lictor.
Lorica setis hispida muniat
Pectus, pudori tela Cupidinis
Thorace defendes trilici,
Zonaque te premet expolito
Acuta ferro. liberioribus
Hæc frena sunto. fas jubet in loco
Mœrere tædarum nigrarum
Te memorem, & graveolentis urnæ.
Levetur herbis pallida commodis
Fames, & ultra nil trepida pius;
Genus natantum appone cœnæ,
Et calamo leviore prædam.
Non qui salictis pascitur uvidis
Virente ripa ludere gestiens,

Aut rura Surrentina tondet
Te vitulus tener, aut saginet
Captiva perdix, caprea vel fugax,
Aperve Marsus. ne vacuos dole,
Silvane, saltus; neu labora
Nobilis aucupio Diana;
Severa virtus rite coagulo,
Fœtoque lactis temperat ubere,
Et sorbile ovum ducere ore
Relligio est mihi fas tuenti.
Oliva pingui pascet ab arboris
Caduca ramo, promptaque nux teri:
Narratur AntonI severi
Norma, avida procul arte, palma
Contenta fructu, perque nemus cavum
Currente lympha. nil sibi providi
Quicquam elaborarunt saporis
Consilii veteres magistri.
Serò moranti cœna parabitur,
Semelque; deflagrare meridiem
Vt senties, acremque Phœbum
Præcipiti properare curru.
Neu perge sub noctem exiguum supra
Libasse frustum. pendere lancibus
Æquis memento non paratam
Igne dapem, Cereremque parcam.
Præferre vultus illuviem tamen
Noli, nec horrentem male contrahe,
Sed explica frontem nitentem, &
Sparge comam redolente nardo.
Nec vera virtus detrahitur sono
Plaudente vulgi; negligit horrida

Blan-

Blandum favorem, vel notari
Indice amans popularis auræ.
Mens usque sævi cauta negotii
Timet, procellis enatet ultimis
Vt tuta cymbe, sæpe votis
Pacta piis, miseroque fletu,
Formidolosum te decet exitum
Pallere vitæ, quem Pater abdidit,
Et nocte cæca pressit, hora
Iam celeres quatiente pennas:
Matura paucis nempe necessitas,
Acerba multis funera destinat,
Incerta causæ, certa casus,
Asperior tibi, sæva cunctis,
Mortale robur sternere pertinax,
Vrnaque parva condere pulverem.
O Roma princeps, barbarorum
O apices, trabeæque Regum,
Fractique fasces. occupat, occupat
Mortis securis jura securium;
Nil vana prodest umbra magni
Nominis, & sine luce imago.
Iam vis hebescit corpore languido,
Palletque teter vultus, & horridus
Cunctis videri, teque semper
Purpureum fuge suspicari.
Malas decentes exarat asperis
Senecta rugis; illæ abeunt faces
Olim genarum, turpe canis
Iam nivibus capite albicante;
Nullos amores Gratia pristinos
Spirabit ultra, atque illa tot artium

Forma, ut tepescens oris ignis
Labitur in tenues favillas.
Iam flamma venas decoquit, & jecur
Depascit ardens, jam furit impotens,
Et febris exsuctis medullis
Suscitat indomitam Chimaram:
Reddente fatis omne Proserpina
Caput, juventæ credulus abstine;
Adest quod ævi cumque, norma
Vindice, composuisse gaude.

AD FILOMARINUM
De Cineralibus.

Ad virtutem incitat proposita vitæ brevitate.

ODE XXVII.

NUnc tempus acri flagitium, ac nefas
Domare pœna; guttura Cerberi
Iejunus eludes, fameque
Sæva fames inhibetur Orci.
Perjura, nescis, excidit, excidit
Fides juventæ, vitaque finibus
Metata parvis, Sors ut altè
Fixit agens adamante clavos.
Deesse curtis consiliis solet
Plerumque Clotho, scilicet invida
Produxe filum; fraudulento
Cuncta time periture fato.
Sic detumebit spiritus impotens
Sui; minorem pone superbiam,
Et pulverem admisce protervis
Consiliis, moriture quondam

Mors demetendo primaque & ultima
Consternit urgens. se tibi prafica
Nequicquam adunco turpis ungui
Differat, & Libitina questus
Irritet acres. certior occides
Magni parentis cura, cupidinum
Vt abstines; componet urna
Morte soporifera quietum;
Curabit artus reddere strenuus
Mirè refectos, quos semel obruit
Fatale tempus, quondam adesos
Ille potens reparare vita.
Ergo resigna condita pauperi
Prudens futuri. prasidio precum,
Famisque jejuna, secunda
Per dubias feret aura syrtes.

AD CRISPVM SACERDOTEM. De igni animos purgante. Hortatur, ut pro iis ritè faciat.

ODE XXVIII. *l.5.od.16.*

O Magna vindex, ô Nemesis potens
Torrentis ignis, pone modum, precor,
Tandem dolori, pone flamma,
Pone rogo scelus expianti.
Non Ætna candens rupibus igneis,
Non sic Vesevi flamma biverticis,
Cumaa non aquè perurit
Sulphureo revoluta nimbo,
Purgans ut ignis; quem neque plurimus
Restinguet Ister, nec premet Adria,

Non uda Plejas, non Orion,
Diluvies neque fleta Pyrrha.
Fertur camino Mulciber acrius
Versare anhelos; haud aliter furit
Avernus astus pervicaci
Corripiens Acheronta flamma.
Ah parce castis, & miserabiles,
Vulcane, Manes ignibus expedi,
Quos creditos debes Olympo, &
Sideribus meliore flamma.
Mox inserendos arcibus igneis
Ardere turpe est igne Cyclopeo:
Cœli ah verecundos Quirites
Tartareo prohibe camino.
Eheu Chimaram nec tamen igneam
Mortalis horret, nec lacrymabilis
Mœret laborantes sub acri
Supplicio gravioris Ætnæ.
Compesce tandem, Crispe, licentiam,
Et coge habenas; te quoque Mulciber
Tentabit immitis, rogoque
Hauriet, inque avidum caminum
Mittet dolentem. Nunc age liberis
Fer vota Divis: syrma sub horridis
Compone bustis; tum Quirini
Principis arbitrio potenti,
Nutuque magno supplicium leva,
Altum recludet scilicet athera;
Amor Parentis sape votis
Annuit, & revocat solutos.

AD VENATVM SACERDOTEM De igni animos purgante.

Vis ejus ignis ostenditur.

ODE XXIX. *l.4.od.16.*

Manes indigetes, atque opis indigos
Vindex pœna rogis excoquit, excoquit.
Nec rivo facili, nec fluvio licet
Flammas vincere vividas.
Vrget sollicitos carcere Mulciber,
Cyclopesque feri forcipe ahenea
Versant, sic scelerum difficiles notas
Delent, damnaque diluunt.
Adduxere sitim Tantaleam faces,
Nec septemgeminum ducere largius
Si Nilum liceat, temperet igneam
Ætnæ vim penetrabilis.
Sed vota, atque preces elicient rogo,
Flammarumque potens arbiter acrium:
Princeps Romuleus tristia corriget
Pœnarum eluere efficax.
Effudisse polum largus, & aridis
Indulgere animis flumine liquido;
Cœlum namque patet clavibus aureis,
Et postes adamantini.
Manes solve pios, & bonus expia,
Sævorumque memor, dum facis, ignium
Misce liba; dapes, seu Cererem levem
Fingant, seu Bromium liquor.

DE IOBELEO.

Implorat Cœlitum opem.

ODE XXX. *epod. carmen secul.*

Matris integræ soboles, Deoque
Par statu magno, sator ipse Divûm,
En ades votis pius, & frequenti
Consule Roma.
Sancte Amor, casti bone cordis hospes,
Tela qui tendis, nitidamque flammam,
Præpetis pennæ auspicio, revisens
Labere terras.
Cœlitum Regina, parens Tonantis
Lenis æternos aperire postes,
Et polo traduxe, tuere natos
Numen amantum.
Quinque jam lustris revolutus orbis,
Certus insignes retulit choréas,
Sole ter claro; & meliore terras
Luce rigante.
Omnis huc latè fluit unda vulgi;
Huc & extremis properatur oris,
Qua diem serus tegit, & renascens
Prodit Apollo.
Vrbe nil magna videt ille majus,
Credulis Roma populis ferenti
Iura sacrorum; & caput efferenti
Altius astris.
Petre, regnati moderator orbis,
Arbiter Cœli bipatentis altè,
Impios damnans Acheronte, tæda
Vindice, Manes,

Paulle,

Paulle, nunc cervice tumente ferrum
Conde, nunc hostem domita rebellem;
Perfidus pœnas luat; atque pugnæ
Horreat acrem.
Roma si vestra stat ope, & beatæ
Dedicant arces utriusque nomen,
Cesset incestas malesana terras
Currere Enyo;
Ille, qui tota natat urbe fusus
Sanguis heroum, vigeat. bonorum
Omne succrescat decus, affluentis
Munere Cœli.
Jam fides, & Relligio renidet
Hostibus neglecta, pudorque castus,
Atque honos; auro nitidumque Virtus
Suscitat ævum.
Aureo fulgens Amor acer arcu,
Cui duci latæ data cura gentis,
Remque Romanam, Latiasque leges
Didere terris,
Omnium regnator Amor, bonusque
ImperI tutor, cape tela victor,
Martios Ignatiadas, & agmen
Ede paratum.

AD TOMACELLUM

Vitæ brevitate proposita mores instruit,

ODE XXXI.

TU non ter amplo Neleidæ senis
Fungeris ævo, Cecla nepotibus

Mox te cupressus funere lurido
Sequetur atrum. vita volubilis
Defertur Euris incitatis;
Sed stadium brevioris ævi,
Sortite quamvis, tu meditaberis
Æterna fortis, consiliis agens
Perennibus mentem, quid ultra
Te maneat sapiens timere.
Dedisce luxum; mens erit acribus
Cogenda curis, more parentium;
Severus in præsens, & asper,
Tutus eris bene temperando
Amara lætis; quod tibi porrigit
Ætas dolendo corrige, & aggera
Lucro; juventas mox tepebit,
Teque brevem minuet senectus.
Languet caduco flore puertia,
Et grata desit forma; necessitas
Edura terris summovere
Vrget avos, veteremque vulgum.
Mortalis alter truditur altero,
Seclumque seclo; progenies recens
Subit cadentem, pergit omne
Postgenitum decus interire.
Currentis horæ munus avarior
Tene; negabit forsitan Atropos
Donare plures parca, ut annos
Occupat eripere haud verenti.

IN

IN PETVLANTEM IVVENEM

Deterret eum æterno cruciatu obiecto.

ODE XXXII. *l.2.od.14.*

DEvote turpi tu quoque Tænaro
Quid mente cæca flagitii moves?
Ah coge habenas, & protervum
Ingenium domitare cura.
Ex quo lacesſis Numina pervicax,
Amorum, & udi ſanguinis immemor,
Damnatus irarum, nocentem
Te Furiis, Ereboque debes.
Iunges adactos imbribus igneis
Supernè, & olim diluvie genus
Infame demerſum, marinam
Geryonum in Venerem ruentum,
Addicta flammæ monſtra tricorporum
Per damna ponti. coget agens gregem
Ahenea virga ſeverus
Orcus, & ore inhians trifauci
Depaſta nigrum Mors pecus, Africæ
Inſtar leænæ. Tiſiphone faces
Intentat, intortos & angues
Crine quatit rigido Megæra.
Horrebis agmen triſte ſilentium,
Et turpe vulgus. te canis occupat
Latratu, & exterret trilinguis,
Perque lacus ululans Avernos;
Lethenque inertem, ſtagnaque pallida
Fleture viſes, altaque Tænara,

Umbrasque deformesque Manes
Illuvie, miseramque turbam.
Pallebis Harpyiam, oraque Gorgonum,
Larvasque turpes, & Lemures nigros,
Furvosque Cyclopas, scientes
Arte nova reparare flammas.
Eheu voraci jam crepitat face
Extructus altis aggeribus rogus,
Per damna, collatasque pœnas;
Nec Nemesis positura quondam
Modum dolori, fert adamantinam
Necessitatem, juraque ferrea;
Clavos refiget nec trabales,
Quos semel instituens adegit.
Non te reducent Threiciæ fides,
Laboriosi cura vel Herculis:
Te tristis æternum resorbens
Pœna sub exitium, tenebit.
Mærebis annos immiserabilis
Interminatos, longaque sæcula;
Rapacis Orci fœda cum te
Proluvies sibi destinavit.
Votis moveri nescius haud Charon
Ullum revexit; non iterabilis
Mox exulem cymbe reponet
Te Stygis ulteriore ripa.
Audin? querelis horrida perstrepunt
Spelæa Ditis: probraque turpia
Diris acerbant execratis,
Guttur ut intumuit veneno.
Pungente cura sollicitum nefas
Mentem remordet; pœnaque funere

Exest

Exesi renascentem, volucris
Ceu Tytii jecur ulcerosum.
Nunc fas acutis questibus additum
Placare Numen; nunc gemitu pio
Divos fatigare; & severæ
Mentis ad arbitrium, nocentem
Te fuste duro cædere, barbarum
In morem & artus findere lividos
Ictu sub acri, bella movit
Vt puer Idalius pudori.
Desiste Cœli tela lacessere;
Quin falle Ditem, falle Acherontios
Fratres, sorores atque diras,
Sponte nefas tenuante pœna.

AD SVLPICIVM.

Hortatur ut vel leve peccatum ritè expiet.

ODE XXXIII.

TV nunc inerti languidus otio
Sic fortuitò, sic temere exigis
Ævum. malorumque immmentum
Deciperis leviore risu.
Diemque fallis callidus alea;
Oblite quanti post manet aleæ
Periculi, cæcæque sortis,
Nempè jaces malè feriatus,
Culpante quondam vel tenuem dolum
Minoë Divo; mundus ut occidet
Diffractus, & busto citabit
Rauca reum tuba funeratum.

Nil fert inultum, nec Nemesis levé
Impunè quicquam præterit: expiat
Discreta flamma atrox piorum,
Flamma rogi Stygii sodalis.
Vulcanus olim corriget acrius
Ludicra linguæ verba volubilis,
Nec ignis immunem nitere
Sidereos licet inter ignes.
Nunc Vaticano munere liberas
Obibis aras, fanaque prodiga
Salutis; indulgebit ultro
Plenus opum, Genitorquē amorum
Dives; te ut unda perluis, aut prece
Certa resolvis ritè, piaculo
Nummive sacri: sic Quirinus
Pura tibi properabit astra.

AD CAROLVM MASTRILLVM De ultimo judicio concionantem.

Vis, & efficacia dicentis ostenditur.

ODE XXXIV. *l.2.od.1.*

LAtè tonantem fana per ardua
Frequens juventus horruit, horruit,
Dijudicandam litem ut olim
Audiit, ac trepidum fragorem
Ruentis orbis, qua jacis ignea
Sententiarum fulmina? territas
Vt fulgurando? perque misces
Cuncta gravi tremefacta motu.
Natura monstris pressa novis, mali
Immane quantum parturit; asperam

Vim

Vindicis, implacatam & iram
Vindicis, & vitiis iniquam;
Nigrumque Solem, nigraque sidera,
Cæcumque Cælum; sanguinis illinis
Guttis Dianam, fati & Argo
Nescia jam natat inter ignes.
Rubescit orbis semita lactei;
Est ignis Arcton; decidit arduus
Polus, nec agmen dissipatum
Cogere amat niger Hesperugo.
Damnosa mundum comminuet dies
Dilapsum in ignes, franget & impetu
Volubili, divulsa ab imo
Cuncta rogum impositura in unum.
Formidolosæ scena Tragœdiæ
Templi theatro jam patet, & faces,
Tædaque debacchantur atræ,
Incubuit cinis altus orbi.
Ad busta non jam surda moves tubam
Auditam Averni sedibus intimis;
Vmbrasque; deflagrata & urges
Corpora, sollicitumque vulgus.
Exsomnis alto de tumulo stupet
Natura; pallentum libet agmina
Mirari, & exangues catervas
Purpureas animare venas.
Coram minacem constituis Deum
Vltrice flamma; sæva supercilI,
Et alta majestas fugaces
Terret agens sub Averna Manes.
Acerbus oris projicit impios,
Truditque vindex in cava Tartara,

Ætnaque flammanti; pyraque
Subjicit arbitrio tenaci,
Certaque constans lege; nocentibus
Quod sanxit ille, haud corripiat, neque
Antiquet; æternumque solvent,
Quod sceleri semel irrogavit
Multa, irretexto stamine; non ego
Fractus procellis ad miseras preces
Decurrero, pactus dolendo,
Ne violens premat ira sontem.
Non me sub atro turbine pallidum
Divûm silentum cura tuebitur;
Lævos nec orbis per tumultus
Alitibus feret aura dextris.
Ceu cum strepentem plurimus Aufidum
Irritat imber, volvitur & pecus,
Et arbor una, stirpe rapta
Montibus, & resonante silva.
Fatalis ætas imminet, imminet
Tonantis ira; Mulciber obruet
Vastator Europæ ruinas,
Atque Asiæ, Libyæque magnæ.
Præsensit Orco seu malè debitum,
Seu destinatum præstituit polo,
Haud consilI divini operta, &
Difficiles ineam recessus.
Maturus aris nunc, pater, occupa
Mactare honores; cum facis hostia,
Mollibis edurum Tonantem
Thure pio, & lacrymante voto.

AD

AD BRANCACCIVM.

Hortatur, ut corpus ſponte divexet.

ODE XXXV.

NEgas amori tu benè perbrevem,
Amice, ludum; ludis & impium
Plutona prudens, ſæva mutans
Tanara ſupplicio ſevero.
Domant equinæ corpus, & hiſpidæ
Infranæ ſetæ; pœnaque libera
Thorace cingit: jure tela,
Vimque Cupidineam tremiſcis.
Artis Ciliſſa fers opus, efficax
Defendere ictum mœnibus, & grave
Tormentum, ut immanis baliſta
Impulit, aut aries premendo.
Quin terga flagris pelle crepantibus,
Livore pulcher; ſævaque verberum
Grando recrudeſcente pœna
Diluviem minitetur ultrò
Cruoris udi. ſic fugit improbus
Puer Cytheres; Idalium in nemus
Se victus abdit, jamque inaudax
Mittere vipereo ſagittas
Cruore tinctas. profuit haud tori
Decumbere oſtro, ſed caput aſpero
Triviſſe ſaxo, & ſæpe votis
Pervigiles agitare noctes.
Integra Nais, puraqua comparis
Bacchi levabit fonte ſitim; nihil
Plus adlabores parcus undæ
Ac Cereri, patiens carere.

Pacata mentis regna merebere
Nullis adactus seditionibus,
Sed pace compositus quieta,
Nec dape, nec nimius Lyæo.

DE EXCVRSIONE TVRCARVM.

Deum nostris vitiis iratum dicit.

ODE XXXVI. *l.4.od.5.*

QVid arma duri sanguine tingimus
Nostro? ruinis incubat, incubat
Gementis Europæ superbus
Hostis, & imperium fatigat,
Soluta fertur Thracia Bosporo
Centaurus ingens, & Scythiæ manus
Onusta prædis, Adrianus
Ausa fretis equitare, inulti
Secura Martis, classis & Itala.
Impune prædo pervolat, oppida
Ferroque devastans, & igni
Ausoniæ male feriatæ.
Stant saxa nostro lubrica sanguine,
Et cæde Tethys decolor impia;
Iacent marinis esca phocis
Corpora, & alitibus relicta.
Culpis iniquo scilicet hæc tonat
Procella Cœlo; Tisiphone quatit
Vltrix inexorata tædam,
Et meritum sceleri flagellum.
Illa hæc Scytharum protulit agmina,
Thracesque, & acres Odrysios ciet

In imperI magni pudendum

Dedecus, opprobriumque gentis.

Gens, quæ piorum jactat inutile

Nomen, quid ultra Numina provocat?

Secreta Cocyto juventus,

Atque nigrum dolitura Avernum.

Ergo merentes pœna premit reos,

Ferroque cervicem domat arduam,

Menteſque frangit pervicaces;

Ecce furit Scythia tyrannus

Toto paventes perdere Nereo,

Cruore noſtrorum ebrius; & modus

Deſit furori; criminoſos

Cæde Pater minus expiavit;

Immanſuetis uſque adeo diu

Turbatur Aſſus, Dacia parturit

Immane bellum, nec minari

Deſinit, increpitans acuto

Fragore Bellonæ: meritò additi

Divi fatigant Heſperiam malis,

Ferroque devotas, & Orco

Inferias ſine amore mactant.

AD SPINELLUM

graviter ægrotantem.

Solatur eum ſpe proximæ felicitatis.

ODE XXXVII.

TE nunc acuto vulnere verius

Spinæ cruentant; te dolor acrius

Pungit, nec immunem ſodalem

Sic mœror urget. scilicet heu tuis
Immane quantum febris inæstuat
Anhela membris, inquieta ut
Vena salit spatiis iniquis.
Et nunc inhorres frigore pallido,
Nunc te Chimaræ vis gravis igneæ
Exhaurit afflans, dum severè
Cura negat pia fontis undas.
Vt cæcus humor pectore fervido
Deprœliatur? tendit ut intima
Præcordia ardor? flagrat Ætna
Vt tacita jecur æstuosum?
Scabrasque fauces ut sitis asperat?
Ceu frons ab ictu dissilit æneo;
Iam cedit ars, cessere succi
Pæonii, liquidumque nectar,
Frustraque radix finibus Indicis
Quæsita, & arbos nescia didita
Europæ, & ungues belluarum
Difficili pretio repensi.
Dulcis juventæ nunc ubi murices?
Quid nunc superstes nobilis illius
Formæ? assidenti ô dulce votum
Fratri, & amor brevior dolenti.
O jam facessat dura necessitas,
O mite parcat lex adamantina,
Nec Mors acerbo fasce, pulchro
Tendat agens capiti securim.
Sed te labores inter amabiles
Virtus beatis destinat insulis
Solata spe nolente falli
Sæva tori mala, sæva morbi.

AD LOFFREDVM
confcien. fcrupulis laborantem.
Ejus morbi damna docet.

ODE XXXVIII. *l.1.od.27.*

QVid uſque te urges increpitans reum,
Sontemque damnans exagitas metu?
Pudore ſeu culpante Cyprin,
Sive capi facilem juventam.
Quis te implicatis expediet plagis?
Flamenve ſolvet callidus? ah miſer
Quanto fatigatus ſub æſtu
Conſilii dubius laboras.
Compone mentem, deſine tandiu
Curæ inquietæ, plus nimio ſagax;
Omitte ſcrutari latebrâ
Ima, ſupervacuo labore.
Quis cæca norit crimina, vulneris
Locoſque? acutis non ſemel unguibus
Turpis recrudeſcit cicatrix,
Et ſaniem temerè remittit.
O jam quieto conde ſilentio
Quæcumque noxæ ſollicitum tenent,
Nec uſque contemplere ſordes,
Atque animi mala criminoſi.
Sat expiarunt & dolor, & piæ
Vltoris iræ, tergaque funibus
Peruſta, ferro ac turbinato,
Et rigidis chlamys aſpra ſetis.
Prudens viarum tu mediam tene,
Neu feriata crede licentia

Impune

Impune fidens, neu timore
Ancipiti nimium vacilla.
Plerumque mœror pectora macerat,
Statuque mentem demovet, & furit
Insaniendo, atque in ruinam
Misit agens, dubiaque vita
Fastidiosum perdidit: horridam
Frontem serena; sidera te decet
Sperare castum, largiore
Sanguine sat scelus eluente.

AD PVDICVM ADOLESCENTEM.

Quàm facilè pudor amittatur, monet.

ODE XXXIX. *l.2.od.13.*

ACer Cupido tela rubentia
Cudit cruenta cote, cor impotens
Fœdare flammis in pudoris
Opprobrium, maculamque fama.
Sed te latentes non aget in plagas;
Diffringet arcum, telaque Colchidis
Imbuta Medea veneno,
Turpe faces agitare inaudax.
Cautum dolosi damna tamen juvat
Vitare in horas; ne tibi candido,
Ne fide prudens, usque vafro
Cœca timens ab Amore fata.
Evade damnis per celerem fugam
Parthi; nec armis cominus improbum
Hostem fatigabis, triumphans
Arte nova fugitivus ultro.

Ple-

Plerumque fraudis notus aheneas
Infert catenas fortibus, & male
Tutis; & improvisa flamma
Vis rapuit temerè feroces.
Quam penè vidit Tartara regius
Orpheus? ut arsit vinctus amoribus
Contaminatis, atque iniqua
Cæde rubens Ducis immerentis?
Illum canentem sit licet aureo
Mirata plectro patria Bethlee,
Prædamque direptam leonis
Vnguibus, & lanìantis ursi.
Hoc ille sævum carmine temperat
Impune regem, atque exigit hospitem
Plutona membris, sic furentis
Indomitæ cohibentur iræ.
Tandem quieto pectore detument
Æstus, canoras ut pepulit fides,
Nec lancea curat minaci
Immeritum violare vatem.

IN PROCACEM ADOLESCENTEM.

Intentat illi irati Dei fulmen.

ODE XXXX. *l.1.od.34.*

QVo tendis amens? heu fuge liberè
Bacchari amando. mitte Cupidinem
Cæcum, verecundamque mentem
Consilio stabili tuere.
Quondam procaces namque tonans Pater
Hostes corusco fulmine perculit;

Immun-

Imumque demissos ad Orcum
Diluvie, pluviaque flamma
Resorbuit, nunc & manet horrida
Rubigo, tabesque, & cinis arborum,
Seu poma mentitus, dolosum
Seu vitio interiore Bacchum.
Sic impudicos exagitat Deus
Donans nitenti sidere candidas
Mentes; & illos telo acuto
Sustulit, has beat ore pulchro.

DE ECSTASI CVIVSDAM VIRGINIS NEAP.

Religiosarum Virginum Parentis.

ODE XXXXI.

Mater ô castæ sobolis, pudica
Mater, ut mentis rapit ardor? ut te
Vectat aurato super astra virtus
Axe Bootæ?
Dum poli pictam meditaris aulam,
Nobilem stellis imitaris Arcton;
Hæc salo tingi metuit, solum tu
Tangere nescis.
Te leves nubes pedibus prementem
Promovet penna leviore in altum
Ocyor telis Amor, incitatis
Ocyor Euris.
Currere æternos jubet ille cursus,
Arduos tractus liquido secantem
Calle; mortalem neque te restando
Aura retardat.

Cum

Cum tibi cordis saliere fibræ,
Pectoris flagrans & inarsit ignis,
Nulla vis lapsum celerem moratur
Præpetis alæ.
Prompta prægestis sociare Cœlo
Virgines; mirum, Superos adauges
Scilicet spirans, & humi superstes
Civis Olympi.
Iam frui sponso potis una Divo,
Virgo jam tædis habilis, toroque
Floris æterni; tua magna dos est
Cura pudoris.
Ecce nectentem Superûm choréas
Astra deducunt, subeuntem & alto
Ætheri mirantur adhuc caduca
Mole gravatam.
Ipse te vidi subitò soluta
Mente lymphatam, atque Deo resorptam;
Marmori vidi similem, atque eandem
Corde liquato.
Fervidum pectus tumet intus, & cor
Solvitur, duravit Amor sed extra,
Dædalus qualem potuit magister
Sculpere formare.
Ebrios sensus inhiantis implet,
Sobrios æstus sitientis explet,
Aureo cratere tibi propinans
Nectar amantum:
Membra ceu dulci rigat ille somno,
Interim sponso vigil elaboras;
Mens & arcanis agitata curis
Corda fatigat.

Saua

Sana vis, sanus furor urget œstro
Dulce bacchantem, meliore thyrso
Quam furit demens ululata circum
Dindyma Mænas.
Templa dum Cœli spatiosa lustras,
Astra te Cælo speciosa poscunt;
Vince majorem novus ignis Arcton,
Vince minorem.
Tolle cognatis, Amor inquit, astris,
Tolle te Cælo tibi destinato:
Curre regnatas Domino Tonanti
Visere sedes.
Mitte jam terras operosa inertes;
Namque nitentem per inane magnum
Pluma te librat mea; concitata
Mente virago
Igneas Cœli bipatentis arces
Pervola; magnos ibi tu Quirites
Inter, exultim trepida sodales
Iungere Divos.
I, vigor, quò te rapit acer, & quò
Vis potens cordis citat, i beato
Pignore, & jam nunc patrio potiri
Incipe Cœlo.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM

SIVE

ODARVM

LIBER III.

De Chriſto recens nato.

Προαύλιον.



Hiloſophatus ne, an fabulatus eſt Plato, cum dixit diſcumbentibus Diis, ex Poro conſilii, & abundantiæ Deo, & ex Penia paupertatis Dea in amœniſſimo, & conſito floribus hortulo natum Amorem. hoc certè nobis ſine fabula conſtat, Chriſtum veri Amoris imaginem, ac ſimulacrum ex parente Deo bonis omnibus affluente, & ex virgine pauperrima natum, hoc diſcrimine, quòd non in hortulo, ſed in ſtabulo, non in molli flore ſit collocatus, ſed in duro ſolo jacuerit abjectus. quanto nunc ſapientius, ſi adeſſet in hoc ſtabulo, de Amore philoſopharetur Plato? apud quem Socrates ea narrat, quæ à

Diotima muliere fatidica ſe accepiſſe dicit. in eo dialogo Amorem natu grandem, ac Deorum antiquiſſimum facit Phædrus; negat Agatho, ac potius tenerum, flexibilem, mollem putat. utrius vera ſententia? utramque compone: eſt Amor antiquiſſimus, immo æternus; eſt idem puer, ac tenerrimus. quod autem ab eodem Agathone dicitur, aquæ inſtar liquidum eſſe Amorem, ut per totum amantis animum circumfluere poſſit, non eſt omnino à re alienum. teſtes ſunt illæ lacrymulæ, in quas divinus hic penè ſolvitur, & colliqueſcit. illud tamen quod addit Agatho, rigida omnia, atque dura refugi ab Amore, quippe delicato, ac tenero, non admitto, cum in duriſſimo ſolo, rigidiſſimo anni tempore ultro jacentem videam. Excipiunt interim illum cœleſtes ſymphoniaci; tibicines, lyriſtæ, citharœdi. quid? his ego me immiſceam? quod eſt impudentiæ, ſcio quam ingratum ſit ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεναι. an lyra certem cum immortalibus? quod eſt audaciæ. venit in mentem Marſyæ Phrygii tibicinis, qui ſimilis temeritatis pœnas dediſſe fingitur. fuit is Theognidis filius, qui primus leges muſicas ad laudes Deorum, quibus uſi ſunt in celebritatibus Græci, accommodavit: in Niſam civitatem profectus, ubi tum Apollo ob

lo ob inventam citharam, & ejus artis peritiam magno in honore habebatur, cum eo contendere est ausus; sed cum tantũ artem ostenderet inertem, contra vero Apollo suavissime caneret, ac citharam temperaret aptissime, victus Marsias tumentibus obstrepens buccis pœnas dedit audaciæ, pelle viventi detracta, ut est apud Nicandrum. quid igitur? in certamen veniam cum cœlestibus symphoniacis? equidem non auderem meam inferre lyram in illud odéum, nisi viderem pastorum etiam fistulis locum dari. præterea monet paræmia, ut si citharœdus esse nequeas, aulœdus fias; non modo secundas, sed ultimas obtinere in hac re maxime honestum erit, & jucundum; modo liceat nato jam, ac vagienti Deo (novum genus officii) quoquo modo blandiri, & gratulari.

IN CHRISTVM RECENS NATVM.

Præstolatur maturum ejus ortum.

ODE I. *Hor. l. 3. od. 24.*

O Magna Patris progenies, tibi
Non antè tellus gratior unicè
Suspirat: adsis Dive; longas
Tolle moras, cape lucis auras.
Mox clarus altè sidereum Pater
Ostendet ignem; pronuba fingitur
Iam Stella Cœlo, nocte pulchra
Tergeminos referente Soles.
Iam Pastor antrum, cum grege candido,
Divis amicus quærit, & horridum
Cubile brutorum, procellis
Æoliis agitata tecta.
Tu nè, potentem quid deceat Deum,
Cura, sed ægris terrigenis cave,
Quid Orcus, & regnata Diti
Tænara, Tisiphoneque tendant,
Succurre præsens; nec decet irritum,
Quodcumque quondam pollicitus tuis,
Diffingere, & mutare mentem,
Quam pietas semel alma fixit.
Amor trementem rupe sub aspera,
Amor sub uda nocte recolliget;
Et senties mortalis Euros,
Atque Notos hyemis ministros.
Amor suorum providus arbiter,
Et nos Olympo sistere pertinax

Trans-

Transmutat aeternos honores,
Teque polo rapit, & rebelles
Infert beatos: jam celeres citat
Pennas; sub antro jam locat, & brevi
Te carbaso involvens, tulisse
Pauperiem, nova damna, cogit.
Tuum est, Averno si rapimur rei
Damnis paternis, ad miseros pium
Accurrere, & letho pacisci,
Sanguine purpureoque, ne ima
Lethe premamur, ne Styge lurida:
Sic nos amantis praesidio Dei
Tutos per omnes Patris iras
Ducet Amor benefidus auspex.

Incommoda praesepis ostendit.

ODE II.

Qui templa Caeli caerula concutis
Tonante flamma, concuteris gelu;
Acuta tendens tela, acutam
Fers glaciem, & penetrale frigus.
Poli nitentis daedalus artifex
Incultus horres vilior abjici,
Parvaque Bethles exul antrum
Incolis, hospitiumque brutum.
Insana dudum sidera Pleiadum,
Capraeque perfers, natus ad hispidas
Nives, & immanem caverna
Egelidae gemis, ecce, cautem.
Diverberatum fers Borea latus
Objectus iris parvulus Africi,

Iacesque collatis aristis
Dulce decus Genitoris infans:
Sanguis pudicæ matris, & integræ,
Castumque nodum solvere nesciæ;
Pannis inornatum sub ima
Rupe lates, sine honore, Numen.
Te multum amantem ut pallidus arguit
Color? decoras ut violæ genas
Tingunt? malorum ignarus ante
Discis amans nova damna ferre.
Non obsoleti te tuguri decent
Sordes, paterni pectoris unicè,
Et mentis obtutu profundæ
Progenitum, pariterque Divum.
Hic præter omnes risit amabilis
Sinus latébræ; non ibi Tityri
Avena decedit canoris
Alitibus, Superisque certat.
Tu dulcè ocellos dum jacis igneos,
Mi saucium cor pectore deripis;
Pates sagitta, jam pates, ô,
Verus Amor, Deus ille verus,
Numenque cordis. te licet asperent
Acres pruinæ, stringat iners hyems
Manum stupentem, notus artis
Haud vacuæ premis acer ictum.

Immaturum infantem pœnis dicit.

ODE III. *l.2. od.5.*

AH nondum Amoris ferre vales onus
Laboriosum, parvule, nec minor

Æqua.

Æquare magnum; parce durum
Pauperie tolerare pondus.
Circa cruentos mens agitur tua
Statim dolores; nunc nive temperas
Cor æstuosum, præque gestis
Pungere acu stipulæ rigentis
Artus tenellos; ne rue vulneri
Acerbus infans; mox tibi lividos
Dumeta crines triste carpent,
Tempora diripientque serto.
Iam te lacessit, pone subit gradu
Citata Mors, & vere sub aureo
Decerpet annos; jam volentem
Cruda Deum petit, atque figet
Cedro trabali; nec putet arduum
Extinxe letho: pallida tum soror
Phœbi negata luce flebit,
Accelerans simul insolentem
Titana condet; tum quoque sidera
Mærere cernam; fallet humum dies
Obscurus agnosci, per umbras
Nocte novas properante currum.

Quam indignum Deo tugurium sit, ostendit.

ODE IV. *l.3.od.17.*

INfans paterno nobilis ab sinu
(Quando & feracis tu satus ingenI
Tuentis altè se fruendo,
Diceris, & referens imago)
Parente ab illo ducis originem,
Signatus à quo es Numine proprio,

Ingens, & indiſcreta magni
Vis animi, & genialis ortus.
Quod triſte vagis? cur ſub inhoſpita
Tellure inhorres? deſine turpium
Opprobriorum, nec paternum in
Dedecus abjicias jacentem
Deum, Boréo neve ſeces gelu;
Cernis? ruinoſum trepidat ſpecus,
Quod ſæva tempeſtas repente
Sternet agens. Amor ah tenello
Compone ſtratum mollius, aridum
Repone lignum; ſemina dulcium
Excude ſlammarum: fovet hos
Nare tepens, operum ſolutus.

Amoris venationem deſcribit.

ODE V. *l. 3. od. 12.*

Miſerandus nive acuta Deus horres,
Genitricis nitor almæ, date ludus
Aquiloni, patiens ſæva nimis verbera Cauri.
Tibi frangit pharetratus puer arcum,
Tibi præda obtigit uni: preme pectus
Catus auceps, agitati pie cordis jaculator.
Agis ipſo melior vulnus Amore,
Neque telo, neque pulchra face victus,
Simul arcu reſonanti meditaris bonus ictum.
Fugientem ſub Avernum cape cervam,
Age clamore, age curſu, inſequere, urge,
Nec inanis labor artis ſine præda reſidebit.

AD

AD PHILIPPVM SPINELLVM CARD. De Christi pulchritudine.

Alludit ad sacrum epithalamium.

ODE VI.

PRemat labellis oscula dulcia,
Quæ parte multa nectaris imbuit;
Amore lactet me pudico
Lactis amans; potiora vino
Sint dona: sit fas ducere amabiles,
Purosque succos; ebrius uberum,
Lymphatus & mamma liquenti,
Mille tuos inhiabo amores;
Vt delibutus candida collinis
Fragrante nardo pectora? non merum
Æquè Calena falce quondam
Edomitum, aut redolet sodalis
Crater amorum. malobathrum tibi,
Et myrrha princeps, fusa capacibus
Vnguenta conchis, fundo & imo
Fusa tenus tibi dulce manavit:
Quandoque nomen fama volucribus
Elata pennis prodit in ultimas
Vrbesque, gentesque, inque Eoi
Littoris, Hesperiique fines;
Te casta pubes, flosque puertiæ
Amat, juventas puraque virginum,
Auro revinctas pulcher ipse
Vsque tenes, metuuntque solvi:

Compar Amori singula, seu genas
Pudore tingit murice pulchrior,
Seu præter albos ille Cycnos,
Ante nives, ebur ante & Indum.
Seu propter amplum fluminis alveum
Columba simplex accubat, aureo
Adversa Phœbo, dulce pota,
Sic liquidi nituere ocelli
Leves lapillos, articulis decus,
Conclusit auro, munera divitis
Gangis; smaragdus luçe vibrans,
Aut digitis hyacinthus ardet.
Stant crura puro marmore firmius.
Qualis renidet sedibus aureis
Columna; Silvani virentis
Malus uti decus omne vincit.
Ceu vere primo flosculus herbidi
Formosus agri, lilia ceu nitent
Vallis supinæ, quam relambit
Fons trepida fugitivus unda.
Titana vincit lucidus igneum,
Et mille præter candidus, omnium
Regnavit; & cor omne amando
Surpuit, haut sine laude, prædo.

Puero Iesu piè blanditur.

ODE VII. *l.1.od.16.*

O *Matre pulchra parvule pulchrior,*
Quem vagienti cumque voles modum
Pones querela, sive risu,
Sive sopore libet quieto.

Audin canorum carmen, & Orphea?
Amor chorea ludit amabili;
Iovis nec ortu sic movebant
Solliciti Corybantes æra,
Cælestum ut agmen: te neque territat
Saturnus acri prolem inhians fame,
Parentis alta mente natum,
Ore pari refoventem Amorem.
Amor sub antro stravit inhospito,
Amor rigentem colligat igneus,
Stabitque quondam causa, sponte
Cur pereas, premat atque ferrum
Dextra cruenta Romulus impius.
Compesce fletum; me quoque, pectora
Tentabit altè vulneratum,
Hasta; simul ferient procellæ
Letho cadentem; nunc ego barbito
Iungam canoræ carmina, dum chorus
Divûm, recantatis amicus
Opprobriis modulatur antro
Fœdus beatum: Pax redit aurea,
Et spreta Virtus, almaque Faustitas;
Divique vocales, relicta
Arce poli, subiere terras.

Infantem Deum pastorum curæ commendat.

ODE VIII. *l.1.od.17.*

P*Auper coruscam sidere regiam*
Deus latebra mutat, & ignei
Convexa Cœli rupe mutat
Frigore hyperboreo rigente.

Ah

Ah, Dive, aquarum vim glacialium,
Acres & Euros non bene fissili
Defendis antro, pervicacem
Nec Boream, pluviúmque Caurum.
Tuere Numen; non tibi pectoris
Adulta virtus, sanguis & integer;
Ahena compages nec artus,
Lacte novo reparante, firmat.
O, ferte lanam, si quis Amor pii
Gregum magistri; vellera solvite;
Durumque de mollis capellæ
Muneribus prohibete frigus.
Sic stent feraci gramine pascua,
Nec martialis sæva fames lupi
Insultet hædo, nec dolosum
Herba tegat viridis colubrum.
Nempe hic tuetur vos, & oves sinit
Errare tutas per nemus, & jugis
Hermona frondosis, neque ore
Carpere sollicito salictum.
Hic dulce Numen, Tityre, fistula
Mulcebis, aptans carmen arundini,
Quo vallis & caulæ cubantis
Personet interius cubile.
Hic in reducta rupe volubiles
Junges choreas, & calamo canes
Deum laborantem sub acri
Verbere nil miserantis Euri.
17. *Distenta dulci nectare parvulo*
Papilla ducetur; tibi copia
Manabit ad plenum perennè
Irriguis opulenta venis.

AD PAGANUM DUCEM.

Vt algenti Deo ſuccurrat, hortatur.

ODE IX. *l.1. od.17.*

Deo parenti progeniem parem
Iacere cernis rupe ſub aſpera?
Ah parce divo, parce amanti
Fidus amans; trepida tueri
Pro te rigentem; tollere humo juvet,
Ne triſtis Eurus, neu Notus impotens
Lædat. pruinoſum cubile
Mœret, & hoſpitium ſeverum.
Specus latebra regia Cœlitum
Coruſca multum diſcrepat; aureo
Compone fulcro, purpuræque
Mygdoniæ micet inter ignes.
Vis inquieti tu quoque ſumere
Pondus doloris, Dive Deo ſate?
Sic te ſagitta fixum acuta
Egit Amor jaculator acer
Plagas in imas, & catus aucupI
Præda renidet. ſed quid hyems ligat
Te nuda? divina nec ardes,
Et propria Deus ille flamma?
Quam, Nate, fundis corde reciprocam
Cum Patre Divo, Numine flabili,
Deumque flagrantem, Deumque
Non alium, parilique jure.
O nunc amantum tæda potens ubi eſt?
Sancti nec impar Ætna Cupidinis,
Cui proflat æterno favillas
Ore citans Amor unus idem?

Quæ

Quæ vis Tonantem perculit, & solo,
Stravit jacentem, ludibrium & Noti?
Divumque regnantem coëgit
Cingere pro trabea lacernam?
O quis reclinatum rigida locat
Tellure? tantum cui licuit? Deum
Quis illigatum te coërcet
Fasciola breviore magnum?

Quò se Dei majestas abjecerit; miratur.

ODE X. *l 1. od. 8.*

Dive puer tenelle,
Ah, neci te nondum habilem cur properas amando
Perdere? cur Olympi
Deseris flammas patiens frigoris, atq; brumæ?
Cur neque fulgurando
Lucidas nubes agitas, fulmina nec rubente
Ejaculare dextra?
Cur juvat duram glaciem ferre? gravem quid Arcton
Parvulus inquieta
Excipis caula? neque jam cæde mades cruenta
Impiger olim in hostes
Arcu inaurato penetrale expediisse telum.
Quid latitas ruina
Sub cavæ rupis? facies & lacrymosa largè
Funera nostra deflet?
Tantum Amor contra potuit; temperat ille cordis

Ar-

Arbiter acre Numen?
Mox te in immanemque necem proripiet volentem
Sanguine delibutum,
Patris immortale decus, mente ſatum decora.

AD BRANCACIVM.

Invitat eum ad Bethlemiam ſpecum.

ODE XI. *l. 4. od. 1.*

NVnc talaria commodat
Plantis acer Amor; quo vocat, advola:
Tempeſtivus in abdita
Bethles rupe Cygnos inter amabiles
Infantem meditabere
Divum, ſubjiciens carmina Tityro.
Flamma ſi cor idonea
Vis torrere, [illegible]lum mitte Cupidinem;
En centum puer ignium,
En Cœlo rutilam tendit Amor ſacem
Caſtus ſidere candido;
I, te conde ſpecu, qua puer accubat;
Illic regia naribus
Duces thura pii munera Memnonis.
Me ſpes credula Numini
Paſcit; namque Patri deveneror parem.
Sed cur, parvule Dive; cur
Triſti lacrymula molle cor eliquas?
Oris purpureum jubar
Cur condit tacita nocte ſilentium?
Ah te notus Amor tenet;
Iam captum volucer conſequitur Deum;

Te

Te per sidereos petit
Campos, teque plagas, Dive, per arduas.

Natum Deum materiam carminis eligit.

ODE XII. *l. 1. od. 7.*

P*Indaricas animent alii tibi pollice chordas,*
Et superare vel Orphea certent,
Te magni Genitoris honos, & vera propago,
Fas homini si dicere, narrent,
Et patriam formam, par & de Numine Numen,
Æterni cunabula partus:
Vt de patre venis nullo discrimine sectus,
Naturæ neque degener ortu:
Matris ego castæ sobolem, materna prementem
Vbera te malim celebrare;
Sit qui tecta poli, Superûmque immania templa
Miretur; me magnus Olympus
Non tam percußit, quam tu pulcherrime rerum,
Et gemitus antro resonantes,
Et vos lacrymulæ, & cordis lacrymabile murmur,
Grata Dei suspiria amantis
Percußistis. hiat singultibus interruptis
Cur tibi cor? quid egenus anhelas?
Hospitio te, Dive, tenet male rustica Bethle,
Et tugurî regina nivosi,
Auster ubi cæcus devolvens parturit imbres,
Et Boreæ penetrabile frigus
Vrit. sic placitum patri: te flente licebit
Et lacrymas, & ponere curas.

Fatidico quondam Solymæ sic Rege monente:
Solvite jam præcordia luctu,
Me consanguineo felicem Numine dicent,
Stant certis oracula fatis.
O tantis læti monitis, properate nepotes,
Ite, Dei trepidantia membra
Dulce fovete anima, vel amore fovete rigentem,
Et penetrali condite corde.

AD CRISPANVM.

Dei humilitas omnem deprimit fastum.

ODE XIII. *l.2.od.2.*

CEßit abjecto nimium Tonanti
Trisca vis, altè neque fulmen urget,
Dextera nubes quatiens corusca
Numen inerme.
Nudus immiti trepidat sub Euro
Notus in terras studii, atque amoris
Ille, quem sese Pater obtuendo
Fronte decora
Exprimit mentis sobolem profundæ.
Scilicet prudens domat arrogantem
Spiritum projectus humo ille rerum
Arbiter ingens,
Ceteris mitis, sibi sævus uni.
Nempe agens astris Amor in jacentes
Expulit terras, solioque celso in-
Sidere regem
Dedocet, condens diadema frontis
Sole baccatum, patriamque formam;
Aggeres pœnarum avidis ut infans
Spectet ocellis.

AD MARICONDAM.

Dei paupertas potior omnibus divitiis.

ODE XIV. *l.1.od 10.*

NOn ullos gelida rupe magis, paupere & hac specu
Admirere lares; omnium egens qua latitat Deus
Projectus tuguri sub stipula, obnoxius frico.
Nascens cuncta sibi dura Deus proposuit, neque
Natum patre Deo se meminit compare Numine,
Alta mente satũ; ingens recolit nec decus imperI,
Oblitusque domos sidereas cæca mapalia
Obscurus relegit; cuncta rigent immiserabili.
Post hæc visa quis, ô, exiguam pauperiem crepet?
Quis non te potius, magna Tyros murice discolor?
Te demens Babylon, Niliaca regnaq; Mempheos?
Seu tu falce premas quicquid habent Gargara messium,
Seu centum tibi per rura boves, & juga mugiant,
Pactolusque fluat largior, & Gange superbiat,
Immites animum dilacerant sollicitudines.
At non cæcus aget me studio Plutus opum; cadunt
Decertata nimis regna ob opes; decolor heu rubet
Nostra cæde Thetis; squalet agris barbara vastitas.
Fines alterius Lydus aquis alluat aureis,
Regnatusque Tagus Hesperiæ, Mœdaq; flumina,
Quæ mox pota sitis subsequitur pallida Tantali.

Tanti incommodi Amor ostenditur causa.

ODE XV. *l.1.od.3.*

F*Laramantis sator ætheris*
Cur oblata tibi sideris ignei
Vis haud frigora temperat?
Immitis Boreæ cur inamabile
Vrit plus nimio gelu?
Quo nullus rapidi sævior Æoli
Lictor, grandine verberet
Agros, acre malus sive acuat gelu,
Bethles heu male credite
Damnosæ fidei, pauperie reus,
Cur stant lumina turgida
Fletu? cur glacie membra trementia?
Nequicquam Deus igneum
Accendas elementum, & penetrabilem
Flammam, si tamen irrita
Nil juvere faces: scilicet ætheris
Ardent sidera lucidi
Frustra, si gelido cogeris Africo
Regni flabilis arbiter:
Fortis tantum Amor in te potuit, jubens
Euris intremere acribus,
Iratamque facem ponere fulminis.

A. D

AD RICCIUM

Ad commune gaudium nati Dei eum invitat.

ODE XVI. *l.4 od.12.*

Est mihi bruma media repertus
Flosculus, cedit rosa cui Diones,
Quique nectendis, amaranthe, sertis
Dulce perennas,
Cedis: ô quantis, quibus ô lacessor
Gaudiis rerum; redeunt Decembres
Lucida noctes, triplicique Phœbo
Aura renidet;
Iure sollemnis mihi nox, & alba
Clara nox signanda nota, quod ex hac
Nocte Sol sæcli melioris auspex
Ordinat annos.
Interim sævis Amor urit Euris
Non tua sortis puerum, sed ortum
Patria de mente Deum, tenetque
Frigore vinctum.
Terret abjectus Deus arrogantem
Quemque, & exemplum bene præbet infans,
Quem polo ducens Amor in profundum
Depulit antrum,
Semper ut contempta sequare, fastum
Divitum fumumque levem putando;
Sit tibi tandem modus hic honorum,
Finis amorum;
Altero haud igni jecur incalescet.
Cœlitum condisce modos, amanda

Voce quos reddas, pueroque fletum
Carmine sistas.

Algenti Deo cor ardens dedicat.

ODE XVII. *l. 4. od. 8.*

INfans, matris honos, matris amor tua
Quid vagire juvat? quid glaciem pati,
Edurumque Lebem, caute sub horrida?
O flagrans animæ vis, & amor tenax;
Quæ mî te religent vincla adamantina?
Quis corde haud humilem collocet hospitem?
En dono hospitium pectus amabile
Algenti, neque tu haud munus idoneum
Duces, me calidi divite pectoris;
Hic cunasque tuas sedulus instruam
Gratus, teque hominem, te pariter Deum
Condam. est vis mihi, amans res tibi talium est;
Gaudes corde puer, cor patet intimè;
Defende hic hyemem, nec Boreæ gelu
Suspectum metues septus amoribus.

AD CANTELMVM.

Hortatur ut foveat corde Deum.

ODE XVIII. *l. 1. od. 4.*

FOedus init gelidis junctus male Capricornus Hœdis,
Ensemque Orion aureum coruscat.
Prô pietas, stabulum mœret Deus, asperamque caulam;
Quæ sub nive alta nutat, & laborat:
Concretus stat membra puer glacie, geluque duro
Hor-

Horret, tenellis obstupetque membris.
Vranie sed læta choros agit enitente Cælo,
Adduntque Divum se gregis magistri.
Nunc ô ferre decet munuscula dulce vagienti,
Seu gaudet igni, sive corda mavult.
Fas sub rupe Deum amplecti: valet, & cor ardet illo
Algente quamvis parvulo, ac tremente.

AD CARACCIOLVM.

Ab aula eum evocat ad specum Bethles.

ODE XIX.

l.2.od.3.

Contende Bethlen, quà specus imminet;
Inhospitalem parvus amat Deus
Casam, rigentes & laborat
Ferre nives, trepidatque nudus.
Illic per alta sacra silentia
Noctis, patenti frigoris insolens
Caula reclinavit beatum
Numen Amor, tenerumque Divum.
Cedens coëmpto Pausilypi jugo,
Villaque dives, mitte superbiam
Tectorum, & extructas in altum
Divitias puero repone.
Iacet parenti par soboles Deo,
Heu sede nulla pauper, & incipit
Deflere, sub caula moratur,
Ludit hiems malè, ludis Eure.
Quo tu caducas lacrymulas genis
Mercabere auro, pocula amantium?

 Curare

Curare nil refert madentem
Purpureo genium Lyæo.
Non ille, quamvis ubere patrio
Nutritus, alta clarus origine,
Te negliget mortalem, amando
Vt caluit procul igne Divus.

AD MVSAM.

Vt natum Deum canat.

ODE XX. *l.1.od.32.*

INnubæ laurus Erato sub umbra
Lude; te plausus, Erato, te amores
Postulant dulces, age dic amicum,
Carmen amantum;
Prima nascenti modulata Divo,
Qui sator mundi, tamen inter uda
Saxa projectus religavit artus
Paupere vitta.
Sed polo lapsus fidicen parentem
Narrat invisa sine labe fœtam,
Et Deum pulchris oculis, & aureo
Ore decorum.
O decus Cœli, satus ô supremi
Patris, æternum & specimen feracis
IngenI, salve mihi cumque tecum
Damna ferenti.

Præponit laqueatæ domui præsepe.

ODE XXI. *l.1.od.5.*

Q*Væ vis tanta Deum paupere sub specu*
Abjecit? tenerum Numen & acrius

Duræ

Dura pungit arista?
Cur magalia sustinet
Parcus munditiæ? (prô sator, ardui
Regnatorque poli) jam flet, & asperam
Caulam tristibus Euris,
Et sævis Aquilonibus
Emiratur inops, frigoris insolens;
Nec gratis nitidus spirat odoribus,
Auræ vilis egenus
Brutum. rideat alteri
Argento laquear, me hic humilis casa
Informis paries, & specus humida
Condat, nulla ubi nudum
Vestimenta tegunt Deum.
Hic dives puero perfruar aureo,
Quem mater gremio stringit amabilem,
Alti credulus ortus,
Cunarumque perennium.
Natus quippe Deo par Deus effluit,
Insignis soboles Numine patrio,
Magna mentis imago,
Et magni typus ingenI.

AD PIGN'ATELLVM DVCEM.

Ad præsepis delicias eum invitat.

ODE XXII. *l.4.od.12.*

QVi Cœlum imperio, qui mare temperat,
Hunc tristes animæ frigore Thracio
Vrunt, quà stabulum sibilat horridum,
Hyberna nive & albicat.

 In-

Ingens ille Deus parvulus ingemit,
Pannosus Deus, & vile foventium
Brutorum socius; sed male pauperem
Quamvis excipiat casa,
Immisti Superis ludere gestiunt
Custodes ovium carmina, fistula &
Delectare Deum, cui specus, & placent
Bethles nigra mapalia.
Si flagrans avida pectus hiat siti,
Hic pressum ex oculis ducere Amor dabit
Nectar, lacrymulam; cor mòdo dedices,
Magnas elicies opes;
Hæres namque puer pectore patrio
Omnes haurit opes divitis ingenI,
Et donare polum largior, & nefas
Maternum eluere efficax.
Hæc si tanta juvant gaudia, candidum
Cor largite veni; non sinet oscula
Immunem rapere, & lambere; munere hoc
Reges munificos beat.
Tu lucri studio quære inopem Deum,
Abjectique memor Numinis in loco
Misce pauperiem divitiis; pati
Dulce est paupere cum Deo.

Deum sponte egenum Amori commendat.

ODE XXIII. *l.1. od.3.*

EHeu quid glacie super
Edura tenerum sternis, Amor, Deum?
Matris pignus amabile,
Et Patris specimen non imitabile.

Servan-

Servandæ ſobolis tibi
Si partes Genitor pervigili dedit,
Quin longe Notus impudens,
Et peſtes abeunt Æoliæ procul?
Te, te, fortis mor, tremant
Immites animæ ſemianimi Deo.
Fallor; nam duce te ſubit
Pœnas; damna per, & cuncta per ardua,
Et fatum medium trahes
Suſpendi patiens arbore ſontium,
Devotum mala perpeti,
Informem miſeris deleat ut notam.
Mœſtis fata nepotibus
Mater prima tulit, perdita conſilI,
Fatalis generi parens
Libatis epulis; ſæva ſecuribus
Mors cervicibus imminet,
Et funeſta lues & dolor, impii
Duro faſce ſatellites.
Sed fatis redeunt ſæcula mitibus
Terris Erigone redit,
Vt tu cumque Deum Cœlo, Amor, elicis.

Ver media hieme exortum deſcribit.

ODE XXIV. *l.3.od.18.*

FLora regnati decus alma veris,
Ruſticam Bethlen, & amœna tempe
Dulcis Engaddi propera, & ſolutos
Germine colles.
Si tener duro puer horret antro,
Fer Deo flores; viden? ipſa ridet

Bruma,

Bruma, fert mollemque rosam, & comanti
Crine decorum
Lilium, æternumque amarânthon: alma
Serta naturæ. tumuere molli
Palmites gemma, & redolente libro
Balsama sudant.
Spargit insuetas nemorosa frondes,
Cura Silvani, specus; & choréa
Alitum gaudet cecinisse amicis
Carmina terris.
Cogit angusta pecus, ecce, caula
Tityrus; dulci calamo labellum
Dum terit, pronus puerum veretur
Cum bove asellus.
Mille te circum volitant Amores,
Te, puer, centum citharæ canoro
Personant auro, tibi mille olores
Guttura solvunt.
Ipse te lustrat melior triformi
Phœbus obtutu; tibi dulce Cœlum
Siderum flammas animans recentes,
Frigora pellit.
Molle demulcens Charis implet aures,
Lenè vitales Amor afflat auras,
Et juba stellante decora nevit
Vellera Phryxus.

AD GALEOTAM

Προσωποποιΐα S. Hieronymi.

Invitat ad Betles specum ubi
ipse habitavit.

ODE XXV. l 2. od. 3.

PRocumbe mecum caute sub intima ;
Cernes jacentem , & rebus in asperis
Deum laborantem ; superbos
Sic animos bene temperabis .
Hic lætus olim vivere gestu
Sub dorso opaco rupis, ubi Deum
Amor recepit nudus hospes
Interiore casæ latebra ;
Hic Eurus horrens exagitat specum
Inhospitalem ; bos tepido halitu ,
Segnisque asellus dum laborant
Semianimum recreare Numen.
Huc thura , myrrhamque , & nimium gravem
Vim auri , ac tiaras abjiciunt pii
Reges , & Auroræ propago ,
Dives Arabs, & odora Thule
Cedunt Eoo littore , regios
Laresque temnunt , tectaque barbara
Educta mole, altumque culmen
Bethlemia mage rupe mutent.
Quando ille olympi conditor ardui
Ceu pauper infans , natus & infima
De gente , nudo sub cubili
Flet rigida mala damna bruma ,

Seu præda Cauro, victima seu Noto.
Sic ille pœnis nondum habilis caput
Objecit ultro, sic rigendo
Ignea nos revocans in astra.

AD MACEDONIVM.

Vt nati Dei paupertatem imitetur, hortatur.

ODE XXVI. *l.2.od.16.*

VIlè projectus jacet ille Divus,
Ille pallescit nitor orbis, & flet
Saucius telis Boreæ, atque acuta
Cuspide aristæ.
Membra inhorrescunt, simul uda Cœlum
Condidit nox, & spaciata curru
Protulit duras Hyadas, severum
Sidus & Hœdos
Coa non Regi chlamys ardet ostro,
Nec toro dives Tyrio recumbit;
Non Deo legere superba ramis
Stamina Seres.
Ah jacet terra male, nec paternum
Cingit aurato diadema textu
Patris æterno generatus ortu,
Mentis & hæres.
Vile quid Divo, tibi splendet aurum?
Quidve inexpletus jaculare præda?
Solve jam curis animum, & tenaci
Solve himæra.
Lætus hoc antro recubes; quid auri est
Oderis curare, & egena nudo

Sponte

Sponte solatus, pueroque dives
Cetera temnas.

AD REVERTERAM.

Apud præsepe omnem fastum detumescere ait.

ODE XXVII. *l.1.od.18.*

N*On te plus nimio magnanimi fastus Achillei*
Nequicquã tumidum tollat agens, nec Mareotico
Lymphatum rapiat gentis honos, sic sapies, supra
Quam mortalis habet conditio nil temere arrogans.
Vltra fas hominum nil trepida; pone superbiam
Quæsitam ambitiose, studiis & popularibus.
Ne mentem imparibus consiliis exagites minor,
Decertata monent cum Superis prœlia de Deo
Regnatore; monent præcipites in Styga cœlites,
Cum divina (nefas) exiguis dotibus ingenI
Affectant temere, at non ego te, signifer alitum
Dementum, sequar, & vos acies immiserabiles
Damnatas Erebi, quas Acheron igneus obruit;
Quid sublime levas te vacuo vertice nobilem?
Hic inglorius in pumicea quin latitas casa?

Amoris in hoc vim agnoscit.

ODE XXVIII. *l.2.od.2.*

S*Ic Amor jussit: sator ille Divûm*
Scrupea sub rupe latet, nec alta
Fronte majestas sedet, ac tenebris
Temperat ignes.

Natus

Natus æterno Genitore, compar
Numine, atque hæres animi paterni,
Vir Deo vinctus metuente solvi
Fœdere magno.
Patrio movit solio sedentem
Illum Amor, terrasque habitare jussit,
Corrigens vulgus, hominisque tantum
Dedocet uti
Vocibus; regnum, & diadema Divo
Deferens uni, propriumque Nati
Nomen, & Numen; sine honore quamvis
Clauserit antro.
Scilicet spectans avidum domabo
Spiritum; Memphis mihi nec superba,
Vel Paros saxis, Babylon vel arte
Serviet uni.

Quò Amor Deum adegerit, ostendit.

ODE XXIX. *l. 1. od. 34.*

INgens Olympi conditor, & sator,
Natus Paternæ vis sapientiæ,
Abjectus ima nunc latebra
Triste feres Aquilonis iras.
Tu suetus olim scilicet acrius
Rubente dextra findere nubila,
Cælumque per raucum tonando
Purpureos agitare currus:
Cui bruta tellus intremit, ah male
Bruma tremiscis. te specus horrida
Excepit uda rupe; namque
Summa potens Amor imus imis

Muta-

Mutare, teque altum attenuans Deum
Obscurat; ultro cæca mapalia
Subire cogens, hic sub antro
Bethlemio posuisse gaudet.

Præsepis gaudia exponit.

ODE XXX. *l.1.od.24.*

D*Vcit virgineo nectar ab ubere*
Infans dulce Deus, dic age næniam
Cunis, Calliope, qua chelyn auream
Molli carmine temperas.
Ergo caula Deum Bethlemio tenet
Antro? cui polus, & sidereum jubar
Immortale nitet? quem Pater exprimit
Altæ mentis imaginem?
Cunctis exoritur lætitiæ seges,
Sed matri soboles gratior obtigit,
Custodique pio, qui sibi creditum
Amplexu refovet Deum.
Auditos moderatur puero modos
Alternans calamo Tityrus, & Mycon;
Haud illi indociles ludere fistula,
Nil agreste, humile aut canunt.
Tu lenis Superûm templa recludere,
Nigris nos Erebi Manibus eximis;
Tu magnus reparas, parvulus aspici
Quicquid restitui est opus.

AD PRINCIPEM VIRVM.

Præsepe præfertur aulæ.

ODE XXXI. *l.1.od.22.*

HÆc Carystæa procul arte fabrum
Orbis excepit rudis aula caulæ?
An sibi sensu leviore amantes
Somnia fingunt?
Qui levis mundi vacuos recessus
Implet, hunc arcet breviore septo
Pauperi regnata Deo latébra
Nescia cultus.
Barbaros frustra tibi nunc tapetes
Bactra depingunt operosa; frustra
Aspero Seres properata textu
Vellera fingunt.
Sive Sarrano revolutus ostro
Aureum limen, biforesque valvas,
Seu colorato rutilum lacunar
Gange laboras.
Nobilis vincat licet aula Memphin,
Et Paron, ditemque Tyron superbo
Marmore; & multa Babylonis arte
Atria condas;
Hos ego informes tugurI penates
Deligam, pressis ubi dives ulnis
Dulcè ridentem puerum fovebo,
Dulcè gementem.

Pasto-

Paſtorum gaudium commemoratur.

ODE XXXII. *Epod. I.*

ERgo procul penatibus, procul polo
Mortalis hic jaces Deus?
Imbelle noſtris corpus exercens malis
Devinctus acri frigore?
Romanaque damnas, & ſuperba divitum
Inſanientum pergama:
Hic in reducta rupe te balantium
Videre inerrantes greges;
Hic dulce Mœris carmen addit fiſtula,
Et cum Menalca Tityrus
Cingens decorum floribus novis caput,
Quos bruma mitis extulit.
Vt gaudet inſitiva collo brachia, &
Iungens labellis oſcula?
Hic turgidis lac exprimit mammis, oves
Detondet ille candidas,
Quò muneretur te, rigentem & induat
Non inquinato vellere;
Manant ocellis interim liquentibus
Perenniores lacrymæ.
Non jam frementis ira flamma fulgurat,
Et aërem obſtantem quatit,
Nec inquietis intonata nubibus
Verenda majeſtas ſedet.
Amor tetendit certus auceps retia,
Trudens in optatas plagas.
Extorrem Olympo, & advenam terris Deum
Gelu fatigat aſpero.

Quis nunc amorum, & improbi Cupidinis
Incesta quæret gaudia?
Quin corde claudens candido puerum fovet,
Et dulcè pectori inserit?

Alludit ad Simeonis vaticinium, de Deipara.

ODE XXXIII. Epod 15.

LVcida jam medium Diana tenebat Olympum
Recenti adaucta sidere,
Cum satus usque Deo, matris Deus editus alvo est.
In verba juratus sua.
Virgineis puer ut sese cervicibus arcet,
Lentis adhærens brachiis?
Ambo oculis, & corde ambo natusque parensque
Bibunt amorem mutuum.
O dolitura tua multum mox funere prolis,
Cum acutus intravit dolor;
Tentabit mucrone dolor penetrabile pectus;
Peribit ut pendens trabe;
Cedet lata Dei species, & forma decori,
Qua nunc cor omne surpuit.
Sit dives donis, & Eoa merce licebit,
Illique Ganges profluat,
Non te prisca Dei morituri oracula fallent
Mœrentem amores heu breves.

Amo-

Amorem accersit, ut infanti Deo consulat.

ODE XXXIV. *l.1.od.25.*

PArvus immiti lare Divus horres,
Et graves pulsant anima tenellum;
Impii circum strepuere rauco
Murmure fratres.
Nec Parens fletu facilis movetur,
Ille natura tibi jure compar,
Mœreas durans, pereasve noctem
Rupe sub ima.
Sponte devovit bonus ille natum,
Sponte devotus rapis ipse pœnas;
Nec tui jam te miseret potentem
Ætheris alti.
Quid moras longas, Amor alme, nectis?
Insolens brumæ Deus alget infans
Sub specu, bacchatur ubi protervis
Africus alis.
Fer, puer, Divo puero, fer auro
Splendidam tædam, mihi nec Cupido
Fumidam subdat malus ulcerosi
Pectoris hospes.

Davidis carmen de nascituro exposcens Deo.

ODE XXXV. *Epod 13.*

CAndida jam Pietas terris mutavit Olym-
Et abdidit nudum Deum (pum,
In

In tuguri latebras.
Saxa sonant Aquilone, quatit latus acer utrumq;:
Abjectus has cunas legit
Inferiore vice.
Regius hæc cithara vates oracla canebat;
Cognate mortali Deus,
Exoriture puer;
Te Bethlæa manet tellus, quam frigidus Eurus
Et nocte concretum gelu
Asperat, atque ligat.
Non tibi clara Tyros properabit vellera lanæ,
Sed cespite eduro parens
Projiciet lacrymans:
Opprobrium deforme tamen solata levabit
Agrestium tibicinum,
Alituumque choris.

Dei severitas in pietatem versa ostenditur.

ODE XXXVI.

Mater integris bene nupta tædis,
Quæ Deum cœlebs sine labe fundis,
Persicas Regum tibi jam tiaras
Subjicit Eos.
Iam duces Cœlo micuere flammæ;
Huc vigil tendit pecoris magister
Tityrus caulæ fidicen canoræ
Rusticus Orpheus.
Sed quis heu cordis latebra petitus
Spiritus? suspiria quæ sub antro

Infremunt? quis mi gemitu paventes
Verberat aures?
Scilicet par ille parentis ori
Hic jaces, tectus tenui lacerna?
Te neque intexto religavit auro
Dædala Sidon?
O ubi centum, tua regna, fasces?
Membra mordaci stipulæ sub ictu
Sternis; ah pectus nimium fatigas,
Et cor anhelum.
Dextera raucum modo fulmen egit,
Dextera vinctus Deus acrè torpes,
Lætus intacta geniale nectar
Duxe papilla.
Vidit abjectum sine lege Memnon
Numen Eois peregrinus oris,
Vidit & molles humeros, caputque
Sidera torquens.
Vendicat cunctos sibi Amor; quid ultra
Quæris? abjecit solio Tonantem,
Et manum telo vacuam trisulco
Frigore cogit.

AD PVDERICVM.

A luxu revocat ad præsepis incommoda.

ODE XXXVII. *l.1.od.4.*

HOrret severis, horret inhospitum
Specus pruinis. bruma nocentior
Deum male incinctum fatigat,
Et stipulæ feriunt acutæ.
Dissolve Numen frigore Thracio
Vinctum, rigentem (si quis Amor) Deum

 Fove,

Fove, focumque ô cordis affer,
Corde pius medio reconde.
Quæ vis cavernis Æoliis malos
Eduxit Euros, æthere concito
Deprœliantes, atque fratrum
Agmen hyperboreum frementum?
Annosa rimis caula patentibus
Fatiscit, acres accipit & Notos
Specu ruinosa; trementem
Caula Deum minimum tuetur.
At tu procellarum arbiter ô Amor
Consterne ventos; namque potens Amor
Mulcere Cauros impotentes
Et Libycum domuisse gaudes:
Alæ per auras cum volitant tuæ,
Auræ sequuntur te Zephyritides,
Et Veris aspirant sodales
Aërium per inane nanti:
Ah surde votis tu quoque Amor, neque
Curas amantum incommoda, prodigus
Tui, sed heu vitam tueri
Parcior, atque animam tuorum.
Nos merce multa tradimus interim
Naves onustas visere Caspias,
Et Bactrianas visere oras,
Pauperis immemores Tonantis?
Quo crescat auri vis, fuge quærere,
Deoque amicam pauperiem lucro
Præpone; nec nudos amores
Temne, graves neque tu labores.
Donec sub antri pumice mollior
Gemiscit infans, frigore & intremit,

Nunc

Nunc osculum furate dulce
Sive genis rape, seu labellis.
Cum lene risum parvulus intimo,
Cum triste fletum solvet ab angulo;
Tu cinge cervices lacertis,
Conde sinu bene pertinaci.
Nunc & choreæ, lætaque personant
Odea Cœlestum, & citharæ leves,
Lyræque sub noctem canoræ
Per liquidas modulantur auras.

IN CHRISTVM CIRCVMCISVM.

Infanti Deo saucio condolet.

ODE XXXVIII. *l.1.od.27.*

MVcrone in usum vulneris aspero
Sævire, acerbum est; tollite pristinum
Morem, verecundumque Numen
Sanguineo prohibete cultro.
Dolore turpi absiste puer, Deo
Defende probrum; labe quid impia
Intaminatus damna pendis
Nostra reus per acuta saxi?
Dicêre (magni prô sator ætheris)
Apella vilis? gentis amicior,
Curtique Iudæi, superbo
Fabula sic daberis Quirino?
Cupis severa tu quoque persequi

Amor tenello parcat, Amor tener,
Tantum nec in te ſæviat impotens;
Nec erubeſcendis fatiget
Supplicus ſine lege vindex,
Legumque custos; ah puer, ah Deus
Dolore quanto, cuſpide ſub gravi,
Amore vel quanto laboras,
Dive Deo generate magno
Compar parenti? quis medicas manus
Tibi cruentato admoveat pius?
Quis, ô, redundantem cruorem
Siſtat amans, religetque vulnus?

DE EPIPHANIA.

Alludit ad illud Eſaiæ, Surge, illuminare Hieruſalem, &c.

ODE XXXIX.

SVrge, flammantes Solyme nitores
Concipe, & lucis decus inſolentis;
Nam tibi cœli radians Eoi
Gloria fulſit:
Ecce nigranti latet orbis umbra,
Cæca nox Cœlum, nebulaque condunt;
Et malis terras minus expiatas
Iuppiter urget;
Te nitens flammis Oriens coruſcis
Afflat, & magni genitoris alta
Mente conceptum jubar, atque imago
Numinis una.
Prodit illuſtris Cynoſura cunas;
Illa claranda ſtudioſa Bethles

Mem-

Memnonum Regum bona dux, amorum
Pronuba flamma.

Flecte nunc acres oculos tuendo,
Regnaque & late populos, & urbes,
Seras, & ditem Garamanta, & Indum
Rupe coactum

Cerne Bethlaa: Nabathæus ultro
Pergit, & Gangis, Tanaisque potor,
Et frequens Epha, & Madiana pubes
Tendere gestit.

Ferre nascenti trepidant Tyranni
Dona Tharsenses, Arabumque Reges,
Quæque diffusum pelagus nitentes
Cyclades arcent.

O, quibus bacchabere gaudiorum
12 *Motibus? mirata novos honores,*
Cum tibi allatis Oriens tributis
Serviet uni.

Servitus Regum tibi crevit, auri
Dives; ignoti fluit unda vulgi,
Et Palæstinis equitare campis
Agmina pergunt.

Vix laborantes grave pondus auri
Sustinent vires; onerant camelos
Mille proceros, dromadasque cursu
Mille citatas.

Sive Orontéam, pia dona, myrrham,
Thure seu Divum merito vaporant;
Huc aget fidus genus omne amantum
Visere natum.

Lucidum ardentes oculos, Amoris
Numen in terris imitantem, & ora,

Ma-

Matris integræ sobolem, haud resecto
Flore pudoris.
Ille nos lætis placidus reponet
Sedibus, nuper vacuos honore,
Et dabit sævos Acherontis imi
Fallere Manes.

DE EPIPHANIA.

Herodis sævitiam in Innocentes exponit.

ODE XXXX. *l.1.od.15.*

AVroræ populos cum nova duceret
Cæli flamma Dei nuncia parvuli,
Iordanis medio substitit alveo
Spectator, recinens brevi
Eventura. bona pergitis alite
Reges Memmonii visere paupere
Sub tellure Deum, promite largius
Nato tergeminas opes.
At cur cuncta novo concita perstrepunt
Motu? quid Solymæ milite barbaro
Conjurata Deum perdere præcavet,
Ne regnum vetus occupet?
Eheu quanta tibi vulnera Bethlee,
Tempestas miseræ quam gravis imminet
Irarum? pueris funera quæ movent
Reges Memnonidæ inscii?
Iam duris acuit cotibus asperum
Mucronem faber, atque ignibus innovat;
Iam princeps Solymes agmen, & impium
Lictorem exitio parat:

Nequic

Nequicquam tenui præsidio ferox
Mater sollicito supprimet ubere,
Et natum gremio, se puer insolens
Vagitu retegit suo.
Iam stricti chalybes, æraque fulgurant,
Atque altos miserorum intuor aggeres
Infantum; gemitus exululantium
Matrum sidera territant.
Vrgent indomiti pignora dulcia,
Et ferro lacerant. siste miser, miser
Vagitum, ecce furit te laniare atrox
Lictor tigride sævior;
Quem tu, quale lupum exhorruit Appulum
Dum mammis inhiat agna liquentibus,
Horresces, trepido mollis anhelitu, &
Frustra pectora comprimens;
Fasces jam rigidos exoluit sciens
Cædis, findit agens collaque lactea
Crudelis, rapido aut durus acinace
Hausit purpureum latus.
Herodis rabies, iraque matribus
Detestata diem proferet impium,
Binas ante hyemes per plateas cruor
Ibit flumine languido.

DE EPIPHANIA.

Magorum munera, & Herodis iram profert.

ODE XXXXI. *l.4.od.14.*

QVo te paternæ mentis imaginem
Natura donet munere? quem Pater
Inter-

Interminato fusum ab ævo
Numen idem, propriumque gignit.
O quà recurrens Phœbus in ultimas
Se tendit oras parvule nobilis,
Quem Seres extremi, ducesque
Memnonidæ didicere nuper
Tellure natum. sidere nam tuo
Ductore, dives Persa iter expedit,
Rupesque Bethlæas, & antrum
Egelidum subiit; jacentem
Viditque dura sub nive, regium
Et prompsit aurum, thuraque mascula,
Myrrhamque Oronteam, Deoque
Par decus haud temerè arrogavit.
Te novit Indus, te Garamas niger,
Te Bactriani fluminis accola,
Te regna Neptuni reposti,
Oraque devenerata Tharsis.
Aurora te non ante parens die
Novit parentem lucis, & igneum
Mirata sidus, præviumque
Phosporon haud tenuante flamma.
Sed quid Tyrannus perstrepit impio
Compar Neroni? sanguine roscido
Cunasque fœdavit, papillis
Innocuos pepulitque natos.
Crudelis infantum nece barbara,
Ferro terebrans pectora candida
Bethlen cruentavit dolentem:
Sarmaticus prope qualis hostis
Devastat urbes, obvia corpora
Scindente ferro; qualis & Africus

Hiblamque

Hyblamque, odoratumque Pæstum
Diluvie populatur alta,
Sic immerentum viscera carnifex
Immansueto perculit impetu,
Lateque circum demetendo
Stravit humi, gremiove matrum.
Iam purpurato flumine decolor
Iordanis horret; perluit & cruor
Vrbemque, & invisos penates
Vindice nil miserante ferro.

DE EPIPHANIA.

Matrum de cæde Innocentium querelæ.

ODE XXXII. *l.3.od.27.*

SIdere Eoo duce perge Memnon,
Invidum quamvis Solymæ Tyrannum
Terreat flamma; tibi nil timendum
Auspice Cælo.
Antequam cæcus furor, atque cædis
Dira tempestas tonet imminentis,
Prævium sidus tibi dux refulget
Solis ab ortu.
Siste tu felix, ubicumque sistet;
Et memor magni generis paterna
Credulus de mente satum Sabæo
Thure redona,
Sed vides quantos agit ira nimbos?
Tronus in cædem furit innocentum
Arbiter, fas cui posuisse cuncta
Sub pede jura.
Mater infelix, breve quid sit atrox

Regis insani furor, & quid ira
Possit, heu nosces; natat ecce Bethle
Cæde tuorum.
Candidæ matres, puerique cæcos
Sentient motus animi furentis;
Iam necem cerno miserûm, & trementes
Pectore natos.
Nescius fari puer, insolenti
Subdidit ferro latus, atque tetra
Fronte Lictorem, rigidosque fasces
Palluit insons.
Nuper optatis inhians papillis
Dulce ducebat puer ore nectar,
Sole sub nigro nihil arma præter
Vidit & hostes:
Ac simul centum micuere sæva
Luce mucrones procul; ô supreme,
Nate, amor, dixit genitrix acerbo
Victa dolore.
Quid moror cædem? cumulanda mors est
Matribus junctis; puerinè solvunt
Morte commissum? an vitiis carentes
Tortor acerbat?
Tanta quæ cædis sitis? immerentes
Occidunt nati; meliusne Thracas
Ire per sævos fuit, an paterna
Degere Bethle?
Lictor, insanum mihi nunc corusca
Pectori telum, gremioque conde,
Me juvat nati quoque multum amati
Fata subire.
Innocens matris modo fusus alvo,

Innocens ferro cadit, ô doloris
Vltor, & vindex, ubi nunc trisulcum
Fulmen, & ignis?
Pone nos lustris medius ferarum,
Mitius perdent Nemeæ leones;
Montis Hircani sociasse tigres
Præstat, & ursas.
Sola cui linquar viduata mater?
Quid mori cesso? potes irruendo
Lictor, hanc alvum petere, & parentem
Iungere nato.
Sanguis amborum bene mistus ibit
Effluens venis. miserè querentem
Regius Bethles fidicen canora
Voce remulcens
Adstitit, dulcem citharamque movit;
Abstine ô luctus, ait, & querelæ,
Quod tibi invisus nimium satelles
Pignora tollat;
Mater infantum decora alta nescis?
Mitte singultus, sobolis beatæ
Sorte jam felix; cadit icta Divo
Victima princeps.

DE EPIPHANIA.

Innocentium cædem describit.

ODE XXXXIII. *Epod.5,6,& 7.*

BEthlæa, Reges, ibitis cunabula,
Monstrante Cœlo semitam,
Inter sodalem bruta visuri Deum
Inhospitali pumice

Vltro jacentem, muncrari divites
Opum parati pauperem.
Ah ah dolorum quanta tempestas tonat,
Quis volvitur globus mali?
Iam jam venenum turbidis venis bibit
Tyrannus Vrbis impius.
Cerno cruentos aggeres cadentium,
Puerûm insepultorum & greges.
Boreas ut alis obstrepens nocentibus,
Hymetti honorem decutit;
Vt Africo incitata diluvies fera
Rapit omne Pomonæ decus;
Aut qualis ater imbribus gladium polo
Inimicus Orion movet.
Quid poscit iste mucro? quem sævus petit
Vibrans nitore aheneo?
Hostemne flamma fana vastantem impiè,
Arasque vertentem solo?
An innocentem, & integram Bethlen petit?
Et mactat imbelles oves?
Quis viperinus hic furit præcordiis,
Livor Tyrannum concitans,
In sæva damna fervidum, atque sanguinis
Siticulosum ceu lupum?
Vbi miles immansuetus obsedit fores,
In cæde bacchari sciens;
Vt currit expeditus omnem per domum,
Aciem coruscando novam?
Immanis imminet securi, principem
Exhauriente sanguinem:
Hic ense crudus amputat molles manus,
Hic candidis cervicibus.

Premit

Premit bipennem, & languidum metit caput,
Crinesque turpat aureos.
Violens at ille utrumque transadigit latus,
Fractumve differt verticem,
Pavidumque puerum, & immerentem vulneris
Ferro lacessit aspero.
Ut morte pallet purpura certans gena?
Malaeque dulces ut rigent?
Venae scatebris diffluunt manantibus,
Venae cruoris integri.
Quis heu dolorem quos amor parentum habet,
Meminisse quis luctus potest?
Ut Regis iris concitata saevit
Furore tempestas novo,
Cum maesta mater abstrahi caro sinu
Dulces doleret liberos,
Condensque frustra pectore, & gremio, hic statim
Fleret sepulta pignora.
Has inter iras, hunc & atrum turbinem
Perstricta ut horrent lumina?
Videre tetrum, & ore carnificem truci,
Aciemque ferri lucidam,
Apesque parvas, innatans & sanguine
Examen alvearium.
Clauduntur atra nocte ocelli, sidera,
Genarum & extinctae faces.
Simul tonantis ira flammae excanduit,
Ignarus exitii puer
Distenta siccans ubera haud metuens sibi,
Dulcisque lactis ebrius
Tabo secures, lacte seu puro magis
Vittata tingit victima.

 Fru-

Frustra trementi pectus amplexu petit,
Sinumque maternum tenet.
Hinc truditur vi multa, & hinc protruditur;
Vt lictor obstantes premit,
Agitque matres: sidera incendunt prece,
Et Numen occultum cient.
Eheu dolentum qualis ejulatio
Crudele detestantium
Facinus? querelis cum remugiit Polus,
Gemituque nequicquam pio:
O Nate, Nate, Numinis magni potens,
Bethlesque tutor finium,
Te sæva poscit ira, quo lates loci?
Quæ te latébra contegit?
Sævit Tyrannus interim, & vicarii
Plectuntur infantes minis.
Nunc nunc adesto, solve nos præsens malis,
Et spiritus Regis preme.
Hæc fata vix, cadentium spectaculo
Natorum inemoritur Parens,
Cum Pallor occuparet ora, & æstuans
Mærore contabesceret.
Amens stupet dolore, Nato & incidens
Mammas cruore collinit.
Ah parce miles, furere desiste; impia
Remitte lymphatus nece
Impube corpus perdere, & sæva manus
Puerile guttur frangere.
Non hic Scytharum mos, nec indocilis fuit
Cruore molliri Geta.
Quo lictor atrox tendis, ut sævit specu
Erymanthio frendens aper?

Quid

Quid ante ferrum voce sæva vulneras,
Vultuque in infantem truci?
Per dulce matris osculum, & madentium
Fontes cruentos uberum;
Per oris hoc suave purpurei decus,
Malasque melleas precor
O abstine ira, sanguinis fusum satis,
Acuta conde spicula.
Nullus reclinat a furore livido
Amor, dolorve ferreum,
Donec metatur omnis Hybla flosculus
Injuriosis unguibus.
Devotus infans regiis mi er minis,
Et obligatus aspera
Animam bipenni, & spiritum debet brevem,
Aut bimus, aut trimus puer.
Prô blandientis jura Naturæ, & nece
Fas inquinatum barbara:
Sopore ocellos irrigante, mors subit
Acerba fraternas vices.
Cunas feretro mutat, & nutriciam
Emortuali nænia:
Quantum procella tonuit, & quantum mali
Est execrata Bethlee?
Capricornus alter hic severas intulit
Brumas, & immites nive,
Ex quo furit superbus, illusum ratus
Se rege Persarum advena:
Ne fabulam sui daret, sævam dedit
Infantium tragœdiam.
Maturat hæc acerba mors pœnas: brevi
Sacer Tyranno erit cruor. 10.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI è Societate IESV LYRICORVM SIVE ODARVM LIBER IV.

De Christi pœnis ac morte.

Προαύλιον.



VT nunc hæsitante complector animo sanguine manantem, ac morientem vitæ parentem? quippe animadverto ad deplorandum, & lamentandum haud quaquam esse mihi vel lacrymarum, vel querelarum satis. Tu namque, Pater ipse ter maxime, filium, quem ad perfectissimum, absolutissimumq; Naturæ typum æterna mente genitum gignis, cujus incunabula non rudis infantiæ blandimētis, sed æquævæ divinitatis amore fovisti semper, ac foves, sanctissimum, amantissimumque tui à te amatum æque, ut justitiæ litaret, in modum hostiæ mactari voluisti, satius esse judicans Patrem innocentissimo, amatoq; unice filio, quam impiis hostibus deesse. Vidit Sol (quamquam ille Cœli oculis tenebris repente offusis acerbitatem tantam intueri nequivit) vidit certè

certe illa ætas, illa urbs mirum, invisumque spectaculum. & Patri Deo par, & mundi conditor, spoliato corpore, pacta mercede veste, lictorum se verberibus lacerandum præbuit, affigendum cruci, ferro, flagris, vepribus cruentum, ut victoriarum, quas occidendo speciosissimas adipiscebatur, titulum ac trophæum calamo sibi per ludum tradito inscriberet sanguine. Igitur à jucundissimis ejus crepundiis atque natalibus, indicto nunc toti Naturæ justitio, ad mœstissima parentalia me confero, imitatus illam Memnonis statuam tam admirabili arte perfectam, ut ad primos Orientis Solis radios quendam concentum instar fidium ederet; eadem vero ad occidentem jam solem lugubri sono, & quasi Phrygiis modis immurmuraret. ita cum in superiore libro Christi ortum jucundissime cecinerim, occasum nunc luctuosissime deplorare aggredior. testatur Pausanias, eam Memnonis statuam à se visam, cum jam multa ex parte esset vetustate collapsa, seque audiente instar fractarum fidium raucum quiddam ad occidentem Solem infremuisse potius, quam cecinisse; quod unum ego præstare possum, quem animi mœror ac dolor de Christi morte, stupentem, & quasi lapideũ fecisset, hoc tempore cum ceteris saxis etiã infregit, integro tantũ dolore.

 Christi

Christi mortem Amoris negotium dicit.

ODE I. *Hor. l. 3. od. 4.*

D*Imitte Pindi culmen amabile,*
Immane poscit te Solyma jugum,
Thalia; amico redde Divo
Inferias lacryma tepenti.
Vt ille sectus verbere livido?
Vt horret ictus vulnere barbaro?
Venis & exuctis amarum
Ducere amat sine amore virus.
Tueri acerbum quod fuit omnibus,
Quicumque regnati astra tenent poli,
Deumque te spectant ter amplum,
Et pariter venerantur unum;
Artus rubentes ut lacer, arbore
Turpi perires; ut premerent caput
Sertoque collatisque dumis
Dulcem animam misere pacisci
Pro me volenti. fert Amor arduum
In montem anhelum, fert celerem mori.
Perferre quærentem labores
Ille tulit per acerba lethi.
Amor trabali pondere deprimit,
Amor dolorum, mortis & arbiter
Parente dictus; tela acuta
Cudit Amor faber, arma cudit.
Seu pectus hasta differat algidum,
Seu cor fenestra proferat igneum,
Rimatur imas dum latebras,
Purpureos aperitque fontes.

Da-

Damnosa frustra sævities furit,
Edaxque livor; scimus ut occidens
Fatumque devotamque Mortem
Sustuleris merito triumpho.
Frustra malorum nuper imagine
Tristi paventem perculit, æstuans
Sudore cum vultus cruento
Immaduit, riguitque pallens.
Nequicquam acutis illa securibus
Fidebat, uncisque horrida brachiis;
Arcum sed intendit sine ictu
Innocuum jaculata telum.
Quid Mors inani vulnere sæviens
Contra Tonantem posset, & arbitrum
Vitæ? revixti, Dive, puro
Rore lavens nitidos capillos.
Mors consili expers morte cadit tua;
Testes Averna tot reduces Styge
Manes, verecundusque Pluto
Perpetua domitus catena.

Ejus mortis fructum ostendit.

ODE II. *l.2.od.11.*

QVid te dolentem, me quoque maceras
Flentem, reorum prime nocentium?
Regnator ô Divûm perenne
Patre Deo sate, Patris hæres.
Ah sic peribis magna anima, ac tui
Cruoris ultro prodigus? ah cave,
Caducus unà ducat orbis
Ne trepidans subito ruinam.

Fatiſcit altis diſſita ſedibus
Tellus, gementum ſaxaque montium
Divulſa naturam fatigant
Attonitam facie malorum.
Fies reorum tu quoque turpium,
Quondam decorus, præter & omnia
Spectandus, ac te multum amantem
Crudus Amor minimum juvabit.
Quamquam nec Orcus te gravis halitu
Afflabit olim, nec violentior
Tenebit Vmbrarum Tyrannus,
Et Stygiæ dominus paludis.
Non te morantem carcere bellua
Trilinguis urget; vis tua liberum
Dimitttet ultro, teque cæcis
Manibus eripiet coruſcum.
Ambit corona te populus frequens,
Ducemque ovantem conſequitur comes;
Ter temperando fila voce
Rex fidicen ſocios remulcet.
Reſciſſa mortis jura cadunt; fugit
Miniſtra lethi ſæva neceſſitas:
Me truncus & pomum remorſum
Suſtulerat, niſi triſte fatum
Letho levaſſes; ô amor, unaque
Tutela noſtri ſcilicet hoſtiam
Te cæde votivam cruenta
Sponte adoles in Amoris ara.
Devota cordi lancea fiſſili
Quandoque ſævit, vulneribus Pater
Iram reponit ſponte, promptum
Et jaculum, rapidumque fulmen.

Magno

Magno parenti obſecutum dicit moriendo.

ODE III. *l.2.od.14.*

E*Heu dolentum ſignifer, arborem*
Crudelè ſcandes; nec Solyme modum
Sævis inexorata pœnis
Ponit, agens per iniqua montis.
Mœrens parenti vota feres tuo,
Sed finget ultro ſe illacrymabilem
Pœnas ferenti, qui ter amplo
Numine te ſator uſque fudit.
Iubet volentem te velut Adriæ
Tumultuoſi per freta currere
Enavigando; teque fluctus,
Teque graves ferient procellæ.
Feres acutos vertice languido
Dumos, receptans atque humeris onus
Infame, damnatuſque longæ
Arboris, & nocui laboris
Iugo ſubibis, flebilis heu nimis
Matri; neque horum te ſociabilis
Quiſquam, pudicum præter unum,
Conſequitur dominum pudendum.
Latus refoſſum barbarus hauriet
Romanus haſta protinus, & ſolum,
Ferrumque tinget tabo, & unda
Pæoniis potiore ſuccis.

Defor-

Deformatam ejus speciem deflet.

ODE IV. *l.4.od.13.*

Poenis consuluit quam minimum tuis
Non lenis Pater, atque immiserabilem,
Desertumque doles te;
Ore illum licet exprimas,
Æternoque satu mente sub intima
Subs̄tes; te chalybes, te premit asperum
Sertum; tempora vepres
Turpant & capitis decus;
Non clari lapides vertice fulgurant,
Non crines adamas illigat aureos,
Nativo aut Charis igni
Pulchris excubat in genis.
Te ludicra tegit purpura, te Tyros
Informi opprobrio muricis impia
Ludit, teque palustri
Regem fingit arundine.
Quò fugit nitor heu? quove color decens?
Quo vultus? quid habes illius, illius
Magni Numinis olim,
Quo terras, mare temperas?
Quò par forma Deo cessit? & aureum
Quis te perdidit? ah, strenuus impulit
In tantos Amor æstus,
Servaturus humo satos.
Sic te lusit Amor, nec fuit arduum
Deturpasse Deum vulnere lurido,
Hostis nec sine risu
Extinxe ætheriam facem.

Na-

Naturæ mœrorem in ejus morte ostendit.

ODE V. *l.2.od.14.*

N*Atum parenti carmine supplicem,*
Deumque amantem dic, Erato, Deum,
Artusque liventes, comamque
Implicitam paliuro acuto.
Eheu tuentis lumina Amor liquat,
Pleno ac doloris pectore, spiritus
Tumet; Quirine ah parce miles,
Parce gravi metuende telo.
Fas vulnus hastæ dicere barbarum,
Vdique fontem cordis, & uberes
Cruore rivos, dona amantis
Cecropio potiora melle.
Fas & dolentis dicere nattam
Matris, vel alti scissile culminis
Aulæum, & instantem ruinæ
Erigonen Solymæ nocentis.
Tu saxa, durum tu moriens Athon,
Taurumque frangis. tu Stygis accolas,
Plutone victo, tu sorores
Vipereas Erebo revincis.
Tu cum parentem carmine posceres
Obliviosum criminis, obviam
Phœben retorsisti repente
Nocte cava jubar occupantem.
Vix rupe Bethles edite devoves
Caput procellis; membra trementia
Involvis infans vile panno,
Nudus amans periture quondam.

Quam-

Quamquam nec aptus, parvule, vulneri.
Damnisque nostris, nec sat idoneus
Pœnis laborabas; beatus
Unus eras, patiensque brumæ.

Consecuturam ex morte gloriam demonstrat.

ODE VI. *l.2.od.20.*

Non usitatis pallidus occides
Pœnis, bifurca ceu reus arbore
Pendens, nec in terris moratus.
Longius invidia tuorum.
Crudele obibis, Iessiadum licet
Sanguis parentum, Patre Deo licet
Satus, nec impar, ah peribis
Vile caput, Solymæque ludus.
Iam jam rigescunt crinibus asperi
Vepres, & arbos excipit impia
Supernè, trajectumque sævit
Perque pedes, digitosque ferrum.
Sic victor Orcum deripis, & Patrum.
Subis gementum littora lætior
Regnata Plutoni, triumphis
Nobilis, Elysiisque campis.
Formidolosus: dissimulat metum
Frustra superbus; jam spoliis gravem
Impune miratur, nec ultra
Immeritos cohibebit unda.

Ejus exemplo aſpera perferre conſtituit.

ODE VII. *l. 3. od. 2.*

ANguſta rerum paupere cum Deo
Perferre fas eſt, arduaque omnia,
Qui nudus artus pendet altè
Romuleis agitatus iris.
Illum recisum vulnere plurimo,
Sectumque flagris, & male vepribus:
Quiſquis cruentatum capillos
Aſpiciet, gemitu profundo
Suſpiret: eheu ne Deus inſolens,
Rudiſque pœnarum aſpera perferas
Lethi; fatigatum per omnes
Scilicet egit Amor procellas.
Mors criminoſos perſequitur reos,
Purum paterni criminis unicè
Cur te immerentem ſæva mordet,
Nate Deo, neque parcit uni?
Vis dia lethi neſcia ſordidi
Viget refulgens lumine proprio,
Nec Mortis immanem ſecurim
Arbitrio Lacheſis ſeveræ
Formidat unquam; nec docilis pati
Cælo perennat, fataque temperat,
Caſuſque mortales, & urnam
Deſpiciens, hominum ruinis
Evadit; ultro ſic tamen occidens
Nova negatum pandis iter via;
Et pœna quas diſcrevit oras,
Remigio celeri ſubimus.

Iudaicæ

Iudaicæ genti exitium præcinit.

ODE VIII. *l. 1. od. 16.*

O *Parce lictor, tristibus & modum*
Impone plagis. ingemit, ingemit
Deus sub ictu; sat dolori
Triste datum, satis ac furori.
Non barbarorum Sinicus ultimus,
Sic hostem acuto vulnere discidit;
Non Maurus æque, non flagella
Sic geminant repetita Thraces,
Vt gens Iüda, compede ferrea
Quondam Tyranni libera, nobiles
Edocta ritus, atque iura
Monte super trepido Sionis.
Crudele lethum. sed, Solyme, tibi
Suprema stabit causa, Quiritibus
Cur olim acerbis, triste ducas
Exitium haud miserante Cælo.
Hostile aratrum barbarus imprimet,
Fanumque collabetur, & arduum
Bacchante Vulcano lacunar,
Et patriæ quatientur arces.
Illum insolentem sollicitudinum
Tentavit arcu strenuus aureo
Amor, volentem perque pœnas
Misit agens, & amara lethi.
Opprobriorum sit satis; impiam
Compesce mentem, vertere mollibus
Edura fas est, & recantans
Probra Deum, Solyme, fatere.

AD COMITEM LAVRETI

Hortatur ut allaboret ferenti crucem.

ODE IX. *l.1.d.9.*

VIx ecce quernæ sufficit arbori
Deus ferendo: prô Superûm potens;
Tristè ingemiscens sub trabali
Pondere inemoritur labore.
Succede duro colla jugo terens,
Non tu pudenda sorte vicarius,
Succurre labenti, Deoque
Affer opem socius malorum:
Est ampla merces; nam simul æthera
Victor reviset, regnaque patria,
Cælo reclinabit beatum
Romulidum potiore regno;
Laboriosum ne fuge consequi, &
Quod ille pondus cunque feret, tibi
Repone, nec molem dolorum
Abjicias oneri adlaborans:
Dum pergit aris victima, prodige
Simul cruorem; tristia vulnera,
Vocesque sub noctem probrosas
Mente memor repetes amica.
Nunc fraudulentum proditor osculum
Lambit, latenti & lictor ab angulo
Post terga devinctum lacertos
Vi retrahit male pertinaci.

Pœnarum acerbitatem exaggerat.

ODE X. *l.1.od.19.*

O *Mundi faber, impium*
Quis dextra chalybem fixit, & aneis
Vinxit compedibus pedes?
Cur te tantus amor, tanta licentia
Pœna sustulit arbore
Infelici? & agens spicula pectori
Tentavit cor amabile,
Et multo latices sanguine miscuit?
Vrit te lacerum dolor,
Vrit me penitus mœror, & indecens
Oris forma Deo minor,
Et vultus nimium flebilis aspici.
In te tota ruens Patris
Vltrix ira, malos deseruit reos,
Nec Natum patitur leve
Solamen capere, & delicias poli.
Hic altè tibi stipitem
Fixit, ferrum acuens, sævaque cuspidis,
Vt te fiat amicior
Mactata Pater, & lenior hostia.

Indigna ferenti condolet.

ODE XI. *l.1.od.13.*

C *Vm tu de trabe languidam*
Cervicem moriens deprimis, & caput
Duris sentibus horridum,
Protendens chalybi brachia livida,
Mî manat liquor in genas,

Intu

Intus meque dolor macerat ignibus.
Ah nec lux tibi, nec color
Alta fronte manet, nec decor aureus.
Qui Thraces tibi candidam
Turparunt speciem vulnere plurimo?
Quis lictor male barbarus
Impreßit rigidam verberibus notam?
Nosco fraude sub impia
Lambentem oscula, quæ nectare non Amor,
Sed quæ Cerbereo tumens
Multo felle cliens perfidus imbuit:
Sic tantæ necis arbiter
Vltro te bifidæ fixit Amor trabi.

Deum pœnis deformatum luget.

ODE XII. *l.3.od.12.*

NImis atrox Amor urget, nimis angit,
Neque parcit capiti usque irrequieto
Malè flagris lacerati, male plagis rubicundi.
Vbi nunc ô Genitoris decus almi?
Gena dulcis? decor oris? nitor auri?
Vt inhorres? ut ab alta lacrymosus trabe pendes?
Tibi dextram furor acri premit ære;
Tibi vepres acuuntur; riget uni
Rubus asper; penetrale & cor acerbat dolor intus
Nova quæ vis latitantem sub Olympo
Sola adegit petere ima? & subiisse
Mala lethi periturum pium amantem, sine amore?

Ejus mortem nobis necessariam dicit.

ODE XIII. *l. 3. od. 23.*

FErro subactam si tibi dexteram,
Pedesque pubes impia foderit,
Si morte placaris cruenta,
Dive, Deum, immeritisque pœnis,
Avita pestis non genus opprimet
Mortale, vitam restitues bonus
Auctor; nec aversos nepotes
Corripiet gravis ira cœli.
Devota dudum crevit in arduo
Hermone quercus, quam tibi destinat
Pater; recumbes, qualis olim
Victima Pontificum secures
Cervice tinxit: te Pietas jubet
Lenire flectis jam facilem Patrem
Dumo coronatum marino
Turpe caput, rigidoque serto.
Si tenta trunco brachia porrigas,
Quondam severi tu patris hostia
Major remollibis cruore
Numinis haud miserantis iras.

Fructus ejus mortis Martyrum lætitia.

ODE XIV. *l. 1. od. 25.*

MItius ferro feriant cruentum,
Ictibus crebris humerosque pellant;
Nec tibi cunctæ pateant refosso
Pectore venæ.
Scilicet Natus Genitore linqui
Visus, ut surdas hebetavit aures,

Arbb-

Arboris trunco Deus ille ab alto
Turpe peribis.
Tristis in longa trabe flebis inter
Hostium turmas, Solymeque ludet
Barbaro bacchata magis furore
Nobile Numen.
Dum tibi flagrans amor, atque nostri
Cura, quæ Cœlo rapuit profundo,
Corde jamdudum calet æstuoso
Arbitra pœnæ.
Læta sed pubes, animæque magnæ
Prodiga en ultro sequitur cadentem,
Et tibi fractos miserûm sodali
Dedicat artus.

Opprobria in decus cessura dicit.

ODE XV. *l.4.od.10.*

O *Devote malis, nec patriis muneribus potens*
Tu ne ille usque Deo natus, opes ingenii ferens?
Cur livent humeri triste flagris, pondere, & impio?
Quo cessit color, & purpurea forma prior rosa?
Cur squales misere sordidus, atque illuvie obsitus?
Formosus Deus ille horrificis vebribus hispidus,
Eheu quis lacrymis, & gemitu temperet? augurор,
Nam mox incolumes gratus Amor restituet genas;
Vita reddet opes, quodque decet dulce Deum decus.

Optat morienti commori.

ODE XVI. *l. 2. od. 1*

O *Nate cunis Dive perennibus*
De mente pulchra, par vigor ingenI,
Quis te fatigavit recisum
Verberibus, rigidoque ferro?
Gratum videri dulce decus poli,
Quid triste mœres mole sub ardua
Gemens? coronatus rubentes
Sentibus immeritis capillos.
Tecum peribo, nec trepidam fugam
Carpam, relicta non bene carbaso,
Cum fracta virtus, & fugaces
Turpe tui latuere amici.
Sed te paratum protinus obsequi
Patris voluntas sustulit arbore
Immani, & in lethum resorbens
Egit Amor per acerba rerum.
Obliviosi quis pateram meri
Propinet ægro? dum vacuis sitit
Venis anhelus, vel quis unda
Pocula deproperare curet?
Ah fallor; hostem nam Pater arbitrum
Dixit bibendi; miscuit impius
Cum felle myrrham, viperino
Tristius applicuitque virus.

Patris præceptum de ſubeunda morte.

ODE XVII. *l.3.od.3.*

V*Ltrò tenacem propoſitæ necis*
Deum fatigat damna per omnia
Amor; repoſcit ſæva pœnas,
Sæva necem Solyme proterva.
Terris amicus reppulit igneas
Arces Olympi, regnaque patria;
Suſpenſus & crudele fellis
Vipereum bibit ore ſuccum;
Sic allocuto conſilii pio
Parente Natum, pro reparabili
Orbis ruina: cernis alto
Pulvere turpe genus nepotum?
Concede letho; te male proditor
Mercede pacta deſtituat licet,
Damnêre crudeliſque cadis,
I bonus, i patiens perire.
Iam nec nitebis Numine patrio
Formoſa proles; te comitum cohors
Perjura linquet; barbarorum
Ipſe Pater neque vim refringam.
Sic ira vindex denique, ſic gravis
Furor reſidat; ſic tibi protinus
Minas timendas, ac pudenda
Funera terrigenûm redono:
Sic deſtinatas ætheris ignei
Sedes inibunt; tu modo confici
Pœnis, adſcribi reorum
In numerum patiaris ultro.

Dum lictor in te sæviat aspere,
Scindatque carpens verberibus; genus
Mortale regnato beatum;
Dum Solyme tibi vulnerato
Insultet audax, & fodiat pedes
Dextramque ferro, stet polus incolis
Fulgens, triumphataque possint
Morte frui potiore vita.

Iudæos ut ingratos exagitat.

ODE XVIII. *l.1.od.17.*

Nitente Phœbo Tabora lucidum
Mutas reorum monte tenebrico.
Sic eripis prudens Averno,
Dive, tuos, miseroque Diti.
Immane vepres crinibus asperant,
Sertumque nectunt textile vertici,
Nec Numen augustum verentur,
Aut veteres repetunt amores:
Vt rupe quondam liquitur arida
Latex, sequaci & fonte resolvitur;
Vallesque desertique saltus
Insolitis maduere rivis;
Defendat æstum seu vaga nubium
Tutela, Cœlum nectare roscido
Seu stillet, & fundat benignum
Mellis opes nemore insolenti.
Obliviosi nominis Isaci
Manus cruentas injiciunt Deo;
Collesque Calvari supini
Asperaque irrubuere saxa.

Non

Non te tuetur, nate Deo, parens,
Malisque tantus non Amor explicat,
Quem dulce amando dulcem amari
Fundis amans Patris unà amorem.
Hic heu pudenda sordidus arbore
Pendes; parentemque & sobolem trabe
Cerno laborantes in una
Fœdere composito doloris.
Hic viperini pocula Liberi,
Myrrhaque duces gutture felleo,
Merumque confundent veneno
Isacidæ nimium protervi;
Verbis lacessunt, quem male verbere
Scidere torto; vipereas probro
Cudere linguas; sorte & ausi
Matris opus tunicam pacisci.

Cupit particeps fieri pœnarum.

ODE XIX. *l. 1. od. 9.*

SIc heu probrosa prone sub arbore
Deus laboras? vix humeri ferunt
Onus verecundum, soloque
Laberis exanimis cruento.
Remitte pondus ligna meo super
Tergo reponens; ipse benignius
Plagamque nectam, & promam odoram
Vulneribus panacea hiulcis.
Probri sodalem junge: Quiritium
Fasces lacesso; nil moror asperas
Pro te secures; fœdus ici,
Fœdus amicitiæ haud dolosæ.

Venalem alumni fraudibus impii
Nunc tu cruorem fundis agens, emax
Salutis, absat notus alti
Vulneris, ingenuaque flamma,
Donec volentem lictor in arduum
Collem fatigat, nec comitem abnega
Amore supremo; cadenti
Commoriens bene fata jungam.

Cœlestis ales eum ad mortem incitat.

ODE XX. l. 1. od. 15.

EXsudans liquido sanguinis ubere
Patrem cum soboles mœsta reposceret,
Ales per liquidas concitus adstitit
Auras, ut caneret patris
Magni jussa: Bibes ebrie felleum
Craterem; supero sic placitum Patri;
Duces vipereum face tenus cadum;
Vrget sponte necessitas
Deletura nefas; jam furit impudens,
Te quærit tacito milite proditor;
Conjurata neci, dum malè patrii
Stat Regni Solyme timens.
Eheu quale rubes, ecquis adest novus
Sudor? sed Genitor funera destinat
Vltro. jam chalybem fingit acumine,
Et ferrum furor asperat.
Tutatur facilis præsidio Pater
Nullo; cæsaries vepribus hispida,
Baccatoque rigent pro diademate
Dumis horrida tempora.

Audin? ingeminant horribilem nimis
Clamorem, ſtrepitumque. en celeres reum
Lictores rapere, & pertrahere ad necem,
Vrgent & male verbere.
Lævum trajiciunt cuſpide jam latus;
(Extincto neque enim parcitur) & pedes,
Contractaſque manus tranſadigit chalybs;
Rubro ſanguine collines
Artus: ecce pudens Sol caput occulit,
Damnatique die, & luminis immemor:
Seu dirupta ſolo diſſiliunt juga,
Seu Manes dolor excitat.
Infelix nimium Nazaris heu parens,
Non olim hæc cecini pollicitus tibi:
Poſt noctis tenebras uret acerbior
Pectus ſollicitum dolor.
Tu ne cede malis, ſed generoſior
Dura; namque brevi triſtia mitibus
Mutabis, vegetus cuncta per horrida
Soſpes damna per omnia.

Statuit ejus exemplo omnia dura perferre.

ODE XXI. *l.3.od.1.*

SÆvit protervum vulgus, & impium
Deo parenti crimine non prius
Audito, & immanem repoſcit
Voce necem, nocuaſque pœnas,
Audax probroſo figere ſtipite
Reum; dolorum ſed generoſior
Aſcendit in collem petitor
Sponte mori patiens, decoro

Mortis triumpho, funeris arbiter,
Vitaque; nulla lege necessitas
Sortitur, ultro sed laboras
Mole sub imposita malorum.
Defixa tendis brachia, languida
Cervice pendens; vinaque gutturi
Tristem elaborarunt saporem
Assyria medicata myrrha.
Quod si dolentem te nec Amor juvat
Præsens, nec æther agmina concitat
Vltura crudeles, vel acrem
Nube Pater jaculatur ignem.
Cur fata damnem tristia? cur graves
Vitem labores, sævaque vulnerum?
Quin colle permutem cruento
Pausilypi nemorosa tempe?

Divinæ Iustitiæ decretum exponit.

ODE XXII. *l.3.od.5.*

TOnante suetus nube rubescere
Nunc, Dive, sontes inter habeberis
Suspensus altè, & vepre adunco
Purpuream redimite frontem.
Patrisné magni morte nocentium
Turpis propago concidet? hostium
(Prô Numen unum, prô ter ingens)
Ludibrium, Solymesque probrum?
Sub lege avita dividui maris
Et elaborata Superis dapis
Oblitus, & saxi liquentis
Isacides sine mente sævit.

Haud

Haud ille cavit providus impiæ
Vrbis ruinam, fanaque Romulis
Vastanda flammis, damna traxit
Ipse suis veniens in ævum.
Nunc sponte Divum letho Amor occupat;
Astræa virgo lancibus ut nefas
Expendit æquatis, severa
Fata movens ita solvit ora.
Si non peribit triste sub arbore
Proles Tonantis, nec vetus eluet
Fatale decretum cruore,
Regia non Superûm patebit;
Illum sed, ultro cum semel occidit,
Pater refinget nobilioribus:
Dracone sic luctante pugnat
Sæpe Elephas; cadet ille victor
Cum se protervis obtulit hostibus;
Cujusque Mortem proteret impiam;
Restrictus & ferro lacertos
Fundet agens sub Averna Ditem.
Ille unde vitam sumeret haud rudis
Divina acerbis miscuit. ô amor,
O magna Patris vis probrosis,
Damna per, exagitata pœnis.
Non inquinatum reppulit osculum
Mercede pacta, labra nec horruit
Infecta, non à se removit
Fœderis, ac fidei minorem.
Illum beatis propulit insulis
Amor; citatus sic rapuit mala,
Interque mœrentes sodales
Exitio properavit ultro:

Sciens

Sciens futuri præcinuit necem
Sibi paratam; nec secus expulit
Petrum renitentem, minisque
Increpuit studio morantem,
Quam si superba mente proterviens
Satelles Orci pessima consilI
Suaderet; illum quantum Olympi
Fecerat, atque Erebi potentem.

Indignitas tam probrosæ mortis ostenditur.

ODE XXIII. *l.3.od.15.*

F*Oecundi soboles patris*
Illibata, modum pone laboribus
Tandem, ac desine tristium,
Abjectoque nimis consule Numini.
Non, si quid me hominem satis,
Et te, Dive, decet; dignius ætheris
Regnes arbiter omnium,
Hosti sævus ubi fulmina dirigis
Vectus nubibus arduis.
Famosósne reos inter, & impios
Pendebis Deus arbore?
Informem maculam spargere Numini
Ah parce, illinere ac notam;
Te sceptrum patrium, non calami decent,
Te regni diademata,
Baccatique tori, frontis & infulæ,
Non asperrima veprium;
Te fas ore magis ducere nectaris
Succos, non inamabili
Mistum felle merum, & myrrhea pocula:

Sed

Sed te jussit Amor, caput
Venale, atque animam purpuream dare.

Inter pœnas latroni regnum promittit.

ODE XXIV. *l.2.od.2.*

NVlla mortales male criminosos
Spes levet, terras inimicus agras
Dum Pater damnat, nisi Natus ultrò
Concidat unus.
Concides casti bonus auctor ævi
Nobilis mortem superare letho,
Mox ut æternat metuens resolvi
Vita superstes.
Pulchrior cerni es lacer, & cruentus,
Quàm nitens Phœbo super hospitalem
Tabora, ardentes humerosque nubis
Lucidus auro.
Immerens sævis tibi acerbus ultro
Aridus tabo, vacuisque venis,
Triste fel gustans; morientis horret
Corpore pallor.
Pallidum at letho numero reorum
Dissidens latro Solymæ protervæ
Eximit prudens, sociumque probris
Dedocet uti;
Credulus regnum, & diadema magno
Detulit Divo, propriumque cultum;
Sic licet pœna sibi par, nocentum
Arbore pendens.

Necessaria ejus mors ostenditur ad salutem.

ODE XXV. *l. 3. od. 24.*

MEntis vis genitabilis,
Seu patris specimen, seu jubar ingenI:
Si clavos tibi aheneos
Vltro figet agens nostra necessitas,
Mortalis Erebi metu,
Et Ditis laqueis expedies reos,
Lethum postque tuum breve
Immetata feres sæcula posteris;
Defunctoque doloribus
Merces magna, salus, grata tibi salus,
Si non prisca reciditur
Pœnis culpa tuis, nec statuis pius
Quicquid suadet Amor pati,
Frustra solliciti morte carebimus.
Te ferre opprobrium necis
Fas unum, genitum Patre pari Deum,
Te, te collis in ardua
Iam clamor vocat, & turba nocentium,
I lethum rape, corripe;
Sic immane nefas, & nota turpior
Eradenda nepotibus
Damnatis vetita legibus arboris,
Cum perjura Patris fides
Summi materiem poma tulit mali,
Heredi properans necem,
Hydra plus nimio conjuge credula.

Morti sponte devotum dicit.

ODE XXVI. *l. 3. od. 16.*

NEquicquam implicitum compede ahenea
Lictor Romuleus detineat Deum;
Conjuret Solyme barbara funeri
Frustra, damnet & arboris,
Si non sponte suum devoveat caput,
Divinamque animam prodigat, atque Amor
Hortetur, fore enim ad sidera iter patens
Venali ob pretium Deo.
Egit sponte trahens ardua in omnia,
Et perrumpere Amor quidlibet obvium
Suasit, divitibus propulit insulis
Extorrem patria Deum.
Pœnarum docilis jam dolet acrium
Contempti Dominus splendidior poli,
Atque ultro miserum, transfuga cœlitum,
Partes sumere gestiit:
Non grata liquidus promitur amphora
Liber; vipereo felle sed asserant
Guttur, cui icula mella ferunt apes;
Et nectar liquet Atticum.
Importuna reum sævities agit,
Nullorum & comitum certa fides manet;
Quin dextram Genitor denegat, atque opem
Damnis illacrymabilis
Quid me Mygdonidum, regnaque Mempheos
M rantem teneant? jure perhorrui
Sublimes apices tollere verticis,
Abjecto nimium Deo.

Sed postes Erebi sic adamantinas
Victor diffidit, & subruit æmulum
Ditem decipiens; sic Acherontios
Fratres illaqueat duces.

Excidium præcinitur Hierosolymæ.

ODE XXVII. *l.3 od.3.*

O Non ademptis matris honoribus
Enate quondam pulcher, & ardua
De mente Patris, nempe fundis
Dulcem animam per acerba rerum.
Hoc impiatam crimine Romulus
Vastabit urbem, lapsaque mœnia
Depascet ignis, subditaque
Fana ruent populata flamma.
Dirum eloquuta sic Nemesi: nefas
Immane, demens mox Solyme, lues;
Fatalis impendet Quirinus
Templa Tyro fabricata vertens
In pulverem, ex quo perfidus obtulit
Mercede iniqua Numen; & arboris,
Sævique damnatum doloris
Exagitas duce fraudulento;
Iam non parentum præsidio ferox
Arcebis hostem, nec Solyme vetus
Pugnax giganteum Cyclopa
Caute premes, rapidaque funda;
Cervice duces indocili jugum
Onusta vinclis; qualibet exulas
In parte, campestres ut errant
Orbe Scythæ, neque certa sedes.

In-

Insultat eheu mœnibus erutis,
Bustoque templi turpe pecus; natant
Cruore campi, perque pompam
Roma ferox tua jura ludit,
Aurum repostum distrahet, atque opes
Patrum vetustas, vasaque barbarus
Heu coget usus in profanos
Cuncta manu rapiente Roma.
Vulcanus ardens scilicet Isacum
Clarabit oras nomen in ultimas,
Bacchante flamma deflagrata
Fana per, & rutilum lacunar.
Oracla dico, fataque gentibus
Hac lege, frustra ne trepident piæ
Vrbis sepultæ suscitare
Templa, velint reparare & arces.
Ter si renascatur Solyme, & vetus
Imago fani, ter recidat mea
Manu subactum, terque inanem
Culmine devoluam laborem.

IN CHRISTI CRVCEM,

Ἀλληγορία.

ODE XXVIII. *l.3. od.13.*

ARbos ô Libani nobilior cedris
Vltro lecta Deo, non sine te salus
Orbi parta nocenti.
Ramis lata bicornibus
Pendentem retines; ille lacer flagris,
Trajectusque latus tingere amat tibi
Rubro sanguine truncum
Æquævi soboles Patris.

Te sustollit Amor signifer, & Deum
Ardet figere; tu tendis amabilem
Vmbram, & dulce labori
Trabes hospitium. arborum
Fies perpetua fronde virentium,
Fies purpureo flore comantium.
Te dulcis rigat unda,
Corde & desiliens cruor.

Deflet ignominiosam ejus mortem.

ODE XXIX. *I 1.od.28.*

T*E nunc, Nate Deo, Cœlique, Erebique potentem*
Regnatorem animam exhalantem
Mœrebo, lacerumque comas, & scissa cruentum
Tempora. te ne ab origine Divum
Dicimus æterna natalem ducere, par &
Ferre decus, faciemque paternam?
Te dulcem proflare Deum spirabile cordis
Numen, & æqui juris Amorem?
Nil nomen te grande juvat Natique, Deique?
Sis Patris licet argumentum
Ingens, sis animi, tanti sis Numinis hæres:
Nec Cœli stellantia templa
Te formasse juvat, claramque Lycaonis Arcton,
Et Phœbi spectabilis olim
Purpureum decus, & pulchræ Latoidos igni
Accendisse genas male turpem?
Illa supercilii quò cessit gratia? & ille
Flos? animam largite parenti,
Concedis morti nervos, artusque volendo
Naturæ termaximus auctor,

Nempe

Nempe ultro tibi fata moves, & flebile lethum,
Prodige Numinis, atque cruoris;
Scilicet ut multo vectes adamante recludas,
Iam revoluto cardine Cæli.
Sic omnes stellata manet nos regia cives,
Ut constrata semel via Cœli est;
Nec Nemesis dedet Stygio mactare tyranno
Mortales Acheronte solutos,
Namque tuo reparas letho pius; & caput omne
Innocuus tibi reddet Avernus.

Dolet primũ, deinde victori gratulatur.

ODE XXX. *l.1.od.23.*

Conclamata fleo Numina, & urgeo
Divinum caput, heu, questibus ultimis.
Matrem jungere amo, quæ tulit integra
Voti virginei Deum.
Natura trepidæ flebilis occidis,
Et tecum pariter Cynthius occidit,
Damnavitque diem, tristitia gravi
Infractis quoque cautibus:
Nempe hæc mœsta parens audiit, audiit
Oracla, & Senior fata minacia
Olim præcinuit; sic sibi creditum
Arcebat gremio Deum.
Sed mox alta manu Tænara subrues,
Et sanguis veniet magnæ animæ redux.
Evadent miseri carcere lurido,
Te, te cum semel auspice
Cogetur subito fata recludere
Pluto; quosque sibi surpuit impiè
Reddet; Dive, tuo sic bene sanguine
Deles primigenum nefas.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER V.

De Christi pœnis ac morte.

Περιαύλιον.



Acryma nihil citius areſcere præſertim in alienis malis dicere ſolebat rhetor Apollonius; quas temen cum in ſuperiore libro profuderim plurimas, adhuc redundare video. ſed nimirum nova ſit ratio lacrymandi, ubi defletur Deus. expromam igitur in hoc altero intermortuis utcumque vocibus reliquias mœroris. Sed unde nam in Dei morte deploranda tanta ſive fœcunditas, ſive pertinacia carminis? mirum eſt quod accepimus à Grecis; fuiſſe Libetris urnam in qua Orphei cineres ſupra columnam marmoream ſervabantur; eo luſcinias ex finitimis agris turmatim convolare ſolitas, & quaſi næ-

næniam canere; has porro reliquarum omnium, quæ in ea regione essent, suavissimas fuisse & maxime vocales, quæ pertinaci quodam cantu ab ea urna fere nunquam avolarent. En causa, cur & nos ita pertinaces in canendo simus: parentamus extincto Deo, & quamquam eam lusciniarum suavitatem non arrogamus, certe multo ille ad concitandum & quodammodo afflandum animum efficacior quam Orpheus; neq; enim sola saxa trahi, revocari ab inferis frustra conjugem fabulamur, sed pios Manes evocatos ad æternæ vitæ lucem fatemur; saxa vero dirupta montesque discissos etiam num videmus. atque utinam ad beatissimam ipsam urnam hæc canere, ac deplorare liceret, quanto plus inde suavitatis, quam lusciniis illis ex aridis Orphei cineribus atque ossibus manaret? & sana multo magis impleret, ut ita dicam, animum illa, quamquam inanis urna, & divino corpore vacua; quam quæ cadaver Orphei continebat. pergam igitur, & quadam sive doloris pertinacia, sive amoris constantia, si minus omnium suavissime, certe maximo cum sensu pietatis, uti par est, carminis luctum redintegrabo. Sed in hoc Naturæ squalore quo utar artis ornatu? qua elegantia carminis? etenim si ars natu-

ram imitatur, cum illa hoc tempore tanto in luctu sit, quid tandem ab arte depromi poterit culti, atque jucundi? aut qua ratione acerbissimum illius dolorem hæc effinget? equidem, quoniam affinis est picturæ poësis, libenter adhiberem illud summi artificis velum, quo Agamemnonis, cujus dolorē assequi arte non poterat, vultum obtexit, nisi hoc tempore vela conscindi viderem. Expediret item nos communi dolore oppressos, & consepultos aliquo tumulo tegi, nisi aperti tumuli Manes suos dimitterent potius, quam admitterent. hærerem prorsus dolore & obstrepescerem, sed qui licet in tanto motu concussæ Naturæ? quòd si, ut ajunt Physici, nunquam vehementius intremiscunt terræ, nisi sopito mari, Cœloque tranquillo, subtracto omni spiritu, ac post ventos conditos, sane idcirco nulla tunc sæviit in mari tempestas, quòd in Dei morientis corde universa sæviret. idcirco nullus in Cœlo turbo, quia quicquid est horridi, ac turbulenti in eum unum impetum fecerat. neque vero fas erat alios tunc spirare ventos, quam gemituum, ac suspiriorum; nec afflare spiritus, Deo efflante animam. mira plane sunt omnia. scilicet terra movetur, quia se conditor confixus commovere non potest; hominibus

vita

vita functis venæ replentur ſanguine, quia vacant divinæ: aperit Deus oculos vel hoſtiles, cum moriens ipſe claudit; aperuerat etiam vivens multis, ſive ut plures haberet ſpectatores probrorum ſuorum, atque pœnarum; ſive ut plures eſſent oculi qui ſe flerent. Sed ultrà progredi dicendo non licet; tot enim orationi occurrunt doloris ſcopuli, quot hoc tempore petræ ſcinduntur.



Patrem Deum orat, ut succurat filio.

ODE I. *l.2.od.10.*

PArce jam Nato Genitor; nec urge
Intonans sævis nimium procellis,
Et fatigatos premere acer artus.
Desine telis.
Magna si manat soboles, perenne
Par decus ducens, careat pudendis
Sordibus lethi, careat severa
Lege reorum.
Durius pœnas agitatus inter
Arboris trunco graviore pendet,
Vepribus frontem lacer, atque ahena
Cuspide dextram.
Gaudet infestis Amor, atque acerbis:
Scilicet letho generosus ultro
Credidit se sic: Genitor sed illi
Damna rependes
Ocyor; non si mala nunc fatigant,
Sic diu linques; tumulo jacentem
Suscitas Natum, neque ferus urna
Condis inerti.

Dei filius inter cruciamenta proponitur.

ODE II. *l.3.od.12.*

REus alta trabe pendes Deus ille
Patris hæres, typus ingens, operosa
Nota mentis, jubar oris, simulacrum Deiforme.
Neque dulcis sitientem levat amnis,

Neque

Neque pœnas lavit ægras merum. acerbant
Sed amaro labra felle, & male aceto medicato?
Grave dextra, grave fixo pede meres,
Lacer artus. it amicus cruor unda,
Quà fecit latus hasta, & cor amantis patefecit.
Tibi vittas, & honestum diadema
Amor aufert; caput Indo prius auro
Paliurus tenet asper; coma squalet, gena pallet.

Patris Dei opem implorat, ut filio consulat.

ODE III. *l. 1. od. 35.*

O *Magne vindex criminis, ô Parens,*
Cui vis profundi parturit ingenI,
Prolemque fundit magnam, habentem
Instar idem, patriumque vultum.
Te Natus ambit sollicita prece,
Fletuque supplex, teque parem ciet
Patrem cruentus barbarorum
Turpe manu, rigidoque ferro.
Oblivioso ne excute pectore
Depulsum; acerbis neu Solyme impia
Pœnis fatiget, perque dextram,
Perque pedes premat immerentem.
Iam mortis ultro sæva necessitas
Clavos ahenos cudit, & arbori
Immane fixit; nec recurvo
Tristis abest paliurus hamo.
Vt membra pendent immiserabili
Velata nullâ pallida carbaso?

Vtcumque sortitu maligno
Veste cohors inimica nudat.
Hac illa frons, & forma Dei vetus?
Parentis ingens hic decor? hic satus
Natalis æterni? triumpho
Sponte sui subit ille amoris.
Quid non malorum sponte resorbuit
Casus per omnes? quid patiens Deus
Crudele fugit? vel dolorum
Invida quid Solyme reliquit?
Nunc pone damnis, pone modum malis,
Vinctumque pœnis solve, recolligens
Manu fatigatam labore, &
Functam animam graviore jussu.

Ejus mortem saluti necessariam ostendit.

ODE IV. *l.2.od.17.*

Patrem dolendo quid repetis tuum?
Si neutri amicum est destitui genus
Mortale, spes ô sola nostri,
Præcipitis columenque mundi.
Si te severis suppliciis dolor
Subducit; olim, cui Pater alteri
Det expiandi rite partes
Criminis? effugiens procellam
Cedes ruinæ scilicet omnium,
Gentisque perdes dulce decus tuæ;
Vt ipse suspensus peribis,
Certa salus erit, & superstes

Vives.

Vives. amantem (ſcis) neque flammeæ
Terret Chimaræ ſpiritus, ardsuum
Et quicquid obſtat, vi refringit,
Per medias ruit atque cædes,
Nil damna terrent. tu quoque prodigus,
Vindexque noſtri, victima concidas
Devota placato parenti,
Et niveus feriaris Agnus.

Matris inprimis dolorem exponit.

ODE V. *Hor l. 1. od. 36.*

ET luctu & lacrymis juvat
Complecti calido vulnere lividum,
Et tabo madidum Deum,
Qui nunc pendet hians de trabe, flebile
Pondus, vulneribus lacer,
Sed matri miſeræ flebilior. refert
Dum cunabula Bethlees,
Cultam & Memnonio rege puertiam,
Et feſtas Superûm lyras;
Seu nox tergemino cedat Apollini,
Aſtro ſeu duce ſplendeat.
Nigra ne careat cæca dies nota,
Neu promptis lacrymis modus,
Neu ſit ſollicito corde quies mali.
Nunc pro purpurea roſa
Frontem, dume, notes horridus aſperam.
Omnes in lacerum Deum
Defixi ſolvent lumina. amabili
Hærens ambitioſior
Trunco, vi rapida non ego diſtrahar.

Affixus

Affixus cruci piè inimicis ignoscit.

ODE VI. *l.1.od.31.*

O Vid inquieta poscit ab arbore
Natus parentem, corpore liquidum
Fundens cruorem? non ut hostem
Fulmine corripiat caduco,
Non sulphuratum fundat ut urbium
Ignem, Noëtin diluviem neque,
Cum claustra Neptuni refregit
Orbe ruens super ira Cæli.
Agat protervos & furor, & scelus;
Vitam benignus cæde paciscitur:
Sic damna vincit, sic paternos
Morte juvat reparare casus.
Tuetur hostem; quippe ter, & quater,
Pœnas tot inter, damnaque vulnerum,
Crebris lacessitus, quiescit,
Mite Patrem simul apprecatus;
Pœnam latentis Numinis inscii,
Pater, remittas lenior, & precor,
Impunè da, dextræ nec acris
Tela pati, nec acerba vultus.

Martyrum ardor commoriendi Christo.

ODE VII. *l.1.od 19.*

V Ltro citatum deproperas tibi
Lethum, & probrosas immerito paras
Per damna pœnas, atque vepres,
Atque gravem chalybem receptas

Immane

Immane membris; sic tibi virginum
Sponso cruento plurima concidet;
Vel sponte praesectis capillis
Casta tuum advigilabit ignem:
Sic te sequentur, collaque barbaro
Mucrone condent agmina amantium;
Lethumque crudele, & severum
Supplicium apposuere lucro:
Te dum tuetur sic male saucium
Arcu paterno, quis penetrabile
Ferrum recuset, dulce tecum
Commoriens par acuta poena?
Cum tu paternae vis, immitabilis
Splendorque mentis, delitias Patris
Mutare damnis inquietis,
Abjiciens potiora, tendas,

Materni doloris vis exprimitur.

ODE VIII. *l.1.od.27.*

A*Mica ferro laedere Numina*
Nec barbarorum est; hujus & insolens
Scythes furoris, gensque Thracum
Effera, Massagetaeque duri.
Ambite nudum pallade textili,
Peplo, Camoenae, cingite candido,
Deum & verecundum pudentes
Carbaseo reparate velo.
Probrosa nullo tegmine nuditas,
Et pacta vestis sorte volubili
Immane quantum distat alta
Prole Dei, scelerisque purâ.

Inomi-

Inominatis heu male discrepant
Odea Cœli vocibus. impium
Lenite clamorem, atque cædis,
Atque avidum immeriti cruoris.
Matremne vultis sumere tristium
Partem malorum? dicat amabilis
Parens, acerbo quo doloris
Vulnere, quo jaculo laboret?
Vnà peribit non alia nece
Parata ferro: flebilis heu parens,
Quanta sub Ætna pectus ardet
Tristius, obruiturque flamma?
Quanta laboras sollicitudinum
Sub mole, Nato proxima? quis piè
Soletur ægram, teque tanto
Expediat, miseranda, luctu?
Inter virilis vulnera nil tamen
Dolore peccas te abjiciens levem;
Nec erubescendis recedis
Opprobriis, sobolemque damnas.

Prodigia in ejus morte narrantur.

ODE IX. *l. 1. od. 2.*

QVandiu Nato Pater immerenti
Savies, vindex Pater? hausit illi
Iam latus ferrum, patet & fenestra
Pectus hiulcum.
Fluctuat Natura, tremitque, monstri
Insolens; Manes Acheron remisit,
Et vetus patrum genus omne terris
Rettulit altis.

Crebrior

Crebrior motu tremuit Cytheron;
Atque Eryx, atque altus Athos fatiscit;
Scinditur cortina, adytisque notis
Templa patescunt.
Ivit, & Phœbe properante curru
Mœsta contectum rubicunda fratris
Ora; damnavitque repente terras
Luce negata.
Tela mox fortes acuent Quirites,
Queis Scythæ, & quondam periere Daci;
Et luet patrum Solyme suorum
Crimine pœnas.
Vana nequicquam scelus expiabunt
Vota; jam toto profugum vagatur
Orbe, neglectum genus, haud benigni
Cura parentis.
Ille mortalis tenui figura
Nuper in terris breve vixit, almæ
Virginis proles, patiens renasci
Paupere Bethle.
Mox sed, ut Cœlum patrium redibit,
Te manent cædes, Solyme, tuorum;
Roma mox vastis equitabit ultrix
Martia campis.

AD GAMMACVRTAM.

Triste morientis Dei spectaculum proponit.

ODE X. *l. 1. od. 4.*

O Ccidit ille sator rerum Deus, ille dulciorum
Cupidinum fons uber, atque origo.

Aſpicis? haud ſolio ſplendet patrio, & nitente Olympo,
Nec aſtra cingunt verticem decorum.
En premit occultũ Phœbus jubar, obtegente Luna.
Vmbræque terris incubant nigrantes,
Et concuſſa tremunt juga, dũm dolor fatigat
Eviſceratum Numen, & cruentum.
Purpureum durus caput impedit, ſecatq; vepris.
Ingrata tellus quem tulit parenti.
Flebilis ille Deus male pallet ora, & horret.
Haud forma dulci fulgurat nitore,
Nec flagrantem oculos mirabere, corda quo calebant:
Informe letho ſqualet atque languet.

Deformatam Dei filii ſpeciem dolet.

ODE XI. *l.1.od.5.*

QVæ vis aſperior te Deus arbore
Figit? perque pedes, perque manus (nefas)
Immanem chalybem infert?
Quid ſtellis rutilam comam
Involvis paliuro, aſperioribus
Hirſutus jaculis? quis violat genas
Immortale nitentes,
Grato & murice perlitas?
Eheu cur ſpecie te intuor alterum,
Neglectumque fleo Numen, & aſpero
Crines triſte rigentes
Emiror diademate?
Semper namque frui credulus aureo
Rebar, te facie ſemper amabili.

Spera-

Sperabam inscius acris
Lethi. me miserum; quibus
Nunc jactate malis cerneris? & quibus
Ærumnis ageris? nempe potens Amor
Suspendisse potentem
De trunco arboreo Deum.

AD RVFFVM PRINCIPEM.
Sævitiam Iudæorum incusat.

ODE XII. *l.1.od.27.*

Nunc est dolendum, nunc querimoniis
Pulsandus æther; nunc lacryma Deum,
Et voce complorare acuta
Tempus adest, miseroque luctu.
Noster laborat, noster in arduum
Tendit cacumen; fert juga, fert trabem
Cervice; flagris intumescit,
Et rigido vepre sectus horret.
Pendens ab alto (prô pietas) dolet
Immanè trunco, dum Solyme furit,
Timetque dementes ruinas
Imperio, veterique fano.
Impunè molles verbere livido
Infecit artus, nec timuit Deum
Ferire ferro, pro liquenti
Nectare fel domino propinans.
Sic belluosam per Nemeen leo
Cervum cruentis corripit unguibus,
Morsuque adurget, vel nivalis
Hæmoniæ capream fatigat.

Amans tuorum quippe benignius
Perire quæris; protinus horridas
Pœnas lacessis, atque nostram
Morte cita reparas ruinam.
Fortis parentem poscere, barbaros
Vultu sereno conciliare amas;
Amara Myrrha dum remiscent
Pocula, vipereum & venenum.
Demorsus acri morte ferocior
Mortem resorbes, scilicet arbiter
Vitæ; superbos atque Manes
Ducis, iô, merito triumpho.

Parentem Deum ad filii pœnas accersit.

ODE XIII. *l. 1. od. 35.*

O Qui rubenti fulmina dextera
Hostem protervum dissimulans, Pater,
In Caspias convertis undas,
Inque Athon, in Rhodopenque duram,
Cur sævus urges vulnere plurimo
Natum? severo nec tibi vindici
Minæque decedunt, & ira,
Tot rigidas subeunte pœnas.
Cur immerentem deserere immemor
Pater videris? quo veteres tui
Cessêre amores? ille cordis,
Ignis ubi cecidit perennis?
At non sub ictu passus amabilem
Perire prolem, cum pater obsequI

Velox

Velox virilem strinxit ensem,
Molle domans adamante pectus.
Infida pubes cessit, & abnegat
Perjura Numen; diffugiunt metu,
Hostique dimittunt amici
Ferre necem pariter dolosi.
Excepit olim si puerum gelu
Sub rupe Bethles; asperioribus
Quid usque sub damnis laborat
Morte cadens nimium probrosa?
Succurre Nato, quem Genitor foves
Sinu feraci, mente sub intima;
Pratende dextram ferre suetam
Dulce malis medius levamen.

AD IANVARIVM.

Invitat ad collacrymandum.

ODE XIV. *l. 1. od. 11.*

QVid lata condant Gargara messium,
Et culta fundant Appula, desine
Curare, nec frustra labore
Sollicito trepida tueri.
Quin tu sub alta flebilis arbore
Iaces? reposcit te moriens Deus
Dumis coronatus capillos
Asperior, lacer atque flagris.
Non idem, Olympo qui fuit est honos,
Nec illi eodem forma rubens nitet
Vultu, sed artus inquietus
Suppliciis Solyme fatigat.
Solatur agros consociare amans
Pœnis. anhelo quin pius ocyus

Restinguis ardenteſque fauces,
Oraque frigidiore lympha ?
Quin ales undas nunc equus elicit
Solo ? pudicæ , dic age , Najades
Iordane maturent , & urnam
Cæruleis repleant fluentis.

Ejus mortis acerbitas, & fructus oſtenditur.

ODE XV. *l.2.od.3.*

Ergo laboras rebus in arduis
Devote damnis ? heu malè temperas
Humana divinis , acerbo
Turpe Deus moriture letho.
Hic mœstus alta figeris arbore ,
Hic te peremptum vulneribus Pater
Amorque reclinat , recludens
Interiore latus feneſtra.
Quà tristis arbos , ſed tamen hoſpitas
Vmbras amanti ſubjicit incola
Dulcis ; remiſto quà cruore
Lympha cavo trepidare corde
Laborat. huc & divite balſamo,
Syraque nardo deproperant tibi
Inungere artus decolores
Officii memores ſupremi.
Divusne Patris profluus ubere
De fonte compar , an reus impia
De gente , nil refert ; peribis
Victima nil miſerantis ultro
Parentis. alto ſic bene cogimur
Polo beati, ſic Acherontium

Regem

Regem coërces, nos Olympo
Dive tuo imposituro letho.

Injusta nex, & Naturæ motus ostenditur.

ODE XVI. *l. 2. od. 1.*

IRata cæco jam Solyme fremit
Motu; coëgit proditor agmina,
Deumque venalem pacisci
Ausus, amicitiæ dolosus
Mercede vili. tela (viden?) micant
Non expianda cæde rubentia,
Cœtusque sub noctem latentes
Purpureo meditantur horto.
Amor patenti colle tragœdiam
Dat lacrymosam; qua gravis imminet
Vrbi, reorum cæde turpis,
Et sanie madidus cruenta.
Perstringit aures jam tuba criminis
Ementiendo nuncia, & impiè
Narrans; coruscat fulgor æris,
Atque acies chalybum renidet.
Tu Patre magno progenitus, trabe
Subter laboras, heu male sordidus
Tabo fluente, atque indecoro
Pulvere, jam docilis dolorum.
Cliens, tuorum & quisquis amicior
Cessere; natum quin Pater abstinet
Vltro tueri, quem feraci
Mente satum gremio recondit:
Natura motu sed tamen horrido
Tremiscit, hostem perdere pertinax;

Tellure convulsa satiscit;
Et traheret Solymes ruinam,
Ni vota fundas concilians Patrem
Obliviosum tot scelerum, Stygis
Damnaret immanem catervam,
Atque tibi inferias referret.
Queis non sepulcris irrevocabiles
Venere Manes? cui lapidum fragor,
Sonusque inauditus ruinæ
Montium? agens prope funeratas
Gentes sub Orcum, nigraque Tartara
Hiante terra? quæ sola? quæ juga
Non horruerunt? quæ profundis
Ora latens caruit tenebris?
Sed ne minori, Pieri, barbito
Magnam retractes parva tragœdiam,
Mecum cruenta sub cupressu
Sparge Deum lacryma tepenti.

AD MATREM VIRGINEM.

Solatur eam ex filii victoria de morte.

ODE XVII. *l.1.od.33.*

AH ne plus nimio, Diva, dole; datum
Sat multum lacrymis, & querimonia;
Reddet mox Erebo non male creditam
Magnam progeniem Pater:
Natum Mors violens nescia Numinis
Morsu corripuit durius aspero
In venas inhians, sed prius occidet
Imbelli caprea leo,

Quam

Quam Mors usque tenax devoret; evomet
Exsorbenda Deo, cui placet invidam,
Vltro cum cecidit, sub juga libera
Vitæ mittere fortior.
Prolem Mors rapidè cum peteret tuam,
Trunco detinuit compede ferrea
Importuna, feris sævior Africis
Nequicquam, moritura Mors.

Iudæorum furor, & Christi amor ostenditur.

ODE XVIII. *l.2.od.16.*

TErminum pœnis negat inquietis
Sævior Marsis Solyme colubris,
Surdior saxis, simul obstinatas
Obstruit aures.
Isacis pubes furiosa sævit
Asperans frontem paliuro adunco;
Turpe venalem comes & rebellis
Prodidit auro.
Luderis probris male, cui paternum
Splendet obtutu jubar; ô profundæ
Mentis exemplar, bonus ille rerum, &
Nobilis auctor.
Non tibi præsens famulatur æther
Summovens cæcos Solymæ tumultus,
Mille te quamvis Superûm frequentum
Agmina cingant.
Quid brevi tot damna recurris ævo?
Igne quid multo radiantem Olympum
Orbe permutas Deus exul, ultro
Aspera quærens?

Impiam scandit pia cura nostri
Arborem, Phœbe simul atra nigrum
Condidit fratrem, ac tibi mœsta pallent
Sidera Cœlo.
Tristis in præsens, homini quod ultra est
Sic amas curare, & amara nostro
Temperas risu, recreans ab omni
Parte beatos.
Abstulit terris fera mors cadentem,
Longa sed vita reparas cadendo
Sacla; sic Manes Acheronte solvens
Inferis astris.

Ἀλληγορία. Veni in altitudinem maris, &c.

ODE XIX. *l. 1. od. 14.*

QVæ te cura nimis provida mercium
Cunctantem placido littore propulit?
Atque exercita sævis
Ventis egit in æquora?
Vt te, nauta, ferunt per mare barbarum
Fluctus? parce ratem provehere, ah cave;
Classis namque inimica
Tradando freta pervolat.
Iam restricta tibi brachia colligat,
Et nudans chlamydem sorte paciscitur,
Quamvis navita Cœlo
Cognate, & Superûm potens
Iactes vim patriam, Numen & arduum;
Neptunusque tibi, regnaque pareant
Latè Tethyos alma,
Nutu cunctaque temperes.

Natum

Natum non Genitor juverit, & mala
Pallebis trepidus navita, cum manus
Malo barbarus alto
Constringens chalybem premet.
Ne te crede fretis, opprobrium nisi
Debes æquoreis hostibus. an dolis
Emerges potior? vada
Evadesque Ceraunia?

Vaticinium de excidio Hierosolymæ.

ODE XX. *l.3.od.6.*

CRudele cædem mox Solyme lues,
Quod criminosa voce lacesseris,
Deumque vexaris parentem
Perque nocens flagra, perque dumos
Fœcunda pœna; scilicet asperans
Manus decoras artifices poli;
Hinc omne derivavit ira
Exitium in miseros nepotes.
Mox impiatam Romulus impiger
Delebit urbem, pergamaque ardua,
Cohorte formidatus acri,
Ac domiti bene notus orbis.
Thorace cingi gaudet aheneo,
Et fingit hastas exacuens leves
Iam nunc, & immanes ruinas
Præcipiti meditatur arci;
Fanum, elaboratamque Tyro ruet
Domum superbam marmore; dædalum
Vulcanus ardens perque culmen,
Perque sacras equitabit aras.

Iam cogit agmen Romulidum Titus,
Promitque avitas ex adytis opes,
Vrbemque adauget martialem
Exuviis Solymæ beatis.
Direpta cerno sacrilega manu
Et vasa, & auro sculpta toreumata,
Lamnamque delubro refixam;
Nobilium monumenta Regum.

De Mundi justitio in ejus morte.

ODE XXI. *l.1.od 34.*

QVid, ô, *Quirinus sævit, & imminet*
Superbus hasta? diffidit ut latus,
Fatetur ultrò non paventi
Voce Deum, scelerisque tædet.
Natura pallens horruit, horruit
Novis tenebris obsita, Sol niger
Repente ut hæsit, territosque
Pressit equos, trepidumque currum.
Redduntque Manes Tænara creditos,
Et bruta tellus, atque Ceraunia,
Taurusque, Atlanteusque vertex
Concutitur, lacer ut pependit.
Se sponte pœnis attenuans Deus
Obscura promit Numina; dum tremens
Natura acuto cum fragore
Infremit, & periisse mœret.

AD PROCACEM ADOLESCENTEM.

Ad flendam Christi mortem provocat.

ODE XXII. *l.2.od.12.*

Nolis cæca sequi jura Cupidinis
Præceps exitio, regnaque Cypriæ
Debellata Deo non sine sanguine,
Ac dira sobolis nece.
Nuper multiplici verbere lividum,
Et clavo Solymę fixit aheneo,
Illusitque probris; unde periculum
Tellus contremuit pavens,
Et diffractus Eryx, & Rhodopeïa
Cautes dividuæ flere Deo satum
Visæ; Phœbus equis attonitis fletit,
Excitæ ac tumulis amant
Ingentes animæ visere languidum,
Pallentesque oculos, & male vepribus
Præcinctum caput, & vulneribus patens
Incensum cor amoribus.
Quam nunc Pausilypi dedecet otio
Insanire, (nefas) aut dare brachia,
Et versare pedes? dum Deus arbori
Affixus male plectitur,
Quæ te sumque Erebi damna manent reum:
Iam liventia detorquet ad oscula
Cervicem domini proditor, ac Deum
Permutare velit levi

Mercede,

Mercede, haud opibus ditis Achamenis.
Auri tanta fames; cernis ut eripi
Formidet? sed amans hic properat mori,
Et pœnas rapere occupat.

Impiè raptatus ad mortem proponitur.

ODE XXIII. *l.2.od.5.*

NOn criminoso sunt humeri jugo
Pares; nec æquat viribus arborem
Labore nitens, sed ruentem
Pondus agit prope funeratum.
Montana tendens culmina Golgoti
Incontinentum detrahitur manu
Pœnis fatigatus, probrisque
Luditur, & chlamyde indecora.
Pulsatus horret grandine verberum,
Frontemque aduncis vepribus, & comas
Asper; sub autumnum rubescit
Roboreo velut uva prælo,
Sic pendet alta lividus arbore,
Ferroque plantas, atque manus lacer:
Romane lictor quid probrosis
Vocibus increpitas dolentem?
Acerbe quantum non rigidus Geta,
Maurusque sævit barbarus, aut Scythes,
Compunctus aut candente ferro
Tempora Threicius satelles:
Humana quæram si ora, & amabilem
Formam, sagacis lumina falleret
Obscurus; horret quippe totus
Vulnera, delituitque imago.

Vltio de Hierosolyma futura præcinitur.

ODE XXIV. *l.2.od.13.*

NOn ille Divum sorte nocentium
Impunè damnat; qui gemina trabi
Affixit audax in nepotum
Perniciem, opprobriumque gentis;
Immane tergo pondus, & arborem
Cervice pressit; saxaque lubrica
Stillante respersit cruore
Numinis. ille paravit Vrbi
Demens ruinam, qui scelus impium
Concepit olim, colle super locans
Te triste lignum; te caducus
Ille tulit, pepulitque terram:
Quæ damna ducas haud, Solyme, satis
Noris. recurvi jam litui strepunt;
Fragorque confundens, & aures
Sollicitat tuba Martialis.
Frustra tuenti credula Numini
Arcebis altis mœnibus Italum
Robur; sed improvisa belli
Vis rapiet, ruet atque fundo
Delubra. vises regna Quiritium
Captiva pubes, & Capitolium
Onusta vinclis, & secures,
Oraque purpurei senatus.
Iesséus olim præcinuit lyra
Vates, & acri carmine næniam
Dixit, revolvens dura turpis
Exilii mala, sæva cædis.

Condolet è cruce pendenti.

ODE XXV. *l.1.od.8.*

NAte parente Divo,
IngenI magni ſoboles; ſic juvat ah dolendo
Lædere dulce Numen?
Sic lacer pendes? tunc reus ſupplicii, atque lethi?
Te neque dimicantum
Stipat examen Superûm, barbara nec caduco
Fulmine caſtra tollis?
Qui Deum lictor potuit tangere? cur acerbant
Guttura viperino
Felle? quis crudele premens tempora vepre findit?
Cur paliuro inhorres?
Ille quo ceſsit Deus? ah livida quis terébrat
Brachia turbinato
Ære, figens mollè latus ejaculatus haſtam?
Sic miſerande langues?
Scilicet primi repares ut lacrymoſa Patris,
Funera, nec Tonantem
Ira devolvens agat in terrigenûm ruinas.

Materno dolori ſociat ſuum.

ODE XXVI. *Epod.od.1.*

PEritis inter impios dura trabe,
O conditi mundi potens.
Quid mœſta Mater? te cadente concidet;
Volupe eſt nihil ſuperſtiti.

Te montis usque persequetur verticem,
Et dulce tecum commori est.
Quos tu labores, quotque laturus mala
Innasceris pauper Deus?
Magis rigente pumice Alpium jugis
Inhospitalis Bethlees.
Amoris usque ad ultimum pius gradum
Forti laboras pectore,
Tu à dolore funus avertens meum,
Serpentis allapsu, ac dolo
Quondam paratum; ni adfuisses auxilI
Multum ferens nepotibus,
Non stagna Cocyti, nec oras fervidas
Stellante mutarem polo.
Illic reponit me benignitas tua,
Et plurima vis gratiæ.

Πϱοσωποποιΐα CHRISTI AD PATREM.

ODE XXVIII *Epod. od. 4 & 5.*

AT ô potens Olympi, & orbis inferi,
Parens & ô compar mihi,
Quid derelictum temnis? aut quid instruis
Pœnarum in unum me agmina?
Per me, suo si mentis æterna satu
Imago, vis & ingenI,
Per immerentes has manus, per & pedes,
Matremque mœrentem precor
Quid ut nocentem me fatigas? aut uti
Latronem ab alto stipite?
Anhelus en præcordiis inæstuo,
Venas adussit & sitis.

Confusa felle viperino pocula
Miles Quirinus miscuit,
Myrrhamque, amarum & quicquid invitis reis
Ars elaborat impia.
Horret capillus interim dumo aspero
Marinus & Echinus velut;
Sectusque flagro ad militis fastidium
Totus cruore diffluo.
Iam parce tandem amoris æterni memor,
Animamque magnam collige.

Piæ Matris quærelæ.

ODE XXVIII. *Epod.od.5.*

EXulcerato corpore horrescit Deus,
Genæque sanguine innatant;
Quo mater ipsa posit aspectu, & gravi
Inemori spectaculo.
Queis non querelis arsit? ô amor brevis,
O dulce votum Bethlees;
At tu severe criminum vindex Pater
Huc verte acutus fulmina,
Iratus inque me tona, nocentium
Formidolosus arbiter.
Cur immerentem barbaræ carpunt manus
Magni parentis filium?
Ah ah flagrisque turpis, ac vepre horridus
Vix Numen ille, vix homo.
Te, te reposcit, nec vocate sæpius
Mœstis recurris vocibus.
Non usitatis vina potionibus
Miles propinat fellea.
Quæ nec venena Marsus herbarum sciens,

Aut

Aut saga miscet Thessala.
Prius sed inferum polo nabit mare,
Interque phocæ sidera;
Quam non amore tu Mater, flagres. tibi
Non mittit iratas preces
Vlturus hostes, sed quietus mollibus
Lenire verbis apparat.
Non devovet severa detestatio,
Diraque agunt nullæ reos.
Sic expiat se victima priscum nefas
Acerba perpessum caput.
Quin ubi dolore fessus expiraverit,
Romanus occurrit gravi
Mucrone miles, hauriens imum latus.
Insistit & præcordiis:
Neque hoc parentem me malis superstitem
Spectaculum tristi effugit.
Iam mœsta pallent sidera, & jubar suo
Diana fratri deripit;
Tellusque jam dehiscit, erumpit solo
Vis insueta Manium,
Deumque fixum immane mirantur trabi,
Ferentem & humanas vices.

Iudæos absterret à cæde.

ODE XXIX *Epod. od. 7.*

QVo? quò scelesti trahitis abjectum Deum
In montis altum verticem?
Parumne dumis, atque acutis sentibus
Flagrisque fusum est sanguinis?
Immane tergo pondus, & feret grave
Iugum catenatus Deus?

Hostis secundum vota, & invidentium
Consulta Mystarum occidet?
Nempe ut superba fana mox, & arduas
Romanus arces diruat.
Eheu severa fata crudeles agent,
Scelusque barbara necis,
Vt sanguis immerentis est fusus Dei
Vrbique delubro & sacer.

Mortis acerbitas, & Naturæ dolor ostenditur.

ODE XXX *Epod.* II.

PRærupta montis languidus subit Deus
Trabem laborando trahens.
Heu quantus ore pallido sudor fluit,
Heu quantus emanat cruor,
Vt verberarunt horridis mollem flagris,
Vt vepre traxerunt comas;
Vtramque sævi ut asperant ferro manum,
Hastaque discindunt latus:
Desedit altis montibus tellus hians,
Frangens tremiscens Pelion;
Imis sepulchris evocat Manes dolor
Orco remugiens cavo;
Et Phœbus atra nocte permutat diem
Pallore mæstus luteo.
Quem non querelæ permovent nimium piæ,
Preces & iratum ad Patrem?
Conantis in Ceraunii cautes jugi
Ab hoste fulmen vertere?
Sic est, ut agnus immolabitur Deus,
Qua mira vis amoris est.

Ex filii

Ex filii opprobriis matris dolor exprimitur.

ODE XXXI. *Epod. 11.*

Vindex reorum nulla ut antea potes
Fulmina dirigere
Languente confixus manu;
De nube fulgurante non sævus tonas
Currum agitans volucrem
Amore perculsus pio,
Amore, qui te præter omnes integrum
Conficit, & nimium
Exercet in malis diu.
Eheu per urbem perferens tanti probri
Fabula quanta jugum
Trahens fuisti, & arborem?
Satis te amicum pallor, & satis dolor
Arguit, & latere
Deductus effosso cruor:
Cum mœsta mater nil valere se prece
Supplice, nil lacryma
Doleret applorans tibi:
Simul renudaris verecundus Deus
Virginea chlamyde
Pendens ab insana trabe,
Ingrata venti dividit suspiria
Aëra per vacuum
Fomenta amoris irrita;
Inæstuat præcordiis, & intimo
Pectore. tantus amor
Illam tui implexam tenet,

 Unde

Vnde expedire non queant tot aspera
Damna, tot opprobria,
Natique contumelia;
Sentitque verbera, atque acuta veprium
Tempora purpurea, &
Longam remordentum comam.

Προσωποποιΐα CHRISTI AD PATREM.

ODE XXXII. *Epod.* 16.

I*Am dedicatum spiritum manu Pater*
Recollige. ô pœna sat exhaustum, vacant
Cruore venæ. quid recedis ab mei
Obliviosus obseratis auribus?
Amplectere artus undique ambesos, comam
Laceraque frontis accipe abscissam vepre.
Te per calenti pectore afflatum Deum
Nostros amores, oro; per natalia
Æterna, meque mente fœcunda satum
Tot parce pœnis; parce tot malis precor,
Damnisque tandem solve, solve corpore
Laborioso spiritum nodo explicans.
Quicquid malorum est uspiam resorbui;
Amata Divis forma fugit, ac decus;
Capillus asper horret & dumis riget;
Perusta terga, & fustibus latus tument.
Declinat à dolore me haud solatium,
Dolore, tendit qui diu præcordia
Suspiriosa. Patris imploro mei
Natus levamen. amplius pati jubes,
O magne vindex? aridus siti ardeo,
Et viperino felle, & ora myrrheo

Liquore

Liquore acerbant delibuti sanguinis
Currente rivo; amara quin addunt probra.
Vides ut atris obsoleta sordibus
Paterna imago squaleam? quem tu sinu,
Et hospitali pectore aeternum foves.
Quae finis? aut quid me manet superstitis
Poena? voluntas si jubet, plures luam
Paratus expiare, seu mori vice
Plus simplici, seu me severius placet;
Adempta reddas regna Mortali modo,
Perambuletque sidera, & polum aureum
Illi redones, ampla sit merces cruor.

PATRIS AD FILII verba responsio.

ODE XXXIII. *Epod.* 17.

QVid Nate magna vis parentis unicè,
Et par imago, tristior fundis preces?
Acerba damna sponte devotus subis,
Tantis & ultro suppetis doloribus,
Morti cruentae, & obligatus arbori.
Velis benignus immori tantis malis;
Mucrone pectus Romulo recludere
Praestet, patescat intus ut praecordiis
Amor; sed interim evocas Manes pios,
Potens inertes excitare pulveres.
Te maesta nunc Diana, te luget polo
Phoebus tenebris ater insolentibus,
Te temperare felleum fas poculum
Nostroque amore, speque felicis exitus.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM SIVE ODARVM LIBER VI.

De Christo victore reviviscente.

Περιαύλιον.



AB horrido illo, tristique Dei morientis spectaculo ad jucundum ac letum victoris, ac triumphantis traducere animū libet; atq; inde jam evocatū ubi omnia lachrymis, gemitu, luctu referta fuerant, in eo qui dignior est felicitatis gradu collocemus, honore, ac divinitatis opibus fulgente. Orere tandem ab illa quæ sanctissimis veterum Manibus addicta esse creditur, sede, totumq; beatæ turbæ gregem, qui te diu præstolatur, tecum protrahe in lucem onustus Erebi spoliis: sic inexpugnabili, constantiq; amore in nos tuo, ac pro salute, dignitateq; nostra in ferenda morte testata pietate poscente. itaque non est cur

cur ego lyram temperem ad eum usum, ut quemadmodum de Orpheo fabulati sunt, qui Euridicen hac arte ab inferis, revocare conatus est, te inde evocem; sed ut tua vi emergentem, educentemq; ceteros memorem, plaudamque victori, Musarum etiam castas instituam choreas repetenti patrium Cœlum. Apim illũ suum Ægyptii coluerunt ea superstitione imbuti, ut amissum flerent magno cum luctu omnium, inventum vero summa celebritate, ac significatione lætitiæ Memphin referrent. tum Apim narrant in aërem (haud dubie quin malis artibus, atque præstigiis) subvectum librare se solitum, & motus versare varios instar ludii; Ægyptios vero qui suberant spectatores quasi miraculo attonitos choréas, ac saltatorium eundem orbem circumagere cœpisse, ut Deum imitarẽtur; quanto tandem majorem lætitiam concipere nos debemus? ut qui extinctum antea flevimus, & veluti amissum Deum, nunc invento, & viventi, & in Cœlum sua vi evecto gratulemur; & beatorum animorum choros pœana canentium imitemur in terris. temperabo igitur lyram non jam Phrygiis illis, & ululantibus modis, sed Doricis potius gravibus, sive Lydiis lætis.

Christo de Anastasi gratulatur.

ODE I.

DEpone luctum, desine flebilis
Thalia longam dicere naniam;
Deo cadenti; temperatas
Tange fides meliore plectro.
En ille, nuper quem Solyme neci
Demisit atrox, arboris impiæ
Damnatum, & immites adegit
Ferre vepres, & acuta ferri,
Nunc fronte ridet latus amabili,
Puroque vultus Sole prior nitet;
Vectus triumphali quadriga
Ecce subit spolians superbi
Postes Averni; signa refigere
Antiqua fortis, regna nocentium
Prædatus Vmbrarum, & fatigans
Tænara non facili ruina.
Vt execratis vocibus intonat
Stygis profunda ripa, inamœnaque
Sedes? & iratæ sorores
Vipereos secuere crines?
Vt luce Cœlum plaudit, & aurea
Renidet æthra? protinus ardua
Fores patescunt, deciduntque
Difficiles adamante vectes.
Vt læta pubes carmina dividit
Gratata Divo compede libera?
Magnosque Cœli jam Quirites
Ducit ovans per inane princeps?

Ceu cum Mimantem funda tricorporem
Stravit, cruento vertice nobilis
Vates choréas invidendas
Rettulit indecori tyranno.

Patrum gratulatio.

ODE II.

IAm regna Ditis vividus occupat,
Foresque magna vi quatit aneas,
Quem nuper aspexit cruore
Dura nimis Solyme natantem.
Tradas Averni jam sibi destinat
Per damna victor, quidlibet efficax
Domare. nequicquam tumultu
Sevit inops animi tyrannus.
Campos inanes horrida vastitas
Tenet, colonûm jam vacuo solo,
Latèque desolavit oras
Haud iterum reparante Morte
Regni ruinas. tu bonus expedis
Per stagna Cocyti immeritam diu
Mærere pubem, teque amico
Carmine, te gemitu petentem.
Nunc Martiali cingit adorea,
Castaque lauru; te canit in tuas
Effusa laudes, ac recenti
Te memorem celebrat triumpho.
O magne custos, en ades exilI
Spes una nostri; pacis, & otii
O auctor, ô tutela præsens,
Dulce decus, generisque vindex,

Mutare fortis tristia mitibus,
Et ima cœlo Tænara, funditus
Demoliendo Ditis arces,
Et Stygii penetrale regni:
Fatalis olim crinis ut integer
Heros columnas subruit ædium,
Hostes & obtrivit ruina
Præcipiti, ceciditque victor.

Captivorum libertas exprimitur.

ODE III. *Hor. l. 2. od. 19.*

N*Unc feriato corde remittite*
Curas, & acres sollicitudines,
Victore Divo jam tyranni,
Et vacuum subeunte regnum:
Fas insolentes carminis inferas
Mulcere sedes, & fidibus novis
Aures tenere, & fas canoris
Ferre Ducem numeris ovantem
Per damna lethi. tu Stygis accolas,
Tu regna Ditis pallida deripis,
Umbrasque, devotosque Manes
Ignibus, haud sinis ire terris
Impune, cæco carcere detinens
Post terga vinctos; robur & imperI,
Fascesque frangens; nec cruentas
Mors acuet violens secures.
Tu sæva fati jura nepotibus
Rescindis ægris; & miseram luem
Resolvis, optatamque pœnis
Ipse tuis revocas quietem;

Fud tque nectar Tænarus insolens,
Et mella taxus sudat Hymettia,
Iam ripa Cocyti repente
Flore novo velut Hybla ridet.
Edura tandem vincula diffidit
Ferox juventus Numine vivido:
Nec jam superbi jura Ditis,
Aut socios metuit Cyclopas.

Inferorum perturbatio ex Christi aspectu.

ODE IV. *l.4.od.4.*

O Valis corusci fulminis impetus
Dejecit ornum, stravit & ilicem,
Silvamque depastus comantem
Ignis iit sine lege liber;
Sic alta nuper Tænara perculit
Proles Tonantis, pergamaque impulit;
Aulamque Plutonis superbam
Corripuit subita ruina.
Tollensque ab imo gurgite verticem
Cocytus ater substitit, & Charon
Impune miratus per undas,
Perque lacus gradientem Avernos.
Tu Ditis arces, atque adamantina
Perrumpis audax limina Tartari;
Scyllamque terrens, Gorgonasque &
Fœda modis simulacra miris,
Eludis Vmbras; tu pede proteris
Findens cruento colla tumentia

Frustra

Frustra reluctantis tyranni, in
Dedecus, opprobriumque regni,
Nectens rigentes Manibus impiis
Ferro catenas, ne furient vagi
Terras nocentes, neve Pluto
Castra ferox inimica cogat
Fratrum timendorum; at spoliis gravis
Labore nullo jam Capitolium
Subis, & æternis onustum
Accipiet reducem trophæis.

De superata morte gratulatur.

ODE V. *l.3.od.11.*

Surge regnati bonus auctor orbis
Nuper immiti violate ferro,
Te chelys dicet superare lethi
Aspera fortem;
Nec loquax olim neque grata, dum tu
Triste penderes trabe pondus alta,
Læta nunc aris, & amica templis
Reddit honores.
Tu potens duros lapides dolendo
Rumpere, & terram quatere inquietam;
Sensit emirans grave vincientem
Ianitor Orci.
Sensit intrantem nigra Styx, nec ausa
Alveo magnum cohibere Divum,
Horrida splendes simul in latebra
Nobilis hospes.
Surge, sed dixit, neque te tenebo;
Surge, crudelis mala vince lethi,

Falle

Falle jam Mortis dominum, atque Mortem
Falle protervam.
Tu modo abruptis Erebi catenis
(Insolens uni tibi nam peperci)
Liberos Manes age, & hinc solutos
Infer Olympo.
I Pater quò te vocat, & paternum
Numen; ô vindex bonus, i trophæis
Dives, & nostros spolians penates
Ritè triumpha.

Mortis fructum in patribus liberandis agnoscit.

ODE VI. l.2.od.14.

Celer se ad auras victor, iô, Deus
Attollit altè; non Acheron tenet,
Non Tænari regnator imi
Deprimit, indomitumque fatum.
Et jam tricenis illacrymabilem
Plutona vinclis arcet, & improbi
Compescit iras; jam veneno
Comminuit tumidum draconem.
Averna latè namque refuderat
Terris Enyo; stagnaque tristia
Enavigari lex jubebat,
Patre nefas avido movente.
Ni tu cruenti prodige muneris
Sponte obtulisses magnam animam neci,
Frustra per æternos labores
Effugerem male tutus Orcum.
Invitus atro flumine viserem,
Cocytum inerrantem, & Furias, genus
Deforme,

Deforme, damnatosque Manes
Mortis inocc duæ, ac doloris.
Absumet ultrix immiserabiles
Hæres procacis flamma licentiæ,
Excusa Cyclopum caminis
Ætna potens animos vorare.
Nunc alta Cœli regia destinat
Sibi, reducto cardine; jam patet
Olympus ardens ostro, & auro
Attalicis potiore tectis.

προσωποποιΐα MATRIS.

Redivivo filio gratulatur.

ODE VII. *l.2.od.8.*

O *Nate sospes, Nate redux, potens*
Prædator Orci divitis, en ades
Ortus pudico flore Matris,
Virginis & generatus alvo;
Amor parentis, curaque non levis,
Quem triste flevi tempus in ultimum
Sequuta per cædes cruentas,
Damna per, & Solymæ procellas.
Vt te reviso, Nate, libens, gravi
Iactate fato, de nece sospitem?
Qualem redonas te parenti
Sollicitæ, lacrymisque nostris?
Amplector artus vulnere saucios,
Et signa vivo perlita sanguine;
Vidi tumentem turpe densis
Vulneribus, lacerumque terga.
Hamata vidi serta rubentibus
Horrere circum sentibus, auream

Fron-

Frontemque Cœlum qua serenas,
Tristè premi paliuro adunco.
Nunc orbe vincit sidera Gnossio,
Et forma ridet læta supercilI;
Odora nardo jam nitescunt
Tempora, malobatro & recenti.
Dispar ab illo es, qui cum animam rapi
Devota sensi, saucia cui prope
Mucrone acuto concidi, te
Per vacuum subitura Avernum
Effossa ferro pectora barbaro
Vidi. cor illa, atque hanc animam simul
Trajecit hasta, ac telo eodem
Pectus Amor pharetratus icit.
Sed te per omnes egit Amor gradus
Malorum, & alta sustulit arbore
Crudelem in occasum resorbens;
Te pietas tulit æstuosas
Inter Charybdes; ègit & ultimas
Orci latebras visere Manibus
Deprœliantem, creditasque
Exuvias Erebo ferentem.
Ergo repensam sanguine debito
Iam redde Cœlo progeniem piam;
Damnatq; sat deflevit exul
Vincla diu, miseramque noctem.
Ad astra tecum victor age, ac tuo
Repone regno; nos tamen aspice;
Obliviosus nec tueri
Parce tuos tibi destinatos.
Tum pectus exple Numine missili,
Afflansque Cœlo flamen amantium;

Vnguenta ceu conchis supernè
Deflua conde sinu capaci.
Hebræus olim sic stupet Hercules
Crinitus Hyblæ dona liquentia
Leone cæso, dulce nectar
Horribili tulit ille malæ.

Christum ad Patres liberandos excitat.

ODE VIII. *l.4.od 5.*

R*Egnator miserorum, atque Erebi potens*
Maturare juvat, si quis amor, tuum
Adventum: veteri consilio patrum
Spectandum decus exhibe.
Gratum redde diem Lucifer inferis;
Instar noctis enim te sine Tænari
Squalet cæca domus, nec genitabili
Aura campus iners nitet.
Sat pubes superis debita sedibus
Cunctatur rapidam trans Styga; longius
Sat vindex Nemesis detinet exules
Cœlo dissociabili.
Votis te omnibus, & suppliciis vocant,
Te desideriis, te repetunt prece;
Tandem, victor, iò, carcere demove,
Et regno patrio bea.
Tu Patris maculosum scelus edomas,
Damnatamque gravi prole puerperam
Cœlo restituis; duxit ad arborem
Fatalem heu male dexteram
Culpans insidias, & colubri dolos.
Te regnante tuo Roma sacrabitur

Cultu:

Cultu: cedet Arabs, horridus & Scythes.
Flectique indocilis Geta.
Te cratere pio, te Cerere exule
Iam jam prosequitur flamen, & abditum
(Sit fas mira loqui) ceu recreat Deum
Mente, & vocibus arduis:
Siccus dum faciet, te reducem Styge,
Te Patri celebret progeniem parem,
Magnæ mentis opum, magnæ & imaginis,
Æternique satus memor.

Gloria ejus anastasews demonstratur.

ODE IX. *l.4 od.15.*

O *Magna proles Numinis ardui,*
Cum Patre Divo Numinis ignei,
Spirans amando, Nate, ab alta
Mente satus redivive terris
Consurge tandem; gaudia rettulit
Renata virtus, carcere protinus
Eduxit Vmbrarum piorum
Agmen, ubi vacuo revinxit
Plutona regno. te duce Manibus
Clausis, refracti regia Tænari
Examini læto parentum,
Et Stygii patuere postes.
Letho cruento scilicet integræ
Crevere vires. diditur undique
Clarata virtus, atque vivi
Numinis ambitiosa fama.
Si jam perennat vita superstiti,
Quid terret Orcus me malus unguium

 Secu-

Securum? iô paean, canemus,
Vicit, iô; cape sceptra magni
Regnator orbis: non Thetis ultima
Edicta temnet Romula, non Scythes,
Non Indus, infidusve Persa, aut
Orbe novo latitans Iapon,
Nos & renato Numine dicimus
Sub Sole laeto; desine tristium
Tandem dolorum, sat cruentum
Vidimus exagitante poena.
Dolore functum Gloria destinat
Caelo; canoras carmine tibias
Clio remiscens, victor, inquit,
Dive Deo sate, iô triumpha.

Victor describitur Inferorum.

ODE X. *l.2.od 13.*

Emerge damnis, Numen amabile,
Refinge formam funere pallidam
Pulcher videri, qualis olim
Culmine Taboreo reluxti.
Nuper parenti iussit Amor tuo
Parere, tanti funeris arbiter
Sparsisse colles heu cruore
Innocuo; premat ut venenum
Fatalis hydrae, damnaque livida
Clothus rependat: sic homini satis
Cautum est, neque Orcus terret ultra,
Triste movens avido ore fatum.
Immane hiantem gutture pallido
Premis. catena mille tenent ferum,

Prae-

Prædas ut improvisus illi,
Dive, rapis spoliator aulæ.
Evertis imo regna Proserpinæ,
Piosque Manes altius evocas,
Sedesque discretæ parentum
Iam vacuæ reserantur astris.
Ducisque cæca de latebra potens
Quondam resectum dentibus æneis
Vatem canentem dura vita,
Dura necis mala, dum lethi.
Vtcumque certis edita vocibus
Oracla mirantur; celebres refert
Pugnas, & infractum Tyrannum,
Et profugos Acheronte Manes.
Dulcis laborum personuit canor,
Dulcis dolorum: cardine jam patent
Averna moto, Dite frustra
Per vacuas ululante ripas.
Frustra profundum bellua centiceps
Tuetur antrum, stant Acherontiæ
Vmbræ stupentes, & colubris
Eumenides riguere sectis.

Patrum expectatio indicatur.

ODE XI.

QVid squalet imo carcere tandiu
Pubes Olympo debita? Manibus
Iam parce amicis: parce longo
Exilio revocans solutos.
Sat turba mœret crimina, patriam
Gemitque labem; delituit satis

Pallente sub regno Tyranni
Hospitio radiis negato.
Seris ahenis stant adamantini
Postes, & abdunt limine ferreo;
Nec ulla terris, sive Cœlo
Spes patet effugii, viaque:
Hinc alta Cocyti cohibet palus,
Avernus illinc, atque Acheron furit;
Cunctos & uno funeratos
Ceu tumulo tenet urna, & arcet.
Te mille votis, te lacrymis diu
Pii reposcunt. ah pater ocyus
Accurre damnis, ferque dextram
Expediens Stygias per undas.
Nam quis refractis non paveat seris?
Teque irruentem fratribus impiis,
Vltroque devotum ruinæ,
Et vacuis Erebi rapinis?
Superbientem jam pede proruis
Ditem, nec ultra prælia destinat
Terris, ut improvisa clades
Occupat, ac trepidum coërcet.

Musam ad victoriale carmen excitat.

ODE XII.

O Quæ barbiton auream
Et chordas, Erato, carmine temperas:
Dulcem nunc age barbiton
Pelle, & mente nova præcipe gaudium:
Te vocale melos decet,
Et pæana Deo dicere liquidum,

Qui

Qui nunc Tanara deripit,
Et Manes Erebo colligat igneos;
Nec munire adamantinas
Multo vecte fores profuit, & Styga
Nigros volvere gurgites,
Nec Plutona vias irremeabiles
Acri cingere milite,
Sepire ac positis excubiis iter:
Nil Divo fuit arduum;
Perrupit Phlegethonta impatiens Amor,
Solvens damna per omnia
Pallentes animas carcere lurido:
Lethes enatat alveo,
Patrum fortis ubi vincula diffidit.

Davidis citharœdi epinicion.

ODE XIII.

TAndem revulso cardine aheneo
Procumbit altè regia Tartari,
Invita quæ rerum potentem
Cum Stygio ruitura regno
Excepit. Ida qualis in ardua
Differt aduncis armiger unguibus
Ales minores, dama qualis
Horruit Armenium leonem,
Sic Ditis agmen fundere pertinax,
Nigramque pubem perdere Manium,
Fratres & æquatos Tonanti
Iure pari, domuit rebelles.
Insignis ostro tum citharam manu
Vates resumpsit Tanara personans,

Nec usitata voce mulcens
Triste chaos, miserumque vulgus.
Salve parenti par soboles Deo,
Sanguisque noster; vulnere plurimo
Nosco cruentum, nosco amicum.
Cæde tua revocare letho
Mortalem, & astris reddere patriis.
Haud me fefellit nuncia Numinis
Cortina veri, nec canentis
Spe vacua cecidere vota.
Vadente Divo sævit impia
Megæra frustra vipereos coma
Quassans colubros, atque nigram
Exagitans per inane tædam.
Tu luctuosis regna dolentium
Vrges querelis, exululantibus
Vmbris, ut exactum tyrannum
Imperio, solioque vertis
Olim Tonanti cedere nescium,
Et inquietis seditionibus
Tumultuantem, nosque Averno
Immerito Nemesin prementem.
Quid hic moramur te duce & auspice?
Iam tolle tecum, duc & in ardua
Patente Olympo, nosque longo
Eripe servitio solutos.

Patrum liberatio describitur.

ODE XIV.

IAm jam fugaces præcipitant Styge
Vmbræ se in ima condere, & infimo

Manes

Manes Averno: jam ter amplum
Exilio cohibet Typhœa;
Arcens frementem mille tenacibus
Mimanta nodis. non iter invium
Moras, nec immanes Cyclopes
Attulerunt, foribusque centum
Vectes aheni; scilicet altius
Caput decorum sustulit alveo
Lethes profundæ, victor Orci
Nobilis, indomitæque Mortis.
Vt ille forti diffidit ostia
Manu, refringens dura repagula,
Et carcerem reclusit imum
Morte cadens reparante vitam,
Liquere Ditis protinus horridi
Crudele regnum, nec genus obstitit
Immane dirarum sororum,
Nocte satas agitante luce;
Noctis carebunt umbra inamabili,
Raucisque Averni fluctibus, & vado
Languente Cocyti severo
Exilio profugi parentes.

Erebi depopulatio describitur.

ODE XV. *l.2.od.18.*

NOn fores ahenea,
Gravesque vectes janua morantur
Arbitrum Stygis Deum.
Ferox tyranni regiam occupavit,
Et trabes, & igneas
Agit columnas basibus revellens;

Ditem & impium domans
Supra omne robur frangit, & potentem
ImperI tenebrici
Laceßit ultro, creditas repoſcens
Quondam opes, & agmina
Polo inferenda; haud interire paſſus
Exules diu ſuos.
Dolore functus, & cruore pulcher
Inferas ſubit domos,
Stygiſque nequicquam obſtrepentis urget
Enatare gurgitem,
Tremente ripa, & alveo potitus;
Implicanſque Cerberum
Ligat catenis plurimis triſaucem;
Limites breves neque
Nigrantis ora præterit, nec ultra
Pluto Tanarum vagus
Oberrat, Vmbras ſordidoſque Manes,
Agmen impium ferens,
Nocentibuſque ſede deſtinata
Clauſus, orbe truditur:
Sed altus interim piis Olympus
Patribus recluditur,
Revixit excitatus, ut ſuperbum
Principem coercuit,
Et impios ſatellites revinxit.

Patres invitat ad liberatoris occurſum.

ODE XVI. *l.3.od.14.*

CRedita ô pubes veteri latebra,
Et diu ſævis onerata vinclis,

Iam

Iam potens Mortis subit alta Ditis
Ostia victor.
Prodeat gratata Deo parentum
Turba, regnato referenda Cœlo,
Regis & clarum genus, atque vatis:
Prodeat alma
Virginis Mater seniore partu
Fœta, & ô quem fama Dei parentem
Dixit intégri thalami pudico
Fœdere junctum.
Phœbus hic primum nitet albus, atram
Eximens noctem, laqueis ut arctis
Effugit nigræ Stygis, exilIque
Libera pubes.
I rosas, i nunc Erebo solutum
Carpe narcissum, nova necte serta;
Leniat luctus animum remulcens
Alma voluptas.
Nunc & oraclis properet canoris
Regius nervos fidicen ciere,
Pectore his suetus male hospitali
Pellere Manes.
Prælio Ditem domitum superbo
Fallite immunes, vacuumque Avernum.
Fiet evincto mora nulla jani-
Tore trifauci.

Victoria parta ante oculos proponitur.

ODE XVII. *l.1.od.4.*

I *Am Plutona premit victor Deus, & domans ferocem*
Educit Orco creditas catervas :
Non aditu prohibet caci subeuntem opaca Regni,
Nec latrat actus Cerberus catena ;
Rex fidicen cithara pœana canit, chorumque ducit
Et lata Virtus, candidique Amores.
Mors infracta jacet, terris neque jura prisca sancit,
Necessitas nec usque nos adurget.
Ille potens rerum dat terrigenas inire Olympum,
Vt vasta regna jam vacant Averni.
Victorem mirantur, amabile lumen ardet Vmbris,
Caletque pectus insolente flamma.
Nunc me thuricremas latum decet immolare ad aras
Dape incruenta, & dapsili cruore.

Primi parentis occursatio, & gratulatio.

ODE XVIII. *l.3.od.27.*

P *Atris aquavi sobolem sub atra*
Nocte non Vmbra teneant nocentes
Strenuum aternos Acheronte duro
Claudere Manes.
Ante quam clarum referat ter ortum
Phœbus Eoo vigile cubili,

Ipse

Ipse te nutu leve suscitabis.
Vividus ultro.
Tu licet tendas per Averna opaca,
Atque Cocyti nigra stagna visas,
Nulla vis audax Erebo moretur
Surgere fortem.
Ilicet magno trepidat tumultu
Vulgus Vmbrarum indocilis tueri
Lumen; obscurus sinus horret alba
Nescius aura.
Tu simul duros aditus refringis,
Et fores vinctas adamante multo;
Gentis humanæ Genitor recurrit
Obvius ultro.
O sator mundi, sate stirpe nostra,
Vnde? quo tendis bonus? inquit, ô flos
Candida matris; neque me tuentem
Ludit imago.
Ætheris magni, patriique Olympi
Dive regnabas; satiusne cæcos
Ire per calles fuit, & jacentes
Tollere Manes?
Prodeat rursus malesuadus olim
Anguis, obtritum pede nitar altè
Frangere, audacem temere obtulisse
Tristia poma.
Pervicax liqui, mea regna, tempe.
Pertinax Orcus tenet. ô tuorum
Strenuus vindex, rape, nosque Regnis
Redde beatis.
Si tibi nuper Solyme decoras
Inficit malas, rigidique vepres

Asserant

Asperant frontem, & speciosa Cœlo
Tempora fœdant;
Vilis ab terris Deus, & cruentus,
Haud mori temnis; potes ipse Divûm
Rector (infandùm) male funerari
Arbore turpi.
Scilicet ferro lacer, atque aduncis
Horridus dumis nihil acre vitas
Noster ô vindex, generisque quondam
Optimus auctor.
Sic ubi effatus Pater; omnis, inquit,
Cura decedat; deus ille vester
Sanguis objeci laceranda nuper
Pectora ferro.
Natus æterno Genitore, nascor
Matre cognata tibi; me nepotem,
Et genus consanguineum paterna ab
Stirpe vocabis.
Quanta te Cœlo ferat aura nescis?
Sæcla jam currunt meliora, fructum
Disce pœnarum, tua jam propago
Tanara vici.

Patres proximæ liberationis spe solatur.

ODE XIX. *l. 3. od. 7.*

Sit finis gemitus: candidus inferis
Iam jam reddet Amor pollicitus Deum
Vltro morte renatum
Vatum non vacua fide.
Pendens ille gravi nuper ab arbore
Post insana viget vulnera, post necem

Turpem

Turpem non sine multis
Probris vividus enatat
Damnis; occiduo Sol velut Hespero,
Atque avi nitido flore recentior.
Suspirare quid ultra
Longo carcere pergitis?
Maturabit Amor non male perfidum
Adventum; atque Erebi sub penetralibus
Ire impune jubebit
Cocytum remeabilem:
Postes ille ferox franget aheneos,
Castas atque animas efferet, ut niger
Aula regnet inani
Pluto, jam facilis premi.

Evocat ex inferis Patres.

ODE XX. *l.2.od.9.*

O Desere Vmbras debita lucido
Pubes Olympo, credita Tanaro.
Mutare nunc tempus severas
Lætitia potiore curas:
Non usque iniquis æquora motibus
Permiscet Eurus, non equitat Notus
Impune Myrtoas per undas,
Vsque freto aut furit Adriano:
Composta Nerei regna volubilis
Tandem residunt: scilicet occidens,
Posthac renatus cæde princeps
Eripiet, patre comprobante;
Orco triumphato, & Stygis ignea
Late tyranno, Tartara subruit;

Nec

Nec patriæ devota Morti
Iura premunt, & acerba fati.
Nequit teneri carceris insolens
Obliviosi; stamen & aureum
Sibi retexet, fila rursum
Cadere jam metuente pœna.
Se se tuetur Numine patrio
Potens caducum tollere vividus
Corpus, jacentem seque ad auras
De facili revocare saxo,
Rursumque in oras ætheris ultimi
Ibit revinctus tempora laurea;
Superstes insignit cicatrix
Membra, pii nota certa amoris.
Sic vestra pascet lumina pulchrior,
Nec jam cruentus: totus amabilis
Videri, & obtutu beato
Mens avidos inhiabit ignes.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Ascendentis nobile spectaculum exhibet.

ODE XXI.

O Magna princeps ætheris arbiter
Nuper volucri vecte favonio
Per aëris campos inanes,
Sub pedibus gelidos Triones,
Terrasque cernis pulcher, & æquora,
Raptus sub auras nube volubili,

Vltra-

Vtraque stellantem residis
Signiferum solio paterno.
Vt ardet auro purpura textili,
Latoque clavo? frontis ut eminet,
Altèque majestas renidet
Digna Deo, patriæque compar!
Qua parte Cœli te rapit impetus
Tua citatum vi? quibus emicas
Plagis? & acres quò reflectis
Cornipedes, facilemque currum
Regens habenis? an teris orbitam
Trionum? an Austri? tene Oriens habet,
Sedes & Auroræ rubentis?
Solis an occidui meatus?
Hoc noster olim Cantaber unicè
Quærebat heros, dum Solymen pius
Lustraret, ac dulces obiret
Exuvias avidus tueri;
Vtcumque Cœlo pergis, amabiles
Insculpe cordi (si quis amor) notas;
Mollire cautes imprimendo
Nam potis, & silicem notare.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Musam ad triumphale carmen excitat.

ODE XXII.

INtende Clio pollice barbiton,
Et bellicosum concine Principem;

Plutona qui nuper superbum
Egit ovans memori triumpho.
Nunc ipse pennis se levis aureis
Delibrat altè, regnaque patria
Revisit, immensosque tractus
Ætheris exuperat volatu.
Obliviosæ sospes ab alveo
Lethes revertens, & vacua Styge,
Exemit æternum timorem,
Rettulit & placidam quietem,
Cœlo reponens longius exules,
Missosque Patres sub juga ahenea
Ditis; solutis jamque curis
Tristibus, it chorus explicatus.
Jam fronte lætus; purpureum diem.
Ceu sole puro Taurus, & aureum
Reclusit annum, nec protervus,
Fert hyemem Boreas inertem.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Alludit ad currum Ezechielis.

ODE XXIII.

VT te per auras agmen ovantium
Inter choréas ducit amabiles,
Non usitata fertque pompa
Aurea purpureum quadriga?
Præfers sonantem compede ferrea
Plutona, & atri carceris obsitum
Squalore, & Vmbras decolores,
Et Stygii simulacra regni.

Vt colla vinclo flectis aheneo?
Vt viperino felle tumentia
Domans coërces? frustra Averni
Monstra fremunt, & inane mussant;
Furorque & Ira, sectaque ducitur
Megæra crines anguibus asperos;
Nequicquam, & extinctam reportat
Tisiphone furiosa tædam.
Antiqua Lethi pone Necessitas
Captiva nodis ipsa suis subit;
Mortem & reluctantem protervo
Dente premis cohibens lupatis.
Vitale Numen, spiritus insidens
Auriga currum temperat aureum;
Rotæque (mirum) se quaternos
Compositæ glomerant in orbes,
Interque plexæ fœdera complicant,
Gemellæ & omni parte sororiæ;
Phœbo repercussas eadem
Æquoreas imitantur undas,
Aut fulgurantem chrysoliti facem.
Distinctus axis ceu vigil excubat
Spectandus, & spectans ocellis,
Seque tuens, dominumque currus.
Hunc quadriformes ...lipedes agunt:
Stant crura recti, plantaque finditur
Bisulca: fortis quo juvencus
More premens quatit arva passu.
Absistit, æris ceu nitor, igneo
Scintilla vultu. quò vigor incitat
Spirabilis, pergunt citati
Ante Notos, agitantque pennas.

Exertat armo se manus alite;
Versique vultus quattuor ad plagas
Solem obtuentur seu cadentem,
Seu reducem, mediove Cœlo
Flagrantem, & altis regna trionibus
Subiecta; cunctas tendere gestiunt
Terraque, Neptunique in oras,
Ire gradu metuente retro.
Impubis instar frons nitet alteri,
Genaque pura; rustica vis bovis
Et robur illi, qui salictis
Ad liquidos adolevit amnes;
Huic fusa collo Marmarici iuba
Leonis horret; jam ferus emicat,
Prædamque differt mala, & hostem
Vnguibus interior fatigat;
Hic se satelles librat in ardua
Ales supernè, atque impetuosior
Tollit. coruscum quale fulgur,
Corripiunt, iterantque cursum.
Sic tende Cœlum, regnaque patria;
Tuisque præsens sis tamen, & bonus
Iuva; triumphatumque Ditem
Dede fugæ, exagitans flagello.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Debellatus Erebi tyrannus ostenditur.

ODE XXIV.

Direpta sensit regna silentium,
Fractisque Pluto fascibus horruit
Deum

Deum fatigantem ruinis
Tartara, sollicitoque Manes;
Citansque magnus seditionibus
Agmen coegit, sed trepidat miser
Furore jam multa, & astro
Exacuens agitavit Vmbras
Frustra; nec amplus imperiis tenet
Longèque, lateque oppida legibus
Regnata iniquis, nec dolosas
Liberior meditatur artes.
Ille immerentes carcere devocat
Caliginoso, post ubi Tænara
Afflavit, & lucem fugata
Nocte novam, nebulaque reddit,
Repensa letho divite plurimi
Cruoris, astris agmina destinat;
Fortique dextra, quam tetendit
Stagna petens Acherontis imi,
Altè jacentes extulit. ô potens,
O victor Orci, pulcher amabili
Præda, coercens & nocentes
Eumenides, Stygiosque fratres,
Attolle corpus; nec tamen efferes
Mortale corpus, lumine vivido
Flagrans, & æternos honores
Purius expediens Eoo.
Idemque cerni gratior Hespero;
Convexa Cœli tende age, nobilis
Partis triumphis, & superba
Accumulans Erebi trophæa.
Orco resignas credita, pertinax
Auferre; nil non perficient tuæ

Manus, propago magna Patris,
Atque Patri ſine fraude compar.
Nequicquam Averno Mors ſibi ſurpuit
Infeſta quondam, nunc revocabilis
Damnata vita, falcem acutam
Frangere juſſa, gravem & ſecurim.

IN CHRISTUM ASCENDENTEM in Cœlum.

AD RAVASCHERIUM.

Triumphalis aſcendentis pompa deſcribitur.

ODE XXV.

QUalis ſub auras regia ſuſtulit
Superne ſe ales, nubila differens
Pernice penna, perque campos
Aërios ſine lege fertur,
Quandoque juvit deſerere ocyus
Terras inertes; talis in arduos
Cœli receſſus tendit ultro
Æqua Deo ſoboles parenti.
Vides? opimis it ſpoliis ferox
Plutona ducens ante pedes, gravem
Mortemque, Fatumque, & frementes
Eumenides, rigidamque Clotho.
Nec jam veneno ſpicula Cyprio
Puer Diones inficit; it gemens
Arcuſque fractos, & ſonantem
Mille prius jaculis pharetram.
Conſtravit altis Tænara ſedibus,
Fregitque vectes, vimque adamantinam:

Obli-

Obliviosis jam caduca
Ditis opes recubant ruinis.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Gratulatio ritè instituitur victori.

ODE XXVI. *l.1.od.36.*

Votiva facite hostia,
Et cratere mero concolor ardeat
Sanguis; thura focis date
Cælvictor, io, jam subit; imperI,
Fracto arcere Manium,
Magi sceptra capit nobilis arbiter,
Vittatu diademate.
Et jas multa suis munera dividit,
Patri plurima, verius
Custodwigili, sat memor obsequI,
Ancillaqu puertiæ.
Non evicta rosa tempora languida,
Nec pingit eeve lilium;
Immortai viret frontis adorea.
Omnes purpureum in Deum
Deponant oculos, non avidos queunt
Aut divellere lumine,
Aut explere tenet quanquam Amor ebrius.
Illum cingit amatium
Iunctis turba toris ambitiosior.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

ODE XXVII. 13.c.4.

Dialogus inter Cœlum, & Terram

T. *AH quò dulce meum abstrahis*
Numen? quid misera pignora deriis?
Nuper cum tenui Deum,
Invidi minimum terra polo arduo.
C. *Donec te coluit Deus,*
bjectus jacuit rupe vel horrida
Bethles, vel mala palluit
Pendens quadrifida ludibrium trabe
T. *Sic Mortem perimit gravem,*
Sic Plutona terens, & caput impium
Findens, monstra nocentia,
Et quondam indomitas frenat Ennyas.
C. *Nunc ergo patriam redux*
Visat, quadrijugis mœnia curribus
Invectus petat, & Styge
Raptas exuvias jactet ovans atri.
T. *Hic debet Capitolium*
Virtus: hic replicet tempora aurea,
Si mortale genus dedi,
Si ligna, & chalybes: his Ebum domat.
C. *Non sedes habilis Deo*
Victori fueris, nec sat idonea;
Namque ignobilis exili
Curæ sollicitant, & querimoniæ.
T. *Illum non rapiet mihi*

Vis

Vis ulla: ecce mori deproperant duces
Devoti innumeri neci,
Et subdunt rigidis colla securibus.
C. *Te vestigia, te nota*
Impressa lapidi condecorent; polo
Fies vix minor, & fluam
Te circum liquidis largius imbribus.
T. *Promas quicquid opum licet*
Iactas, magna poli regia nobilis,
Impar rivulus igneo
Cordi est; fontis opes quærit, & ubera.
C. *At tu concipe gaudia,*
Duces purpureis nectar idem labris
Tellus ebria; dum tibi
Nectar vina tegant, ambrosiam Ceres.

IN CHRISTVM ASCENDENTEM in Cœlum.

Hostes devicti ostentantur in pompa.

ODE XXVIII. *Epod.9.*

AD summa Cœli victor evadit Deus
Vectus triumphali rota.
Tendit per auras nube promotus levi,
Qua vis tonantis Numinis,
Sonante carmen insolens gravi tuba,
Simulque acuta tibia;
Vt nuper Orci prædo, dux & impiger
Erupit actis Manibus.
Letho cruentus (mira dictorum fides)
Superbientem principem

Stygis coërcet arctè, & Vmbrarum potens
Horrere nos victus potest;
Inter trophaea sol superba suspicit
Illustriorem se trabem;
Clotho frementem & ore mœstas lurido
Videre fas Erinnyas.
Io triumphe; tu trecentis illigas
Ditem tyrannum vinculis;
Io triumphe, nobilis Virtus super
Altas ruinas Tanari
Signa explicavit: decolores jam genas
Decore mutas patrio.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM

SIVE

ODARVM

LIBER VII.

De S. Spiritu misso.

Προοιμάλιον.



PRæcipuam partem carminũ meorum vendicat sibi Divinus Amor. & sane præcipuo jure debet esse, qui princeps, & auctor consilii fuit, ut lyricam poësim ad sacra traducerem. ille opus hoc & facultate condet, & suavitate condiet. nota parœmia est *Μουσικὴν Ἔρως διδάσκει κἂν τις ἄμουσος ᾖ τὸ πρὶν* quod si Musicæ magister, & quasi phonascus Amor est, nõ vereor ne non blanditura sit aliorum auribus, si ejus digitis lyra fuerit temperata. Bion quidem in Bucolicis non modo magistrum, sed comitem Musarum perpetuum facit Amorem. In Platonis item convivio Socrates putat animum, atque mentem sopitam

pitam velut expergiſci Amoris ſtimulis, & hinc primos ad honeſta quæque impetus capere tamquam excuſſo veterno; quamobrem eundẽ Amorem Plato ipſe παντὸς ἐπιχειρητὴν appellat, quòd nihil non experiatur. ſed illud quiſpiam moneat: vide ne dum lyræ chordas nimis intendis, ut divina efferas, temerè frangas. non inficior in re tanta id magnopere pertimeſcendum, ſed præſidia facile ſuppetunt. quæ tandem illa? præſto erit idem divinus Amor, & canenti conſulet. certabat olim citharœdus Eunomus cum Ariſtone Rhegino Pythiis prope jam victor, cum repente chorda una fracta deſtitutus eſt. tum ille Cœlum ſuſpexiſſe fertur, & Apollinis, qui Pythiis, facultatiq; Muſicæ præeſſe putabatur, imploraſſe opem, cum ecce ſupervolans accurrit Cicada inſidenſque citharæ, chordæ vicem cantu ſupplevit. ita beneficio Apollinis, atq; ejus avis officio vicit Eunomus. quanto indulgentior erit Amor? & mihi igneæ linguæ vim, facultatemq; & citharæ non tã cicadæ donaturus, quam, ut Flaccus noſter ait, *Cygni ſi libeat ſonum.* Sit igitur Amori divino conſecrata Lyra ei, qui Muſicen doceat. & quoniam quinquageſimo poſt Chriſti anaſtaſin die ſancti illius ſpiritus afflatus advenit, hunc ei Odarum numerum ritè dedicabo.

Vt à Patre, filioq; afflatur, ostenditur.

ODE I. *Hor. l. 3. od. 21.*

Cordis pudici maximus arbiter,
Auspex amantum, seu face pronuba,
Seu fulgure aura concitatum
Pectus, Amor generosus afflas;
Nunc fonte lenis, nunc levis alite,
Quocunque pulcher nomine, amabile
Decurre votum; prome nectar,
Prome favo interiore mella;
Cælum resigna prodige munerum
Diviniorum, largus opum Deus;
Lymphata virtus hoc tuorum
Visa mero caluisse quondam.
Nunc casta dicet te Polyhymnia,
Plenoque honoris carmine barbiton
Tanget, ni acuta vocis auram
Reddere, ni refugis canorem
Mulcere lingua, qua micat aurea
Vibrata flamma, fœtaque parturit
Sermone non uno, redundans
Nectaris haud leviore parte.
Te vis volendi, vis redamantium
Perennè fundit; corde Amor effluis,
Natique spiramentum, & unà
Patris amor, sine patre, manas:
Non obtuendo mens genitabilis
Edit, fovendo sed cor amabile;
Committis ambos unus idem,
Parque pares, & utrique simplex.

Tu

Tu corda flectis, regnaque barbara,
Pectusque adimples sobrius ebrium;
Tu lene tormentum admovendo
Sternere amas placidè protervum.
Versare liber quicquid, Amor, libet;
Mollire durum Saxona consilI
Velis amando, seu terendo
Frangere Romulida rebellem.
Septem calescant, ô utinam, tua
Flamma Triones: ardeat, ardeat:
Arcturus; acri vince flamma;
Igne doma tibi perduelles.
Martem quid ultra commovet impium
Demens Enyo? nobilis imperI
Devota damnis, & ruinæ
Austriadum, Hesperiaque magnæ.
Tu dulce ducis certior otium
Hostem retundens, exacuens tuos;
Non tela post te, strictum & ensem,
Non apices tremimus superbos,
Regumque fasces; arma nocentium,
Et dira lethi fulmina ludimus:
Tuemur alta fronte ferrum,
Atque acies acie irretorta.

In illud Iobi, Spiritus ejus ornavit cœlos.

ODE II. *l.2.od.19.*

DEum remotis sub penetralibus
Videre flamma dividua Patres,
Linguaque lambentem bisulca
Purpureos, nova signa, crines.

Nunc

Nunc mens recepto fœta Deo tumet,
Plenoque magni pectore Numinis
Bacchatur; ô, jam tela cordi
Fige potens, Amor, & recondes.
Fas pervicaces est tibi frangere
Motus vocanti plus vice simplici,
Contraque munitum furorem
Vim placidis adhibere dictis.
Fas nectar almum, fontis & uberes
Donare rivos, cordaque libero
Regnata voto; tu ferocem
Flectis agens animum volentem.
Tu pulcher addis spiritus igneis
Stellis decorem; scilicet exprimis,
Et pingis argumenta clari
Signiferi, variasque formas.
Chirona telis providus instruis,
Squamaque Cetum, Pleïadum choros
Nectens, & illustrem Booten
Plaustra jubes agitare Cœlo.
Tu tauriformem Veris honoribus
Educis ignem, sidus & aureo
Cornu decorum; tu puellæ
Gnossiacæ redimis coronam.
Vt tu ferocem crinibus instruis
Herœa in hostes; vincula diffidit;
Insanientum & vertit aulam,
Præcipiti tumulans ruina.
Quamquam benigni crebior ingenI
Auctor verecundum scelus immemor
Reponis, atque indemne reddis,
Quod doluit semel ira cordis.

Evocat

Evocat ſanctum Numen è cœlo.

ODE III. *l.1.od.35.*

INtaminati pectoris unice
Hoſpes, tuorum vota quid amplius
Moraris? alarum recurre
Remigio levis explicato.
Quandoque blando lumine reſpicis
Terras, ut æthra gratior aurea,
Dieſque verna ridet aura,
Et melius nituere Soles.
Te caſta ſemper Relligio prait
Ferens piorum ritè Quiritium
Fas, & verendum jus ſacrorum,
Purpurei monumenta Divi.
Fer tela tecum ſtrenuus, imbuis
Quæ melle multo; protinus aureo
Inſignis arcu fer ſonantem,
Et gravidam jaculis pharetram.
Iam jam fatiſcit pectus hians tibi
Diu petito vulnere; jam mihi
Me ſurpuiſti ſive flamma,
Seu Zephyro placidus remulces.

De ejus incubatu ſuper aquas juxta 70 interp.

ODE IV. *l.2.od.3.*

VItale mundi Numen, & igneus
Vigor perennans vi vegetabili,
Donate Divo par, decorus
Luce nova, geminaque flamma.

Inſigni:

Insigne rerum tu decus, & decor
Gratum nitorem concilians, Amor,
Vt pulcher illuxti, renidet
Siderea tener orbis aura.
Informe mundi nabat adhuc Chaos
Latè refusis fluctibus, & rudis
Moles, & indigesta nullis
Legibus, horridior videri.
Ibas volucri tu similis levi,
Superque nanti, leniter incubans,
Aptansque foeturam fovendo
Purpureis operosus alis.
Labore nullo digeris omnia,
Discreta certo limite separans;
Regnata Neptuno recedunt
Æquora, littoribusque claudis
Premens arenis; scinditur arida
Tellure pontus dissociabilis;
Fremitque nequicquam citatis
Æoliis rapidus procellis.
Tethys vagari libera, carcerem,
Et frana sensit; grexque natantium,
Et monstra latè belluosi
Oceani, tumidaque phoca,
Proteusque ducens squamigerum pecus,
Phorcysque latrans saxa per aspera,
Glaucus, Palæmon & biformis,
Et lituo resonante Triton.
Fœcunda reddis cærula mollius
Super cubando; prosilit ocyus
Genus volucre, & concitata
Nat liquidum per inane penna.

Generositatem ab eo inseri docet.

ODE V. *l.4.od.4.*

QVem tu cordis Amor potens
Afflaris vegetum Numine patrio,
Et magni Vnigena (parem
Quando corde ferant, Iuque revinciens
Nectis fœdere mutuo)
Illum postgenitis robore martio
Clarabit vigor ingenI
Districtum chalybem temnere fortior,
Et quicquid trepidat Nero,
Aut demens Solyme, barbarus aut Scythes,
Et Maurus malè pervicax;
Addes vimque tuo, telaque militi;
Fasces subdidit imperI
Romanus, tumidas & posuit minas.
O mutis, & inertibus
Facundi eloquii, lingua, volubilem
Donatura perennius
Vim fandi, scatebras fontis & integri.
Tu spirabilis es vigor
Aspirans animis mite ferociam,
Et vim cedere nesciam
Seu Daco indocili, seu mage Saxoni.
Quod te noverit ultima
Tethys non alii credula Numini,
Et flecti impatiens Geta;
Et qui Danubium, quique Tigrin bibunt,
Indocto duce consilI,
Et captante plagis squamigerum genus,

Totum

Totum muneris est tui:
Quod Natura decus cumque superbiens
Præfert, vis Amor est tua.
Pulchrorum specie pulchrior unice,
Seu tellus nova parturit
Fruges, sive rubet punicea rosa,
Quod casta fidicen lyra
Te dicam potius carminibus, tuum est.
Tu testudinis aureæ
Argutumque sonum, filaque temperas.

Robur adversus vitia poscit.

ODE VI. *l.2.od.11.*

CVr me rigentem non animas, tua
Ciesque flamma? te sine languido
Torpere oportet me veterno,
Vis animi, Vigor alme cordis.
Ah te si acerbum culpa morabitur,
Quis explicabit mi laqueis caput?
Quis per dolosas Ditis artes
Expediet, tacitasque fraudes?
Vt arma cudis, non ego Tænara
Bello reformidem, ocyus aggredi
Manes paratus, fraudulento
Dite prior, meliorque pugna:
Seu Cypris amens, seu puer impudens
Pectus retentet callidus aucupI
Nocentis; arsit cum Chimæra
Spiritus & furor æstuosæ,
Non afflet unquam pars violentior,
Pars bruta naturæ. ô bene candida

Tutela mentis, me Dione
Scilicet eripies procaci;
Arcumque & acris tela Cupidinis
Franges pudicus; me malè pectoris
Tentasset in molli juventa
Fervor, & in celerem ruinam
Misisset olim, ni pius intimè
Illapsus in cor perdita consilI,
Cacumque frenasses furorem
Pectus agens meliore flamma.
Custos tuorum; nunc tibi victimas,
Et vota reddo castior unius,
Ac Numinis flamen ter ampli,
Teque cano decus omne amantum.

Ejus beneficia commemorat.

ODE VII.

QVi cærulantes vertice flammeo
Suspendis arces, cunctaque temperas,
Nec fortuito, ac lege nulla
Ire jubes per inane mundum;
Depasce crines igneus aureos,
Et lambe flamma tempora lucida,
Numenque viresque impetumque
Parque Deo, similisque Amori.
Per te cientem vividus haurio
Vitalis aura lumen amabile;
Brevique vanescam, ni amico
Numine me vigor almus affles.
Tu victor arcem pectoris occupa,
Tu regna cordis nunc tibi vendica,

Qui cuncta vitali calore
Sponte foves, recreasque, alisque
Ab usque primo flore pueritiæ
Vltro praibas largus opum, & potens
Frænare motus inquietos,
Et puerum Veneris marinæ:
Vindex pudoris nubibus igneis
Imbrem remisto sulphure devocas,
Vrbesque flagranti procella
Corripiens, pluviaque flamma
Damnas procaces: nec latet impius
Acrem tueri; condita cordium
Rimaris, obtutuque acuto
Vsque subis penetrale pectus.
Tu colle quondam legifer edito
Mira dedisti signa potentiæ
Sonore rauco, montiumque
Motibus, ac trepida ruina;
Cæli tonantis tum fragor horridus
Implevit aures; lumina fulgurum
Perstrinxit ardor, te premente
Attonitum intremuit cacumen.

Ενθουσιασμός.

ODE VIII. *l. 3. od. 25.*

Quo lymphatus agor Deo
Ardens? quis me animat non tenuis vigor?
Quæ mentem nova vis citat,
Æternum venerantem decus, arduo
Vibratum & jubar æthere

Ingenti sonitu? non aliter micat
Fulgetrum. ut mihi verticem
Clarum purpureis Solibus, & comam
Flagrantem bifida face
Mirari libet? ô cordis Amor rapax,
O pectus male barbarum
Infringens, animi non violens vigor;
Nil imum, aut humile exprimis,
Nil mortale refers lingua Deo calens;
Dulce est nectare plurimo
Manantem tacito corde recondere.

Vt Patris ac Filii Amor sit, ostenditur.

ODE IX.

Amor paventum dulce clientium
Tutamen adsis; te prece supplici
Diu fatigatum reposcunt
Præsidium, columenque gentis.
Vocale Numen præfer, & igneo
Fulgore linguam. nobilis ilicet
Fies Eoi perque cunas
Solis, & Hesperium cubile.
Diceris unus munere multiplex,
Sectaque flamma individuus vigor:
Simplex, biformis sed videri,
Nilque ferens humile, aut remissum.
Afflate amantum pectore ab intimo,
Spirantis auræ vis animabilis,
Amoris alternique pignus,
Fœdere composito volentis

Cordis;

Cordis; nec alter diditus altero;
Vno atque eodem fibulæ vinciens
Nexu, sive de pulcher unà
Ipse venis ab utroque pulchro.
Æternus ignem pectore suscitas
Cudens Amores irrevocabiles;
Innasque amantes inter ambos
Almus Amor, sobolemque magnam,
Patremque magnum: fomes & ignium
Reciprocantum; quippe suas Pater
Mirans opes, mente ac perenni
In se avidos inhiante visus,
Prolem feraci parturit unicè
Alvo, potentem Numine patrio,
Exemplar, argumentum & ingens
Ingenii, speciemque mentis.
Hinc tu calenti corde venis Deus
Spirabilis, septemgeminaque vi
Pollens, & idem, parque censu
Cordis amans sociare fibras.
Sed quo recenti vi feror arduas
Interque nubes, perque iter invium?
O siste pennis dædaleis
Icarios iterare casus.

Ejus illapsus declaratur.

ODE X. *l. 4 od. 9.*

CAduca Cælo flamma revolvitur
Sonantis auræ concita sibilo,
Nec lingua vulgandas per artes
Verba refert, taciturna plebi:

Non qua procaci carmine Lesbia
Testudo lusit ; spirat amor pius,
Castumque committit calorem
Mentibus ingenuè pudicis :
Deum hospitalem corde recolliget
Qui cade pejus flagitium timens
Se pro pudoris flore puro
Devoveat caput obligatus ;
Sic nota quondam Cecilis, & carens
Mammis Amazon Trinacris, & rotis
Mirata Alexandréa acutis
Haud fragiles animos puellæ.
Vixere fortes lege sub aspera
Pauci ; sed alto laberis ut polo
Amor, frequentes dant securi
Colla minus timidi perire.
Cælata Virtus prodit, inertiæ
Sepulcra damnans ; jam Petrus emicat
Infractus , illum nec latébra
Tassus Amor trepidum silere.
Tuis ferocem præsidiis juves
Deprœliantem, non ego Saxoni
Cedam protervo, fortis ire
Arma per, & medios per ignes.
Te possidentem corde vocaverim
Recte beatum ; tu bonus occupa
Pudore mentem, da tuisque
Muneribus cupidum potiri.
Vindex honesti, tela Cupidinis
Perfringe : bello Tænara prorues ,
Cum tu per hostes explicabis
Sanctus Amor tua victor arma.

Vigor

Vigor ab eo acceptus indicatur.

ODE XI. *l.4.od.10.*

O Magna sobolis vis, patrii pectoris ô vigor
Idem, dives opum, mille tuis muneribus potens,
Cum delapsa Noto constiterit lingua volubili,
Et quæ cælicolas usq; animant, deciderint faces,
Quæ nunc sollicito corda metu mollia fluctuant
Vertes in silices, atque adamantem; at Perius antea
Perjurus, metuens atque necis, cum gravia fremens
Dicet (cum se alacri proposito viderit alterum)
Heu cur his animis mi vigor haud constitit antea?
Quæ mens est hodie, cur eadem non trepido fuit?
Æternis oculi ne lacrymis, ne careant genæ.

Amator, & tutor pudoris dicitur.

ODE XII. *l.3.od.24.*

D Ives labere munerum,
Opportunus Amor; dos tua connubI
Casti fœdera sanciet,
Clarabit thalamos tædaque candidos.
Mentes nobilioribus
Tu formas studiis; nescit & infici,
Culparique timet pudor,
Dementem puerum fallere cautior,
Nec fidit sibi castitas,

Et parvis etiam provida temperat.
O quisquis volet igneos
Arcus, & pharetram frangere aheneam,
Cui magnum opprobrium est Venus,
Et proles Veneris (quatenus, heu pudor,
Odit Palladis integræ
Florem, Sophrosinen odit & innubam)
Te votis, Amor, ambiat.
Quid curæ vigiles te sine, providus
Quid frustra caveat metus,
Et tutela sagax, si neque fervido
Tectus Numine torreas,
Nec cæcis laqueis expedias pedes?
Quo me lingua vocas, citor;
Quo tu cumque rapis; jam tibi subjicis,
O regnans bene pectorum,
Auroræque plagas, & mare barbarum;
Nec clavos adamantinos
Figis; mentis agens frænaque libera
Vltro vi facili trahis,
Nec captis adhibet lora necessitas.
Ah ne linque, precor, tuos:
Sublatum ex oculis eripuit Deum
Æther. nunc recrea tuos
Præsens ipse pari jure vicarius.

Religio vera per eum ubique diffusa.

ODE XIII. *l.3.od.2.*

ANgusta tendens latius imperI
Iam cuncta terrarum sibi destinat,
Et Seras; & Medos feroces
Victor Amor, volucresque Parthos.

Illum

Illum reposcens evocat, evocat
Fœcunda Virgo, notaque Numini
Suspirat : heu quid vasta dudum
Vota trahis, Vigor alme, nostri
Obliviosus ? nec trepidis ades
In rebus acer ? jam Solyme rudes
Belli lacessit, jam cruenta
Devovet insidiata cædi.
Hic indecoro turpe latent tui
Metu fugaces, ceu tacita specu
Damæ recondunt se, leonis
Dente novo timidæ perire.
Descende Cœlo nescius otii
Formidolosi, nec metuent graves
Iras, & eductas secures
Fascibus, arbitrio Neronum.
Amor recludens immeritis meri
Sedes piorum, clarus honoribus
Semper pudicis, atque multa
Merce pium reparans laborem,
O Sancte tandem labere dux polo
Ignota pandens certus Amor via ;
Cœtusque cælestes, & altos
Linque lares agitante penna.
Magistra tecum lingua, sciens tui
Descendat ultro, arcanaque suggerat
Oracla menti, te sub eodem
Hospitio recubante mecum.

AD FRANCISC. BONCOMP. CARD. & Antist. Neapolit.

Alludit ad illud, Si linguis hominum, &c.

ODE XIV.

FRancisce, sacra nobile purpura
Insigne, Virtus ducere cui dedit
Merenti, & aris quem pudica
Parthenope, tua cura, poscit:
Frustra Süadæ callidus artium
Torrentis amnis more ruam, fluens
Immensus, & centum fatigem
Guttura, sed sine Amore, Nestor.
Non ora malim dædala fingere,
Linguasque Divûm mille volubiles,
Succo liquentis quæ redundent
Nectaris, ambrosiæque multæ.
Ingrata & omnis sit Charis; abnegat
Vt se sodalem fœdere amabili
Amor; neque insit dulce quicquam
Indecori, minimumque amanti.
Ceu Dindymenes tympana personant,
Flictuque inani sistra crepantia;
Acuta Curetes & æra
Rupe citant ululantis Idæ;
Sic ora solvam garrulus, irrito
Sonore vocis; Cecropia madens
Frustra Minerva, & cura inerti
Profuerit minimum Thalia.

Ora-

Oracla norim Numinis abditi
Divinus, edens cæca nepotibus
Fata, incitata mente; fallent
Me tripodes, Clariaque laurus.
Nequicquam & omnis sim sapientiæ
Consultus, acris vividus ingenI,
Et posteri prudens; Amore
Si caream rudior magistro.
Nil me Parentis credula juverit
Fides, vereri nescia, montium
Mutare sedes, & supinos
Una potens agitare colles.
Non si terampli corporis integer
Ossæ reponam Pelion arduum,
Vel eruens Atlanta fibris
Demoveam, Rhodopenque vellam
Mimante major; Porphyrionaque
Stantem revincam, acremque Adamastora,
Cæumque pugnacem, aut triformem
Geryonem, melior lacertis;
Frustra laboro fortis, amantium
Vi destitutus: caprea, seu lepus
Imbellis, ungui quem leo Afer
Differat, imminuatque mala.
Ultro redonem plurima commodus,
Aurum resignans, quicquid & Appulus
Ab areis everrit, Indæ
Dives, Achameniæque gazæ.
Nequicquam egenis largior effluet
Ganges arenis, parcus amans colam
Si vix Amorem, si minoris
Prænituit nova forma pulchri.

Non officinis Mulciber igneis,
Purumve reddet flamma Cyclopea;
Ignes sed illaudatus inter
Me jaciam, atque avidam Chimæram.
Amor proterva morte ferocior,
Perferre quicquid strenuus ardui,
Idemque notus sat benigni
Consilii, placidæque mentis.
Non corda pascit livor edax, malum
Non ille virus gutture dividit;
Nec viperinis intumescit
Motibus, aut labra felle acerbat.
Non miscet iris prælia civicis
Tumultuoso sævior Adria,
Nec pace confusa duello
Regna furens inimicat armis.
Nullum procaci mente nefas movet,
Insaniendo non tenet ebrium
Fortuna dulcis, fraudulento
Plus nimio pelagove fidit.
Non ambit altè tollere verticem,
Curatve fasces, jusque securium,
Progressus in campum petitor
Tergeminos inhians honores.
Odit profana damna licentiæ,
Arcetque turpem: scilicet abstinens
Fraudis dolosæ, duxque veri
Certa loqui haud timidè renidet.
Illum sequuntur Pax, & atrox malis
Andrêa virgo; Spes neque deserit
Parata, & albo pergit unà
Cana Fides adoperta lino.

Impunè

Impunè constans non Amor excidet,
Sed fata vincet; muta silentium
Cortina vatum, feriata
Seu taceat sine voce Pallas.
Amor tuenti Numina destinat
Fruenda, nubemque eripiet mihi
Nitente Phœbo; nempe languent
Lumina nunc hebetata sensu

Vt pudorem defendat exposcit.

ODE XV. *l. 3. od. 26.*

DVlce ô Numen amantium
Iam jam curre polo, prolue sobrium
Mentis; vim quoque pectori
Addens; Idalius me puer ignea
Tada haud tentet, & improbo
Ictu: cernis uti tendat aheneum
Arcum? ac stet trepidus pudor?
Tu telo potior, tu mage nobilis
Vrge pectus agens face,
Neu parce aurifluum volvere gurgitem.
Nos cantabimus alite
Provectum Zephyro, temporaque ignibus
Pascentem, & rutilas comas;
Dicêris merito carmine vinciens
Vis, & fibula cordium
Æternusque vigor pectoris intime.

Mira Petri afflati efficacia ostenditur.

ODE XVI.

DElapsus alto pulcher Amor polo
Terras revisis; te soboles Patris
Iurata demittit, suorum in
Delicias, decus atque dulce.
Cui tu tegendo cumque aderis, satis
Cautum est in hostem; fracta metu cohors
Nil jam veretur, non inertem
Turpe fugam meditatur ultra.
Parthus sagittis depositis pius
Admovit aures, multiplici stupens
Sermone, nec curat pharetram
Ferre humeris metuendus arcu.
Petrum sodalem de tudicribus
Lingua loquentem plenius ignea
Arcana mirantur supernè, &
Mente nova, haud humili furentem;
Vtcumque vocum fœdere plurium
Divina pergunt edere Nestores
Cœlestium consulti, Amore
Haud tenui dociles magistro.
Quid mirum? ubi tu pectoris arbiter
Vigor volentes vi rapis incita
Facundus; afflataque mentes
Insolitis agitantur ausis.

Sancti Numinis potentia declaratur.

ODE XVII.

Libratus almo dulce Favonio
Amor recurrit, vertice lucido
Moratus, intextosque crines
Pascitur innocuus cremare:
Non ille lingua personat ignea
Mortale quicquam, & qua nihil attinent,
Æterna vis magni Parentis,
Parque Patri, genitoque Divo.
Seu fingis ignes purpureos Amor,
Seu findis auras ales amabili
Candore, plumas discolores
Præpetis expediens columbæ;
Addisque vires atque ferociam
Illapsu acri Numine pectori;
Vt claustra, ferratosque postes
Vecte supervacuo resignas.
Quid lingua posset, novit Iber tui
Peritus, oris ac Thetis ultimis;
Norunt Geloni, divitesque
Seres, Hyperboreique duri;
Et qui Niphatem, quique Ararin bibit,
Et qui reposti littora Memnonis,
Syrtesve Getulas avara
Merce petit, celeremve Araxen.

Amor & verax demonſtratur, & fortis.

ODE XVIII. *l.3.od.1.*

FAvete linguis: clarus Amor micat
Flammante lingua; ſcilicet impias
Oracla Delphos fraude cæca,
Implicitos animique ſenſus
Luſere quondam. neſcia conſilI
Mens hæſit anceps; nunc malè Pythiam
Culpavit, aut Phœbum doloſum
Fallere, nunc Superos iniquos.
Damnavit aras, & tripodes leves
Tandem remiſit; tu canis integer
Veri, nec ambages inanes
Involûis dubius fateri.
Priſcum reducis tu bonus otium
Mulcere mitis; non humilem domum,
Vileſque faſtidis penates,
Et Zephyris agitata tecta.
Quem tu clientum cumque tuebere,
Enſeſque diſtrictos, & aheneas
Temnet Sicambrorum ſecures
Ore tuens chalybem feroci;
Tuaque miles vi generoſior
Deſcendit in campum, impiger impias
Laceſſere Vmbras, atque Ditem,
Auſpiciis, meliorque Marte:
Tu ſortis exlex arbiter omnium
Sortiris imos, Palladis ac rudes,
Petrumque inertem deſtinatum
Præficis imperio Quirino.

Amor

Amor timorem strenuus exigit
Urgens morantem; parque ferocitas
Est Mortis, edurumque Plutona
Imminuens Acheronta vincit:
Amor coruscans lampada candidus
Renidet alis; nec liquor obruet
Torrentis amnes, nec rubentem
Diluvies inimica flammam.
Amor triumpho nobilis, omnium
Regnavit. ô qui mentibus integris
Gaudes, tenaces necte nodos,
Necte pio nova vincla cordi
Amor pudicus; nil sine te potest
Mortale robur; consiliis facem
Praefers nitentem, vimque praestas,
Et socians operi adlaboras.
Nil ausit Clio te sine, Lesbiam
Tu, Dive, donas tangere barbiton,
Teque aureo sacrare plectro
Fonte Deum liquido refusum.

Eum è cœlo delabi cupit.

ODE XIX. *l.4.od.1.*

Terris exul, Amor, diu,
Opportunus ades, tende, precor, facem.
Felix cui licuit tua
Flamma perpetuo fervere, dulcium
Vis aeterna cupidinum;
Tu quamquam imperiis flectere mollibus
Eduros animi potes,
Hic torrebis, Amor, pectus idoneum

 Sat

Sat nota tibi Virginis ;
Iam dudum trepidæ te revocant preces.
Tempestivus Amor subi
Ædem , purpureis aliger ignibus :
Omnes certa fides tenet.
Fallor? per levis an vertice deflagras ?
Cælo laberis eloquens ,
Et facunda tonas lingua silentio.
Vrges fortis Amor tuos ,
Firmans consiliis liberioribus.
Tu per spicula Parthica ,
Persarum expedies tu per acinaces.

Gratulatur de ejus adventu.

ODE XX. *l.4.od.12.*

IAm delapsus Amor concitat æthere
Pennas, qui penito pectore flabilis.
Æternusque vigor temperat omnia
Vis spirabilis intimè :
Sistit purpureo vertice mobilis,
Ardens & bifida lingua micat face ;
Dulci visa Deo mens furere, & bene
Sanis ludere motibus.
Restinxere sitim flumina plenius,
Dum septemgemino fonte cor innatat.
Spes largite novas, ô Amor , ubere
Cæli divitis alveo
Interfusè , tuis luctus amarior
Vndis eluitur, curaque tristior.
Mortalis licet, amplum excipiam Deum
Parvi pectoris hospitem.

Orat ut ad tutelam accurrat.

ODE XXI. *l. 3. od. 27.*

PErge decurrens per aperta Cœli,
Sancte Amor, linguæ, similisque flammæ;
Te satis longa prece suscitavit
Candida mater.
Labere ô felix, ubicumque stas,
Crine, seu mavis penitus latebra
Cordis, ah ne te vetet esse Cypris,
Nec puer amens,
Semper armatum jaculum veneno
Dirigens: at me capitis cruentum
Dividat lictor: speciosa malim
Vulnera letho,
Antequam labes animi pudicam
Inquinet formam, niveamque mentem
Turpe commissum notet, ac Dione
Floris honorem
Vngue decerpat; minimum dolosa
Credulus, Natum, tacitasque fraudes
Palleam cautus; levis ipsa mors est
Dulce tuenti
Hospitem sub corde Deum; cavebo
Naufragas syrtes, Cypriaque cunas
Belluis, phocisque avidis scatentes,
Non sine damno.
Linque jam Cœli bonus astra, si te
Supplices fletus, & amica Matris
Vota delectant, age, teque pennæ
Crede Favoni.

Sive te Patris soboles redonat,
Alme, quid cessas properare terris?
Dulcius regnes utinam perennè
Pectore sistens.

De promissione ejus doni per Christum.

ODE XXII. *l. 3. od. 3.*

AMore firmum, robur, & igneas
Prabente vires, non Solyme impia,
Non Cæsar instans demovebit
Proposito stabili. sodales
Hac vi feroces ara bipennium
Videre fortes, collaque devovent
Impune acutis; hac receptis
Exuviis Acheronta claudunt,
Terrisque leges juraque sanciunt.
Sic fatus olim dicitur optimus
Parens salutis, Dite victo,
Ætherias aditurus oras.
Depone curas lecta mihi cohors
Solata luctum; namque brevi Deum
Spirabilem, Numenque Patris,
Atque meum, sine fraude compar
Donare mens est; illum ego lucido
Fulgore flamma sistere vertice
Sinam comanti, vosque nomen
Ferre meum celeres jubebit,
Orbemque cæcum, regnaque visere
Invisa nautis, seu mare barbarum
Subire, & urbes Bactrianas,
Seu placeat penetrare Sinas.

Quicumque mundi terminus arduo
Latet recessu, jam pateat viris
Auctore tanto; debita ille
Cuncta sibi bonus arrogabit.

Fructum ejus descensus ostendit.

ODE XXIII. *l.4.od.5.*

N*Atus Patre Deo nuper in arduas*
Cœli evecte plagas, Numinis ignei
Matura trepido concilio patrum
Clarum pollicitus jubar.
Cordis redde tui, redde patris facem,
Afflatumque Deum pectore mutuo;
Cunctetur minimum, triste sodalium
Agmen visere gestiens.
Mater vota ferens sedula devocat,
Nec summo faciem demovet æthere;
Sic desideriis æstuat, ac tui
Quærit rite vicarium:
Namque ut constiterit vertice flammeo,
Culpari metuet non stabilis vigor.
Nequicquam & chalybes exacuet Nero,
Nec Petrus fidei minor
Perjurus recidet. non chalybem trement,
Nec quæcumque Scythes parturit horrida
Pœnarum. expedies quippe Amor unicè
Fortes damna per omnia.
Vires ô utinam dux generosior,
Præstes, sufficias armaque militi,
Ad lethum properem lætior, impiæ
Inter spicula Daciæ.

 Orbis

Orbis terræ gaudium ex ejus præsentia indicat.

ODE XXIV.

DEscende Cœlo, magne Amor, igneo
Decorus astro; dic age certior
Oracla nulla fraude Phœbi.
Lingua leves imitata flammas.
Spiras ut Auster: te fugit Africus,
Tellusque molles dædala parturit,
Floresque summittit comantes,
Lilia, purpureamque caltham.
Pacata rident æquora Tethyos,
Et æthra fusa luce nitet tibi,
Et roscidum Ver & FavonI
Dulce viget genialis aura.
Perculsa quondam pectora vi tua
Novere præsentem; ipse agis incitas,
Cœlumque tranant mente, & inter
Se choreas Superûm remiscent,
Blandum calorem corda per inseris,
Castumque, Cyprin exilio domans;
Amabile haud quicquam renidet
Te sine, nil sine Amore lætum.
Te Natus afflat, te Genitor parem
De corde ducit, Spiritus, igneo;
Tu nectis æterno volentem
Vulnere consocians Amoris.
Amore pectus perluis ebrium,
In corde Amantum altè recubans pio;
Addis leporem lingua dictis,
Suada potens bifido sub igni.

Amo-

Amorem devocat votis in terras.

ODE XXV. *l.4.od.12.*

Tandem latus Amor vertice constitit,
Evibratque faces crine volubiles;
Nec jam corda metu sollicito rigent
Igni concita mobili.
Impellunt animæ cum sonitu lares,
Virgo mater ubi juncta sodalibus
Solamen repetit post sobolem sibi
Ereptam æthere patrio:
Seu flamma rutilans, seu volucer Noto,
Nostro deproperа gaudia pectori;
Descende, & liquido nectaris ubere
Nutri; merce tua veni
Dives; pone moras, ô Amor, ô jubar
Æternùm radians; sis memor ignium
Sanctorum. sapiam, mens ubi sobrium
Te lymphata Deum tenet.
Dicêris domiti magnus Amor potens
Cordis, non humili carminis alite,
Quem tu cumque pio Numine compleas,
Addens, pulcher Amor, decus.
Sic te certa fides, & benè credula
Afflatum memoret corde reciproco
Flammantem, Deus ô pulcher amantium,
Et Patri, & Genito parem.

Musam ad canendum Amoris triumphum incitat.

ODE XXVI. *l. 4. od. 2.*

Tange jam chordas, Erato, loquaces,
Dulcis audiri super impetrato,
Supplicum post vota, Deo, & recepto
Flamine amantum.
Quo nihil majus, meliusque terris
Magna donavit soboles Tonantis;
Namque mortales recreans, ab omni
Parte refecit.
Grata facundum tulit aura Numen,
Nubium tractus, & inane findens,
Seque devolvens per aperta Cœli
Tecta fragore
Impulit; cursus sine lege fertur
Legifer, vicitque moras, stetitque
Igneus frontis super alta, linguæ
More, modoque.
Ille nos Vmbris, Ereboque raptos
Solvit; ille addens animum, triumphis
Nobiles attollit in astra, nigroque
Evocat Orco:
Illius vi multa Duces beavit
Palma calestes; pugilique robur
Sufficit, septem potiora ut auro
Munera donat.
Ipse Amor dicere trahens potenti
Liberos nutu Latio rebelles,
Et Getam, & Maurum male pertinacem,
Regnaque Thracum,

Dicet

Dicet & majore Thalia plectro
Fonte defusum liquido perenne
Pectore afflatum sobolis, patrisque
Unius aura.
Clarus ardentes imitaris ignes
Eloquens lingua, tacitoque sensu.
Qua facem duxti bifidus videri,
Cetera simplex.
Ipse, si chordas animabis auctor,
Orpheo haud impar moderabor; ô vis
Cordis, ô vis alma, canam, ter amplo
Hospite felix.
Tuque dum descendis Amor, cor affla
Non semel dicemus, Amor cor imple;
Me meum solvet cor amans, & ardens
In tua vota.

Magnitudinem & Robur animi ab ipso donari docet.

ODE XXVII. *l.4.od.7.*

DEposuere metum, redit in præcordia virtus,
Hæc ubi firmat Amor:
Imbellis senior sociis cum patribus audet
Strenuus eloquio
Crudelem Solymam, gentemque lacessere Martis
Interiturus; amat
Vulneraque & capiti devotam immane securim,
Dum furit urbe Nero.
Damnaque perjuri reparat sic morte rependens
Crimina fidus Amor;

Cum

Cum semel illapsus menti, cum splendidus alto
Vertice constiterit;
Non illi Charis, aut desit facundia, non vis
Acrior, arte prior.

Vim Numinis in arduis maxime rebus agnoscit.

ODE XXVIII. *l.4.od.8.*

IAm jam dives Amor labere, commodus
Promes namque tuis optima munerum.
Ni præsens aderis, quod bene fecerim
Merces nulla venit digna laboribus;
Per te vis animi strenua vincere
Gliscit, nec trepidat rebus in arduis.
Immortale viges pectora roborans;
Est cordis tibi vis, corde cales Deus;
Adsis, non animus deliciarum eget;
Te torrere meus vult amor unice.
Quid possim sine te? quid rudis eloqui
Petrus possit? iners & taciturnitas?
Ni se purpureo lingua volubilis.
Reclinans capiti Nestore dulcior
Facundum faciat: sic Pericles tonat
Alter, sic rapidis fulgurat ignibus
Permistæ quatiens pergama Græciæ.

Ardentem in Deum affectum indicat.

ODE XXIX. *l.1.od.25.*

VIrginum castus sine labe amator
Dulcius spires genialis aura
Lenis afflatu, properesque septem
Munera dives.

Si

Si diu pectus sitiens fatiscit,
Pura nec vivi tibi desit unda
Fluminis, nectar Superûm sodali
Rite propina.
Ardet æterni nova vis amoris;
Alget insanæ mihi vis Chimæræ,
Cum tuos flammans Agape pudicos
Suscitat ignes.
Mens neque audacem timet ægra Ditem
Artis occultæ nimium dolosum;
Quin tumens anguis pepulisse tendo
Ter pede collum.

Robur Apostolis inditum ostendit

ODE XXX. *l.3.od.16.*

Tristes excubias vecte sub æneo
Includit dolor, & sollicitus timor:
Iactata ut catulis cerva Laconibus
Se Cynthi in nemus abdidit;
Donec purpureo lapsus ab æthere
Inconcussus Amor Numine robores
Infracto, fore enim vulneris unicè
Securos, duce te Deo.
Audent in medios vadere barbaros
Impune; atque Deûm fana potentius
Ictu fulmineo vertere; concidit
Fracto fulmine Iuppiter;
Aras acer Amor subruit æmuli
Ditis: Persephone nigra perhorruit,
Cultus immeritos reddere conjugi:
Nec priscum decus arrogat.

Quan-

Quanto damna Nero plura paraverit,
Fortes plura ferent, exuviis graves,
Et palmis habiles, regnaque Romula
Sinis continuent procul.

Castimoniæ donum poscit.

ODE XXXI. *l. 3. od. 13.*

E *Blánditus Amor mentibus integris*
Adsis, insinuans te bonus intimè,
O spirabile Numen,
Cui vis arbitra pectoris.
Nequicquam Venerem suscitat, ac dolos
Maternos puer; haud inficiet mihi
Mentem labe pudenda;
Nec pectus bene candidum
Tentabit jaculo; fumida nesciet
Fax me tangere, tu semel obrues
Puro roscidus imbri;
Fias ô mihi fontium
Gratorum; fer opes divitis alvei
Simplex, & scatebris plurimus, haud tamen
Sectus, funde loquaces
Lymphas desiliens polo.

Suum illi carmen autor dedicat.

ODE XXXII.

S *Ancte Amor puris agitate flammis,*
Qui recens ficto haud humilem parenti
Spiritum donas bonus, innocentis
Munere vitæ;

Te canam magni Genitoris, una
Prolis & magna venientem ab alto
Corde, te quicquid placuit potentem
Fundere terris.
Forte tu robur nisi praestitisses,
Romulus vultu pavidos minaci
Dum tuos terret, cecidisset omnis
Pectore virtus.
ImperI fasces, duce te, rigentes,
Caesares quin haud metuunt superbos,
Subditosque ignes, & acuta ferro
Spicula fallunt.
Tu pias solans animas remulces,
Tu potens nutu trepidum coërces
Tanari vulgus, metuendus Orco,
Gratior orbi.

AD PROCACEM IVVENEM.

Vt incesto amori se subtrahat, hortatur.

ODE XXXIII. *l.3.od.19.*

QVo lymphatus abis? neque
Curas ore avido ducere pinguia
Sacri pocula nectaris,
Quod nunc promit Amor: tu mage Cypria
Insanis mareotico.
Odit pectus Amor non bene sobrium,
Et turpem Cythereia
Odit: costa parum non habilis Deo
Mens, & serva Cupidinis,
Puro sed similis qua nitet Hespero,

Hanc

Hanc Divus thalamo tenet ,
Hanc torret bifida pulcher Amor face.

Deiparæ in primis vota exponit.

ODE XXXIV. *l.3.od.11.*

R*Edde cælestum dociles modorum ;*
Iam loquax nobis , & amica terris
Lingua; mens quando tibi surda quondam
Applicat aures ,
Aspra quæ tangi prius, atque amorum
Puriorum expers , metuensque casti
ConnubI, mens cruda Deo volenti
Sponsa marito.
Tu potes duros, rigidosque sensus
Flectere , & quocumque velis ciere ;.
Barbarus cessit tibi blandienti
Nuper Iapon :
Cesserat Petro facilis domari
Parthus abjecto veneratus arcu;
Et Scythes campestris, & acer olim
Medus in armis.
Quin & irarum posuere fluctus,.
Et serenatæ rediere mentes,
Quas semel componis , Amor, benigno
Numine mulcens.
Te polo exposcit , repetitque votis
Vna de cunctis , sobolem Tonantis
Quæ tulit mater sine labe in omne
Nobilis ævum.
Perge qua dixit , Vigor alme, terras
Visere ô tutamen , Amor, tuorum

Perge, quid cessas animare flamma
Rite sodales?
Qui velut viso lepores leone
Turpe diffisi trepidant; age illos
Ocyus produc populis, nec intra
Claustra retenta.
Te leves alæ rapiant, & auræ
Concitum Cæli per inane, lapsu
Præpete, & nostri memor efficaci
Munere dona.

Victoria de incesto amore canitur.

ODE XXXV. *l.3.od.20.*

Cordis incesti metuendus auceps,
Aspicis? vulnus meditatur arcu,
Ille sed tandem fugiens tibi uni
Cedet inaudax,
Cum polo lapsus jaculator ibis
Sponte mortalem repetens fugacem;
Dimicat frustra, tibi namque præda
Debita cedet.
Franget iratus pharetramque & arcum,
Tela dum promis potiore voto
Arbiter cordis rapuisse ab imo
Pectore prædam.
Lenis afflatu recreare, & auram
Ferre odoratam, similemque nardo;
Qualis aut Hyblæ crocus, aut Hymetti
Spirat amomum.

Martyrum robur à Numine collatum dicitur.

ODE XXXVI: *l. 4. od. 3. & 31.*

QVem tu Palladia fortius ægide
Quondam muneris, prælia referit.
Securus jaculi. non adamantinus
Thorax, non chalybes impenetrabiles:
Tutantur. rigidæ non revocant minæ
Firmum propositi, aut illacrymabilis:
Tortor; certus Amor tu per acumina
Ferri, tu expedies damna per ultima.
Non Vulcania vis, arma Cyclopea
Non olim obstiterint Hesperio duci,
Dum flammæ tenerum pervolitant latus;
Ardentem ipse rogum roscidus irrigas.
Nequicquam violens Thracius obstitit,
Et qui plus nimio sanguinis appetens.
Infecit tepida cæde Tybrin Nero.
Tu constans Vigor, & non revocabile
Robur mentis ades, consili tenax.
Per te vis animi certa manet; tuis
Vltro præsidiis si repares, mihi
Defensam, vacuo supplicio, Fidem.
Grateur Latium: me neque barbaræ
Iræ permoveant, rex neque Sinicus
Tot regnans populorum: ex pavido ferox
Condam purpureo spicula pectore.

Animi à Numine afflati exultatio.

ODE XXXVII. *l. 1. od. 5.*

NVnc tempus almi promere nectaris
Siticuloso pocula pectori,
Mentemque perfusam liquentis
Ambrosiæ recreare succo.
Amantis ardens emicat, emicat
Cor, atque ab imo pectore prosilit,
Dulcique bacchatur Deo mens
Ebria. non humili furore
Vt pectus urges? suavis odoribus
Vt lene mulces? semper amabilem
Præbesque te, fallacis auræ
Nescius, & patiens vocari.
Hospes pudici pectoris, & decus
Dulce, & refectæ pauperie Pater,
Fons aurifer, rivo perenni
Cuncta rigans, vegetansque vita.
Iam totus in me vi rue libera,
Gratus teneri, neu sine Cypriam
Versare fraudes, me aut pudendis
Ignibus in cineres relabi.

Apostoli ex timidis impavidi evadunt.

ODE XXXVIII. *l. 1. od. 37.*

COelo recurrens si tuleris bonus
Opem, rubentem duxeris ac facem;
Repente pectus vim ferocem
Induet, & se adamante cinget.

Non tela pubes, sævaque vulnera
Pallebit olim, sponte sed impias:
Tinget secures, & virilem
Ponet humi moritura vultum.
Ante hac, ut ungues accipitris pavent
Molles columbæ, vel lepores leves
Fugere venantem sub altis
Hæmoniæ, Nemeæve lustris
Sequi citatum; sed minuit metum
Vigor paventum pectora roborans,
Mentesque firmavit labantes
Proposito minimum caduco.
Crudele fatum rebus in asperis
Perferre fortes, brachia barbara
Vincti catena, nec cruenti
Ora timent, neque vim Tyranni
Cervice devota; enatat, enatat
Damnis superstes Relligio, neque
Cessere perjuri sodales,
Ac timidi nimium perire.
Iam pertinaci mente ferociam
Præsente Divo concipiunt; coma
Vt ille flagranti bilinguis
Constitit, emicuit que flamma.

Malum Cupidinem edomitum dicit.

ODE XXXIX. *l.4.od.6.*

D*Ive, quem magni Soboles parentis*
Instar ardentis, bifidaque lingua
Misit, ô salve, nova fax amantum
Abdita cordi.

Impe-

Impotens uni tibi cedit ales,
Arte materna licet acer olim
Imbuat sævas acuens sagittas
Turpe veneno.
Ille mentitus redolentis Hyblæ
Mella, blanditur male feriatis;
Ludit & vulgus, faciles remiscens
Orbe choréas.
Quin piis idem gravis, heu pudendis
Nescios labis, scelerisque puros
Exedit flammis; etiam latentes
Rupe sub alta
Exedat, ni mitis Amor recurras
Vocibus præsens, trepidisque votis,
Et Cyprin sedans potiore tentes
Pectora tæda.
Acer ô vindex nivei pudoris,
Igne qui pascis sine fraude crines,
Candidum defende decus, pudico
Corde residens;
Spiritum menti dabis, & benignum
Numen, ô tutela potens tuorum;
Providus tectas cohibebis artes
Ditis, & astus.

Animositatis auctor ostenditur.

ODE LX. *l. 4. od. 4.*

Qualem recessu montis in arduo,
Dum scribit heros fœdera legifer
Videre flagrantem caminum
Isacidæ nimium paventes,

Sic lapsa Olympo Numinis ignei
Vis fulgurando; fulminis alitis
Instar; sonantes perque Cæli
Flamma potens equitavit auras.
Post hoc feroces vividus impetus
Domus latebra propulit abditos,
Metuque firmavit remoto,
Intrepidos docuitque nisus
Duces inertes exacuens vigor,
Creare fortes qui potis insita
Virtute, & imbelles columbas
Alituum generosiorum
Mutare penna: scimus ut agmina
Afflata sacris sub penetrabilibus
Impune vastarint ruina
Fana Deûm, Stygias & aras.
Gens quæ per ignes telaque fortior
Crevit, resecta stirpe feracior.
Sævire nequicquam Nerones
Profuit immerita securi;
Nil strenui non efficient Duces;
Parata virtus namque tuebitur
Certamine infractos, Amorque
Expediet per acuta teli.

AD TORALDVM.

Vt sancto Amore ardeat, hortatur.

ODE LXI. *l.1.od.4.*

CORuscus alto vertice fulgurat
Amor; sodales pascitur integros
Crinalis ignis, vix calentem
Ferre Deum potis ara cordis.

Cur unus alges? sanctus Amor foco
Sese ministrat, cordis benignius
Fovetque, depromitque Cœlo
Dulce merum, liquidumque nectar.
Committe Amori pectora, qui simul
Fastum superbi perculit ingenI,
Stravitque motus inquieti,
Nec celeres agitantur iræ,
Nec Cypris ardet, nunc age lumina.
Intende Cœlo, nunc Amor evocat
Terris tuentem mira rerum.
Vna dûm, pariumque amantum
Vis illa, cordis fonte Amor effluens.
Quæ dona largo cumque paraverit,
Gratare; nec castos amores
Sperne; novos Hymenæus ignes
Accendit ultro, te licet imparem
Deo maritans; linguaque pronuba
Tædam corusca nuptialem
Igne Cupidino priorem.
Donec pudicas vibra Amor faces,
Nunc ebriosum pectus & ignea
Mens concalescat, mitte salsis
Cyprin aquis male natantem.

Contra religionis hostes armari cupit.

ODE XLII. *l. 1. od. 16.*

V*Igor pudico Numine nobilis*
Ciere mentem, pellere & incitam
Furore sano, non Cybelles
Quale furunt Corybantes œstro,

Afflasse limo dicere principi
Vitale spiramentum, animans face
Amoris, ac dulcem medullis
Vim bonus apposuisse nostris.
Amore fortem Romulea minus
Terrent secures, temnit acinaces,
Regumque fasces barbarorum;
Fulmine vel tonet omne Cœlum.
Tu robur addes; nunc age concitam
Incende mentem; me quoque pectoris
Tentet furore haud indecoro
Fervor, & Husiadas in hoste
Mittat ferocem; non ego prælia
Vitare malim tristia, dum mihi
Amor ministres ductor arma,
Vimque potens, animumque præstes.

AD CAPAIVM.

Vt sancto Amori se totum tradat, hortatur.

ODE XIIII. *l.2.od.11.*

Qvis corda amantum lux benè temperet,
Quo fonte purus manet Amor, quibus
Donis locúples, ne remittas
Quærere; fas trepidare in avi
Vsum futuri multa perennius.
Devote Cælo, desine mollium
Curarum; & insanos amores
Mitte cupidinea Diones.
Te Flora Cœli candidioribus
Sertis revincit; spera credulus

Spera;

Spera; minores mitte terras
Astra tuens, patriumque Olympum.
Amor resolvit pectore libero
Curas edaces; ille potentior
Restinguit ardentem sub undis
Æquoreis sine luce Cyprin.
Quis Sanctum ab alto devocet æthere
Amorem? amicos dic prece supplici
Maturet ignes, aucupisque
More sonet pharetratus arcu.

Cordis afflati tripudium.

ODE XLIV. *l.4.od.11.*

Est tibi cordis vigor, & potestas,
Lingua, quæ crines populata pascis
Igne lambendo, generosioris
Est animi vis.
Vt cor exultim micat? æstuoso
Mens Deo ut lymphata calet? supernè
Lucidæ flammæ trepidant, & alto
Vertice vibrant.
Pectus afflatum quibus ô redundat
Gaudiis? omnes Amor occupavit
Igneus, grataque tenet revinctas
Compede mentes.
Solve jam pectus graviore cura,
Semper ut te digna sequar; Cytheren
Candidus vitem; modus ô meorum
Vnus amorum.
Non enim posthac alio calebo
Igne; solamen miserùm te amanda

Voce deposcam, minuamque dulci
Tristia voto.

Suavitas ex Numinis præsentia indicatur.

ODE XLV. *l. 3. od. 29.*

O Vis duorum, cordis at unius,
Perennè flagrans, huc ades ocyor,
Ne pasce flamma solum amantum
Pectora, Cœlituumque mentes;
Plerumque gratas noster amor vices
Reddit potenti corda adamantina
Dirumpere, & vim pervicacem
Imperio facili domare.
Quandoque lætis tristia temperas.
Benignus hospes sub lare pauperis,
Remisit acres ille curas,
Implicitam soluitque mentem.
Iam clarus alto, pulcher Amor, facem
Ostendis orbi, jam calet intimis
Venis inardescens, & ultro
Mente Deus micat ebriosa.
Eoa noscant te sola, quæ premit
Caliginoso Vespere Lucifer;
Te Seres, & regnata Diti
Bactra colant, penitusque Iapon.

De ejus donis, & fide ubique diffusa.

ODE XLVI. *l. 4. od. 15.*

N Vper loquentem Numinis ignei
Castos amores, vimque foventium

Reci-

Reciprocatam corde ab alto,
Corripuit nova vis amantem,
Egitque lymphatum b. ne sobrio
Sensu per auras: tu vegetabilis
Virtus perennas, & tua vi
Cuncta vigent; vigor ille mentem
Munit; redonas tu sapientiæ
Vim multiformem, tollis & altius
Deo resorbens æstuoso
Corda potens, agilique flamma.
Injecta mæret fræna licentiæ
Turpis Cupido, nec furit impotens
Arcu, Dionæas ut artes
Expedit, & malè pectus icit.
Per te Quirini nomen, & imperI
Stat Vaticani robur ab Hespero
Ad usque natales Eoos
Nobile; tergeminaque Romæ
Verenda majestas; neque candidam
Nobis quietem Tænarus eximet;
Producat Alecto vel enses,
Et rigidas inimicet Arctos.
Frustra Sicamber sæviet impiè
Tumultuosus, quique binominis
Exercet Istri culta potor;
Damna per, & jacula acer ibo.
Nunc ritè ternis lucibus annuis,
Inter benigni munera Numinis,
Votis fatigamus relapsum
Dulce polo jubar apprecati.
Spirabilem auram more Favonii
Dicemus; affles tu modo tibias;

Natum-

Caput securi, nec cruentos
Horruit in sua damna fasces.
Spectandus Urbis, quam sibi destinat
Princeps, theatri, & Capitolio,
Delubra vertens, & ruinis
Signa Deûm haud trepidè fatigans,
Quid tauriformis cornua commovet
Tybris, piorum sanguine decolor?
Tu robur, ô tutela præsens,
Vimque dabis potiore Marte.

AD PERDITUM ADOLESCENTEM.

Traducit eum ab incesto amore ad castum.

ODE XLVIII. *l.3.od.26.*

NOn hospitali vivis idoneus
Deo, neque igni cor merito calet.
Obliviosum quid te amorum
Flamma coquit penitus Chimaræ
Insanientis? te puer impudens
Cruentat; eheu frange Cupidinis
Iam tela, jam tædas, & arcus,
Et pharetram jaculis sonantem.
O qui corusco vertice fulguras
Amor, carentem purpurea face
Sublimè delabens pudicus
Vre semel juvenem procacem.

Sancti Numinis præsidium exposcit.

ODE XLIX. *Epod. I.*

DEcurre pennis aureis sonantibus
Amor citatus, igneus,
Amor tuorum forte propugnaculum
Laturę plurimum auxilI.
Cadam; ni amico robore imbellem juves
Proclivis, & firmus parum:
Vt pectus agide ignea munis; ferox
Eludo tela barbara,
Ferrumque destrictum, & severa fascium
Bipenniumque vulnera.
Sic prodit agmen martium, sic desinit
Formidolosæ inertiæ,
Vt intonata flamma claro turbine
Quatefecit excussos lares,
Siticulosus ut salutis igneo
Ardescis aspectu Deus.
Sic fœdere arcto, & injugem mentem tibi
Flamma maritas pronuba.
Frange, ô, sagittas, quas Amor turpis jacit
Tutor pudoris integri,
Pavidamque mentem conjici Cupidinis
Plagis dolosis expedi.
Suetus pudico pectore extruens focum,
Restinguere incestas faces,
Intaminatis assidens præcordiis
Redamantem amante perbeas:
Non me illecebræ liniant Cytherides,
Nec palleam pueri dolos.

De

De idololatria ejus afflatu destructa.

ODE L. *l.3.od.4.*

SVccede terris, en age pallidos
Solare amantes, ô Amor. emica
Coruscus auro, vectus aura,
Purpurea rapidusque flamma.
Incende claro tempora sidere,
Impelle motu pectora vivido,
Non fabulosi ceu Promethei
Fraude mala nociturus ignis;
Fatalis orbi. fulgurat innocens,
Et grata haberi flamma per aureos
Voluta crines, ut latentes,
Corripuit, rutilaque lingua
Claravit altè, plurima quà micat
Sermone, mirum quod foret omnibus
Persisque, Medisque, atque Parthis,
Quique bibunt Tanaim bicornem,
Vt artium gens Mercurialium
Ignara, Vlyssem callida vinceret,
Audax per acrem vadere hostem,
Non sine vi revocante robur.
Magnum coactis intulerat metum
Nuper Quirinus, tinxit ut impium
Cruore ferrum, nec pepercit
Cæde Dei scelerare dextram.
Frustra minatur. robur, Amor, tuum,
Viresque discet vincere strenuus,
Perrumpere & quicquid potentis.
Haud vacuum positurus arcum.

Tueris

Tueris acer. vim bene provehis
In majus, addens irrevocabile
Casus per omnes, perque cades
Consilium , vegetamque mentem.
Ditem superbum vis tua proruit,
Fulmenque vano deripuit Iovi.
Delubra vertit barbara imo ,
Et vacuas spoliavit aras.
Visendus armis acer Amor novis ,
Manes ut arces indomitum genus,
Frustra timendorum Deorum
Comminuens simulacra victor.
Ceu flamma silvam cum rapuit, leves
Depasta tadas. turbo volubilis
Dejecit altas ceu cupressus ,
Et veteres agitavit ornos.
Tu tauriformis fanaque & impias
Hammonis aras eruis. horruit
Bicornis Isis, triste Anubis
Horruit ; ingemuitque Osiris.
Tua juventus sæpe ferox ope
Pugnavit. acres te duce virgines
Videre ferrum , atque ora torvos
Carnifices , trabeamque Regum
Sprevere fortes. tu penetralibus
Profers latentes, mittis & impium
Plutona contra , nobiles tu ,
Dive , citas Erebi ruinis.
Piata lymphis sic tibi candida
Pubes recrevit nuper Iaponum ,
Vastata ut ingenti fragore
Fana Deûm cecidere , Amida

Que-

Quærente frustra, scilicet æquore
Perlata toto sacra Quiritium
Commisit Indis magnus heros
Hesperiæ, atque Orientis Eois
Quis te minori magnus Amor fide
Linus, vel Orpheus æquet? ut eloquens
Oracla fundis mira castis
Vatibus haud dubiè loquenda.
Tu me pudicis artibus, ac pio
Labore functum, tu Polyhymniam
Longo fatigatam canore
Dulce tua recreabis aura.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV
LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER VIII.

De Dei Matre Virgine.

Προοιμιον.

GEnitrici Veneri victor Cæsar Britanniæ spolia, & candidissimis ex margaritis elenchum consecravit immeritò, quippe ei, quæ ornamentis omnibus animũ spoliat & candore privat: quanto æquius Dei Genitrici Virgini debebatur labor hic meus in poëtica facultate si minus ornatè ac splendidè, certe integrè castèq; versatus? Marinæ item Veneri lyram suam dedicat Flaccus, nec tamen sine naufragio pudoris; quippe ut ea ætas ferebat, in carmine petulantior. Ceterum Musæ adeo semper adversæ Veneri fuerunt, ut earum opera immissum aprum ad Adonidem Veneris amasium occidendum fabulati sint. quinimo fateri Theocritus

tus in Paſtoribus non dubitavit, nullum eſſe præſentius adverſus voluptatum præſtigias amuletum cantu Muſarum, quos illæ aſpexerint læto vultu, hos Circæo nullo poculo lædi poſſe. quanta nunc corruptelæ licentia in Poëtarum carminibus? cum ab inferis iterum Galateas, Cynthias, Amaryllides evocant: at quondam apud procos ipſos tantus fuit pudor, ut coram Homerica Penelope nemo aliquid turpe canere auderet, ſed reditus Græcorum in patriam laborioſus, Palladis conſilia, belli exitus carmen eſſet: ego vero in hoc opere tacitam illam præterire non debui, quæ magiſtra pudoris eſt Mater, & virgo. ſcriptum reliquit Euphanor, Muſarum nutricem fuiſſe Euphemen, ſive quod illuſtrium virorum res geſtas famæ commendat Muſæ, ſive quod Poëtæ nomen ſuum apud poſteros famæ celebritate propagent. mea vero non aliam agnoſcit Muſa nutricem niſi Virginem Dei Matrem, cujus gloriæ fama gentes omnes nationeſque pervaſit. hujus alitur ubere divinitus pleno. inde immortalitatem haurire fas eſt, & incrementum accipere ſi minus ingenii, certè pietatis.

IN V. CONCEPTAM.

Libera dicitur peccati fomite.

ODE I.

Non te Chimeræ flamma reſorbuit
Olim paternæ, vis genitabilis
Ab uſque cunis, & medullis
Inſita, poſt epulas remorſas:
Vt inquinavit progeniem Pater,
Pacem duello ſuſtulit, otium
Exegit almum, nec ſerenos
Ire ſinit ſine nube Soles.
Pars inquieti turbida pectoris
Furit, tumultu ſævaque perſtrepit.
Civilis & Bellona regnum
Miſcet agens, dominæque menti
Inſultat audax; ducitur improbum
Bellum protervis ſeditionibus;
Mecumque pugno, propriiſque
Diſſideo mihi ſemper armis.
Biformis hoſtis; Mars inimicior
Vix cedit ipſa morte, domabilis
Fameve, ſublimiſve flagri
Verbere poſt humeros cruento.
Vis impotens, quæ haud arbitra pectoris
Major, minacem ſeu furor aſperat,
Veſana ſeu Cyprin ſequatur
Bella movens animo priori.
Lex cordis exlex, & malè pervicax
Ciere motus, ludere libera
Exultim, & amens; una cæci
Conſilii maleſuada, cantus.

Arguta

Arguta Siren, doctaque fallere.
Sed pertinaces obserat, obserat
Severa mens aures, & obstat
Surda magis scopulo Adriano.
Mens cruda iniquis sensibus, & ferox
Insanientem deprimit impetum,
Et vim procacem, sæva vultum,
Torva oculos sibi blandienti.
Parere menti sic bene cogitur
Pars serva; regnum sic Ratio tenet;
Sic Virginis tutela Matris
Eripiet sibi dedicatum.
Iniqua nunquam pertimuit vada,
Cæcasque cautes, Cypridis improbæ
Natale regnum, nec quieti
Pectoris intumuit procella.

IN V. CONCEPTAM.

Cuncta ejus innocentiæ plaudunt.

ODE II. *Hor. l. 2. od. 15.*

Regina Phœben proterit auream,
Vrgetque plantis; undique latius
Vireta Silvani coronant,
Alta abies, platanusque cœlebs,
Myrtusque, frons & Palladis innuba,
Cedrique circum stant Libanitides,
Spargunt que dumetis odorem
Dulce rosæ Dominæ recenti.
Immunis ambit Daphnis, & igneos
Excludit ictus; namque ita Vatibus
Præscriptum, & æterno Parentis
Consilio; nec adurget illam

Commune fatum, & dira necessitas,
Ex quo negatos illecebrosior
Pomona fœtus arroganti
Esse dedit generis parenti.
Fovebat illum læta perennitas,
Metata nullo vitaque limite;
Post sæcla producenda, virtus
Certior excipiebat astris;
Nec impotenti turbine vertere
Humana gaudebat Nemesis, Deo
Tutante, votivas sed aras
Flore novo decorare sueti.

IN V. CONCEPTAM.

Primigenii criminis damna exponit.

ODE III. l. 1. od. 16.

O Flore puro Nazari purior,
Non criminosa luridus inficit
Te labe serpens, nec veneno
Pectora corripuit tumente.
Ille ore pestem tabificam malus
Fudit; colono sudor adest viro
Laboriosus, perque fœtus
Difficiles agitur noverca.
Dotalis horti vestibulo reos
Deterret ensis, quem rotat igneum
Vigil satelles, ceu minister
Fulminis imperiosus ales.
Ambo nocentes exitio gravi
Stravere mortalem, & steterunt simul
Causæ malorum, cur periret
Progenies inimica, fati

Rudis, severa mortis & insolens.
Resolve mentem, te neque pectoris
Tentabit æstus, nec dolosus
Mulciber in patriam ruinam
Mittet cadentem; sat tibi vulnerum
Vitare, Virgo, tristia; te licet
Vnam erubescendi parentis
Dedecorum nituisse puram.

IN V. CONCEPTAM.

Oraculum de ea primis parentibus dictũ.

ODE IV. *l.1.od 15.*

CVm fatale Pater duceret arrogans
Natorum exitium, lenè perambulans
Immortale nemus, delicias breves,
Afflavit Zephyro levi
Æternus Genitor, sævaque temperans
Miscet fata bonis. Tu licet evomas
Terris hydra nocens exitiabile
Virus fundere pertinax:
Te iurata premens femina conteret;
Monstrum Diva potens frangere centiceps:
Stat fundo vacuam vertere regiam,
Et convellere carcerem.
Maternis uteri condita finibus
Iracunda movet prælia Manibus,
Permiscens Erebum, regnaque tristia,
Et vulgus Phlegethontium.
Nequicquam miserorum exitio ferox
Pluton corripiat, ianitor & Stygis
Spumam tergemino gutture dividens.
Nequicquam iaculis puer *Arma-*

Armabit pharetram. quin breve condita
Eludet Libitinam, & nimium gravem
Mortem. virgineo tu pede ſaucius
Squamas ſanguine collines,
Infelix coluber, ſibila detumens
Colla; ut Diva nova vi premet impium,
Triſtes exuvias diripiet, Stygis
Victrix, & veteres opes.

IN V. RECENS NATAM.

Bene ominatur de eo die ſibi quoque Natali.

ODE V.

NVnc vota tempus debita fundere,
Vt pulchra prodis luce ſub aurea,
Nunc thura odoratas per aras
Vrere, Achameniumque coſtum.
Natalis unà Vatis adeſt tui.
Hac luce ſacras, hac genitabilem
Parvus recepi ſpiritum, ſed
Auſpiciis, bona Diva, magnis.
Quod ſpiro, & auras haurio, muneris
Tui eſt. fovendo vana nec adſuit
Lucina, nec tutela vatum
Calliope. tua cura gignor.
Te præſide atrox Tiſiphone haud aget
Tæda furentem, nec malè lividos
Manes pavebo. Diva alumnum
Expedies per avara tutum
Rapacis Orci, non ſemel eripi
Prædam querentis. per vada languida

Cocyti, Avernos tollis altè
Perque lacus, adimisque Lethe.
Votis merebor dona. ter audies
Vocata, velox tendere dexteram.
Sic alitis fraudem cavebo
Turpe mihi meditantis arcu
Vulnus. sagittas protinus igneas
Impune fallam, cum iecur aridum
Tentavit & venas, virensque
Flamma levis caluit juventa.
Meis superbum non facies malis
Plutona, fortis sternere. Cerbero
Non obligabit me trifauci
Pœna nefas domitura quondam.
Cum castus aris ritè litavero,
Vivoque Nati sanguine fecero,
Pingui & dape, aversum reflectes
Blanda, premes trifidumque telum.

IN V. RECENS NATAM.

Ad profanum Poëtam, ut hanc potius canat.

ODE VI. *l.3.od.19.*

QVo partu fata lucida
Phœbe (vana fides) littore Delio,
Narras; vel quis Atlantides
Et pulchras Hyades ediderit parens.
At cunabula Virginis,
Quæ nunc magna poli nascitur arbitra,
Mox implenda Deo, taces.
Grajos mitte leves, desine fabula.

Dic Natale decus Novæ
Divæ, ſtelliferi dic dominam poli,
Terrarumque jacentium.
Labem non patitur ducere Gratia;
Caſtis juncta ſororibus
Ducit læta choros. lætitia juvat
Inſanire decentius.
Audin? carminibus flamina tibiæ
Iungit. magna Parens, io,
Et victrix Erebi dicite io, venis.
Stellata nitidam coma,
Puro te ſimilem dicimus Heſpero.
Tempeſtiva venis, Deæ
Inſtar; teque Venus cum puero ſugit
Iam formæ minor aureæ,
Iam matri docilis cedere virgini.

IN V. RECENS NATAM.

Sine labe pulchra profertur.

ODE VII. *l.4.od.13.*

TErrarum gemitus, votaque ſupplicum
Audivit Genitor; *protinus emicas*
Alvo grata videri
Virgo, grata parens, brevi
Donatura Deum; te quia nec premit
Damnati generis dura neceſſitas,
Sævæ ac fata novercæ,
Nec turpat ſceleris nota;
Solis texit Amor nunc tibi purpuras,
Et ſtellis redimit tempora, quas ſimul
Alta fronte revinxit,
Scintillant ſolito magis.

Natum

Natum Patre Deo Gratia perculit,
Et nulla facies horridior nota,
Nulla decolor olim
Labe, & crimine libera.
Felix auspiciis, ac prope jam Dea,
Lunæ luce prior; nam maculat genas
Hæc suffusa pudore
Ambitura minor pedes.

AB ANG. VIRGINI DEUM CONCIPIENTI

Pudicitiæ votum.

ODE VIII. *l.3.od.2.*

DEi parentem relligiosius
Ciere votis ingenuus puer
Discat, fatigatamque multa
Rite prece auxilio reposcat.
Illam sub agris, ac trepidis vocet
Sub rebus; illam dum Cythereïus
Illudit, & vexat Cupido
Ingeminet; trepidansque virgo
Testetur; eheu ne male pectori
Contendat arcum callidus aucupI;
Neu cote procusum cruenta
Mittat agens jaculum premendo.
Letho tuebor præmia Virginum,
Certum pudorem mors potior teget;
Adsis, & extricare tende
Tot pavidam laqueos juventam.

Meus

Mens usque fulsit nescia sordium,
Infecta nulla labe puertiæ;
Nec torrida ætas arsit olim
Arbitrio paphiæ Diones.
Quandoque cæca pars violens furit
Naturæ, iniquis concita motibus;
Et miscet intestina menti
Seditio miseros tumultus,
Regina frænis temperat aureis
Sensus minores, & Ratio regit,
Intraque præscriptum coërcet
Vim famulam, domitatque sævam.
Pudor recessus tendit in arduos,
Non usitatum carpere iter sciens;
Faces & incestas, torosque
Posthabuit minimum pudicos.
Vicit Cupido non bene providos,
Quos Africanæ non poterant feræ;
Arsere multi sæpe in antris,
Et mediis nemorum sub umbris.
Pudor juventæ cum semel excidit,
Non jam caduco flore renascitur;
Damnosa ludum sic Amori
Dat Venus, & male suada fallit.
Illa irresecti verticis abscidit
Proterva crinem, & credidit hostibus
Domabilem non ante nodo
Tergemino, atque adamante multo.
Egitque duram turpe per orbitam
Cyclopa; & heros opprobrium molæ
Trusatilis, brutum sodalis
Edidicit juga ferre dura.

Quin ecce vates jam furit ebrius
Ardere serva; nempe volubili
Mimanta funda qui retorsit,
Stravit agens & humi superbum,
Premente saxo tempora; posteri
Divinus avi sensit adulteros
Vesanus ignes, regiumque
Cæde viri maculavit ostrum.
Nec juvit ursam scilicet asperam
Setis, paterni sollicitum gregi
Arcere, & infesti Leonis
Horribilem retudisse malam.
Deforme probrum ni puer insolens
Debet Cythere, te pius ambiat;
Nam dedicatum, virgo, reddes
Præsidio haud tenui ferocem.
Inumbrat olim sic Amor aureis
Te, Diva, pennis, & jecur igneum
Defendit intacta puellæ,
Tutor Amor trepidi pudoris.

IN V. DEO FOETAM.

Gratulatur de nostra per ipsam felicitate.

ODE IX. *l. 3. od. 8.*

Diva, quam puram thalami jugalis
Reddidit fœtu supero tumentem.
Dux Amor casti, tibi ritè puri
Tangimus aras.
En ades Nati pia dona libans;
Vina, seu fruges, simulacra rerum

Profert

Profero voti reus inquinata
Fraude noverca
Liberam dico. sobolem ferendo
Posthuma gentis mala demovebis,
Et premes fletus, ineunte lætas
Numine terras.
Scilicet centum patrio sub Orco
Clavibus Manes reprimis frementes:
Et patet multo mihi vecte quondam
Clausus Olympus.
Ite damnato super orbe luctus,
Projicit fractos vetus hostis arcus,
Et piis atra meditantur Vmbra
Cedere terris.

IN V. DEO FOETAM.

De ejus illibata virginitate,

ODE X. *l.2.od.5.*

NOn tu pudici munia conjugis
Experta, flamma nescia Cypridis
Acerba, seu matura virgo,
Sive Deo sine labe fœta.
Circa fragrantes est animus rosas
Sub vere primo, canaque lilia
Virentis Hyblæ; Nazaretis
Flora comis tibi serta nectit.
Eris ferendo cum sat idonea
Puella ventri, tum benè nubilem
Afflabit aura virginali
Sanctus Amor; caput en pudicum
Obrumbrat altè; servat Amor decus
Non inquinatum, nec tibi candidum

Demet

Demet nitorem, mox sub ima
Rupe Deum paritura virgo ;
Decora quantum non Helice minor ,
Non clara Plejas ; pulchrior enites
Quam Gnoßis ardens, quam Diana
Pulchra genas , maculosa vultum.
Juncta ut marito fœdere principem
Poßis sagacem fallere Tanari ,
Discrimen anceps , mater unà
Numinis, & sine labe Virgo.

IN V. DEO FOETAM.

Ejus decus insigne commendat.

ODE XI. *l.2.od.4.*

O Parens Divi prope Diva, mitte
Nomen ancillæ, dominam fatere ,
Dum te Amor Cœlo bonus afflat alto
Integer auspex.
Tu licet parvo male culta censu
Haud graves jactes opibus penates ,
Regium certe genus , atque vatum es
Magna propago.
Sola mortales Erebo resolvis
Lege devotos minitante fatum ,
Quæ Deum terris socians tenaci
Fœdere gignis.
Movit æterno Genitore natum
Forma non ulla temerata labe ,
Movit intactum decus, & pudici
Floris honores ,
Alites postquam cecidere turmæ ,
Et parens audax , & acerba mater

Tradi-

Tradidit ſævo graviora labia
Corpora letho,
Crede non ullam tibi de ſceleſta
Stirpe contractam maculam, notamve;
Nec Deo averſam decuiſſe naſci
Iure pudendo
Ditis. integram ſine labe laudo,
ConnubI munus neque ſuſpicabor,
Cujus immunis trepidabit alvus
Edere Numen.

IN V. DEO FOETAM.

De ſancto Numine eam inumbrante.

ODE XII. *l.4.od.9.*

NE labe credas inficienda, quæ
Parente Divo jure pari ſatum
Non ante ſueto more fundunt
Viſcera, nil temerante purum.
Decus Cythera; non puer igneo
Tentavit arcu corda ſagittifer;
Tæda nec evicit jugali
Virgineos Hymenæus ignes;
Spirabilis te pectore ab intimo
Natique, Patriſque afflat Amor potens;
Tumentque commiſſi calores
Haud humiles utero puellæ.
Dicenda Virgo, tuque eadem parens
Impunè; nec te pignore nobilem
Tanto verecundam notari
Sivit Amor male gratus auſpex.

Vexere

Vixere pauca Cypridis antea
Puræ, sed unam te sibi destinat
Matrem, potenti summa qui Rex
Temperat, & movet ima nutu.
Arsit pudica virginis indole,
Et nectare ori dulcius illito,
Et pectus emiratus album
Ante nives amat hospitale.

IN DEI MATREM.

CVM COGNATAM INVISERET.

Alludit ad Virginis carmen.

ODE XIII.

EXultim ut alvo ludere gestiit
Citatus infans Numine, Virginem
Complexa dixit ter beatam
Mater anus, cecinitque Vates.
Sic illa contra. Ne trepida in meas
Cognata laudes; manat ab æthere
Vis omnis, afflavitque amoris
Me Genitor genialis igni,
Ille immerentem me face torruit,
Legitque servam; corporis insolens
Mortalis alvo se pudica
Condidit, & supera parentem
Me prole fecit. quisque vocaverit
Rectè beatam, virginis occupo
Nomen beata, quæ pudorem
Fœta Deo, sine labe servo.

Me Bactra dicent barbara, me Getæ
Colent, & Indi, Doris & ultima;
Quæ regna Phœbus cumque nascens
Lustrat, & occiduus, tenebo.
Magnis honorum muneribus Pater,
Nec usitatis ambit amoribus:
Toroque connubI pudicam
Eripuit, thalamique flammæ.
Est cura gentis, nec pietas facit
Culpis iniquum, nota parentibus,
Avisque Idumes, qui verentes
Rite Deum coluere verum.
Sæpe ille vindex livida brachia
De cæde duxit, fulmina dextera
Rubente contorquens, superbas
Corripuit, minuitque mentes.
Regum timendorum ardua tempora
Diffregit, alto de solio ruens;
Et ima permutare summis,
Magnaque amat tenuare parvis;
Humi jacentes extulit altius,
Obscura promens, clara premens Deus;
Fregitque fasces, & removit
Purpureos apices tiaræ:
Dedit beatum ducere pauperi
Nectar, paratas esse dapes dedit;
Dites at implacata flamma
Urit, inops rabiesque ventris.
Mortale corpus tendere pertulit
Memor suorum. fallere nescia
Cortina vatum sic monebat
Pollicitum, sine fraude, Numen.

IN V. RITE LVSTRATAM.

De cereis tædis distributis.

ODE XIV. *l.4.od.11.*

NEcte jam Clio capiti corymbos,
Innuba lauru religata crines,
Et fides tangens meliore plectro
Concine Divam.
Sordis immunem sine labe partus
Juno natalis tetigisse nescit;
Sponte sed legi subit una virgo
Lege soluta.
Sanctior multo mihi lux, eritque
Hic dies, quam qui Cereri dicatus
Deviæ, dum Persephonen rapaci ab
Dite reposcit.
Illa dum floris studio Sicani
Pingit Hyblæas opifex corollas,
Rapta deformes animas, nigrumque
Palluit Orcum.
Quam Ceres mater trepidante tæda
Lustra per, cæcas petit & latebras,
Quaque responsat nemorosa circum
Fallit imago.
Mitte jam Clio face fabulosa
Dicere errantem Cererem; nitentes
Inter, ô, tædas age dic pudicum
Candida carmen.

Ipse Amor tædam meliore mutat;
Hac agit puros, animatque amantes;
Hac diem pandit radiis, & auro
Pulchrior Eos.

SIMEONIS VATICINIUM.
ODE XV. *l.4.od.10.*

Complexus Senior cum puerum lamberet osculis,
Sic vates cecinit, fata moves tristia præscius.
Eheu, magna parens, ne sobolis delitiis frui
Speres posse diu. nam Solymes cum furor arserit,
Quem nunc fers gremio dulce fovens. eripiet tibi
Squalentem facie turpiter, atq; illuvie horridum,
Multo pulvere fœdum. at peracuto diademate
Cum, quæ Nazarides involitant, horruerint comæ,
Dices, heu lacrymis fusa genas, fusa sinum parens,
Te nè olim genui fœta Deo, Patre Deo satum?
Te reges adeunt Memnonidæ munere supplici?
Non hæc forma tibi, nec decor idem puero fuit,
Cui pingebat Amor dulce genas murice, cui Charis
Malas præcipua parte sui nectaris imbuit.
Quò nunc ille Deus? quò species illa abiit decens?
Quòve ignes oculorum? ô teneris pulcher amoribus;
Nunc pectus mihi, nunc cor penitus transadigit dolor.

IN V. ASSVMPTAM.

Gratulatur de ejus gloria.

ODE XVI. *l.3.od.13.*

Virgo magna tui funeris arbitra,
Lethi diva potens, non sine plausibus
Te Natus beat alto
Cœlo. te sibi destinat
Frustra Mors; tumulo non bene conderis
Injecto tenui pulvere; Dux Amor
Aptat penniger alas,
Et librat vacuo levem.
Te fatale malum nescit inhospita
Vrna perdere; quæ fundis amabilem
Divum, Numen amantum
Intégro sobolem situ.
Fies nobilium maxima Cœlitum,
Me dicente piis impositam choris
Sublimè, unde maritas
Terras rore benignius.

IN V. ASSVMPTAM.

Regina inauguratur.

ODE XVII. *l.1.od.26.*

Natus parentem tradit in arduos
Fines Olympi ferre volucribus
Divis; quid urna, quid sepulcri
Fœda situ Libitina possit
Secura, & atri pulveris unicè
Immunis artus promovet integros.
O siderum quæ luce gaudes
Vranie, benè necte serto

Stellante crines; hac sine sidera
Nihil renident; hanc Hyade aurea,
Hanc Gnosio vincire textu
Pleïadumque decet corona.

IN V. ASSVMPTAM.

Præstans ejus dignitas declaratur.

ODE XVIII.

O Diva Cælo debita patrio
Iam surge; dignam sume superbiam
Parente magna; bisque senis
Indue sideribus decoram.
Librata Cœlo lancibus aureis
Convexa tranas ætheris, ac pede
Terens Dianam noctilucam
Imperii nova jura condis.
Tibi corusco stemma toreumate
Contexit ardens Erigone polo,
Et Sole Cyclas discolore
Ambit: Acidalios amores
Formosa vincis. tu soliis jugo
Attrita longo colla tenacius;
Orcoque devoti profundo
Ad superas revocamur auras.
Te vota poscunt, tu prece supplici
Donare Numen prompta; simul notæ
Immunis illuxti paternæ,
Ipsa tegit minor ora Phœbe.
Tu das beati ducere nectaris
Succos, edenti Cœlicolum dapes.
Tu dextra habenas, tu polum alto
Vertice sideribus micantem

Regina torques; te super æthera
Alæ nitentes versicoloribus
Plumis, nivales teque olores
Purpureo rapuere Cælo.
Longùm nec urget morte necessitas
Vitæ parentem; protinus effugis
Manus ahenas; frustra iniqua
Falce velit premere, ac securi.
Te pulcher ornat labe carens Pudor,
Et læta Spes, & candida Faustitas,
Et pura labis fert sororum
Sophrosine tibi dux choréas.
At fœda Cypris cedit, & integram
Incesta formidat; fugit ignea
Cupido cum tæda, & sagitta
Virgineo decori dolosus.
Mundi ruentis tu columen, tuas
Amica terras despice; Romulum
Tuere cultum, & Vaticani
Iura Patris metuenda firma.
Medere probris; Hussiadas doma
Insanientes; frange Melancthona;
Compesce Bezen incubantem
Immeritis Latii ruinis.
Fas est triumphis tollere nobilem,
Et ludere inter carmina Cælitum
Plaudentium, Divamque magnam
Exiguo resonare plectro.

IN V. ASSVMPTAM.

Ejus triumphi gloria describitur.

ODE XIX. *l. 1. od. 35.*

O Qua FavonI concita flabilis
Pernice penna, tollis ad æthera
Non inquinatum corpus urna,
Morte ferens domita triumphum.
Te lætus ambit, te recinit chorus
Ovantum Amorum; te dominam colent
Vrbes reposta barbarorum
Indociles Latio parenti
Parere; at hostem prorue, vocibus
Lacessere ausum: devovet impius
Cælo timendum, Tanaroque
Nomen, in opprobrium pudoris.
Te non vetusta labe necessitas
Infecit olim, dum tenera manu
Tractatur arbos, nec severa
Lege cadis, famulove Diti
Captiva servis; non tibi lilio
Hymen reciso ver tulit aureum,
Inumbrat ut te virginali
Tegmine Amor genialis auspex.
Et nunc Olympo pervia patrio
Si Diva tendis, cur comitem abnegas
Sequi volentem? quidve terras
Deseris ambitiosa Cæli?
Stipant euntem per liquidum aëra,
Camposque inanes Sol, minor & soror;
Et stipat examen pudicas
Orbe vago choreas agentum.

Eheu recedentem lacrymis ſequor
Fruſtra, & querelis; mæſta quid immoror
Tanti doloris præda? tecum
O utinam rapias citatum.

IN V. ASSVMPTAM.

Immortale ipſius decus commendatur.

ODE XX. *l. 2. od. 20.*

Tendes per auras, Diva, volubiles
Sublimis ales; nec tenues levant
Pennæ, ſed inconceſſo honore
Nixa Deo genitrix relicta
Tellure, Cœlo digna, citaberis,
Sanguis parentum regius, altaque
Ieſſeiæ ſtirpis propago,
Magna parens, eademque virgo.
Largita Numen, proxima Numini
Sedebis alto jam ſolio potens
Mortalium, Divûmque, & Orco,
Et Stygio metuenda Regi.
Non inquinavit funere lurido
Cinis; ſepulcri non tenet horridus
Carcer, nec importuna fati
Vis humili remoratur urna
Diu latentem: pulcher Amor decus
Formæ tuetur, nec patitur ſitu
Horrere turpi; & pulvere atro
Purpuream violare Divam
Clotho pepercit. Melpomene dolens
Fruſtra laborat dicere næniam;
Breves in horas funeratam
Aſtra tenent, patriumque Cœlum.

IN V. ASSVMPTAM.

Dei decretum de ejus gloria.

ODE XXI. *l.3.od.3.*

CAstæ parentis purpureum decus
Non fœda turpant fata cadentium;
Non usque vilis condet urna,
In cinerem aut Libitina solvet.
Innixa Nato protinus igneas
Attingis arces, astraque subdita.
Natus beavit, namque ducti
Vberis, & memor ille amorum,
Hoc te merentem, Diva, per arduas
Evexit auras indocilem mori
Rursum; refusa stagna Lethes
Effugis, immeritasque sordes.
Parente Divo post nova funera
Sic eloquuto: Progeniem parens
Fatalis, agnos ac nepotes,
Et mulier malesuada nuper
Damnavit atri pulveris, & nigro
Devovit Orco, candida fœdera,
Et jura deludens, colubro
Consilii duce fraudulento.
Iam non parentis, non nitet improba
Genus noverca; fata nec aspera,
Morbosque pugnacemque Mortem
Arboreis opibus refringunt:
Non turpe bellum seditionibus
Recedit intus; protinus igneus
Arsitque fomes pervicaci
Exagitans animum duello.

Nunc cuspis inter ſæviat ignea
Mortalem, & hortum: qualibet exules
In parte luctu conſeneſcant,
In cineres abeantque turpes;
Dulcem parentem dum breve deſerat
Inulta Mors, nec livida funeri
Inſultet; illam quippe dono
Sidereas iniiſſe ſedes;
Illam irrepertam, nec tumulo ſitam
Cœlo coronent ſidera, nec male
Vaneſcat urna non decoro
Pulvere, ſunereoque buſto.
Hæc jura dico; ne nimium pii
Artus pudici quærere corporis
Tellure nequicquam laborent;
Relliquias ſenioris ævi.
Quæcunque mundi pars ſupereminet
Hanc tangat altè, tendere geſtiens
Qua parte Natus regnet inter
Cælicolas medius minores.

IN V. ASSVMPTAM.

Muſam invitat ad ejus decus canendum.

ODE XXII. *l. 3. od. 28.*

ILlata Superûm choris
Diva, rumpe moras, affer eburneam
Clio barbiton aurea,
Pignus Cecropiæ da ſapientiæ.
Librari per inania
Spectas, ac veluti ſe volucrem efferat
Condens ſideribus caput?
O, ne parce fides pellere pollice.

Fas

Fas te dicere perbrevi
Conditam tumulo munere myrrheo,
Et Phœnicum opobalsamo.
Tum vitæ reducem, juraque pallidæ
Lethes corpore vivido
Vincentem recines cum chorea levi;
Quæ nunc alta poli tenet,
Fulgentesque domos visit, oloribus
Iunctis alitibus; nitet
Cornu visa minor sub pede Delia.

IN V. ASSVMPTAM.

Ejus patrocinio se committit.

ODE XXIII.

O Diva Cælum nuper in ultimum
Producta penna præpete Gloriæ;
Iam jam parentem donat astris
Te soboles, avidisque Divis:
Decus sororum, primaque virginum;
Cum qua morantem sæpe diem Deus
Traxit loquendo, dulce matrem
Ingeminans, repetensque matrem.
Nunc alta cursu sidera permeas
Dulces relinquens exuvias tuis.
Fas nempe collapsam vetabat
Turpe solum tenuisse, & urnam.
Sed te per auras nuper Amor celer
Nihil paventem sustulit aëre;
Nec rursus in Lethen resorbens
Mors rapiet trepidante fato.
Ergo expetitum redde decus polo,
Longique fletus desine, filio

Non

Non jam cruento; siste Cælo
Magna parens tibi destinato.
Obliviosum nec tamen obruat
Te gaudium; sed divite copia
Diffunde Numen, dum nitentes
Sidera deproperant coronas.
Te munerum, te Natus & arbitram
Dicit bonorum; fas mihi candido
Bacchari alumno, te reposta
Sidereis, bona Diva, regnis.

IN V. ASSVMPTAM.

Privilegiū incorruptionis commendat.

ODE XXIV. *l.1.od.3.*

FAti Diva potens tui,
Frontem jam replica sidere lucido,
Perque artus Hyperionem
Ardentem radiis pulchrior explica.
Importuna necessitas
Immunem soluit crimine patrio,
Obstrictis aliis reis,
Tē prater, Genitor quam sibi destinat
Tantis incolumem malis.
Contra fortis Amor Tanara muniit.
Nati præsidio ferox
Nec virus colubri, nec metuis dolos,
Nec Mortis celeres minas;
Evadens Acheronta athera pervolas
Pennis non alii datis.
Major nulla poli est arbitra, vindicem
Acrem flectere si velis,
Ne cladem meritis gentibus inferat.

Olim

Olim ut poma tulit parens
Impermissa, ruens progeniem in nefas,
Æternam Deus abnegat
Hyblam; jam chalybem pervigil igneum
Custos versat agens, neque
Ignota patitur tendere iter via.
O verte in mare Caspium
Nati tela tui; fulmen & innocens:

IN V. ASSVMPTAM.

Eximiam ejus gloriam extollit.

ODE XXV. *l. 2. od. 8.*

NVlla (prô felix) tibi funerata
Pœna perjuræ nocuit novercæ;
Labe nec turpi nota decolores
Inficit artus.
Nam simul dulcem legit ille matrem
Mentis æternæ satus, enitescis
Pulchrior cunctis, miserumque fallis
Vnica fatum.
Principis nil te cineres parentis,
Fœda vel terrent simulacra letho
Criminis puram, gelidaque Divam
Morte fugacem.
Te minor Cypris metuit pudica
Integram mentis, malus & Cupido;
Frangis excusas simul ipsa sæva
Cote sagittas:
Virginum pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit pia, quæ penates
Abditæ, ac tædas tacitæ relinquunt
Fœdere certo.

Vsque

Vsque jurata tibi. Nec jugales
Candida norunt thalamos; Hymen dum
Savit, ac Iuno, tua pellit ambos
Purior aura.

DE ÆDE LAVRETANA.

Prædonis Turcæ fugam metumque describit.

ODE XXVI. *l.4.od.14.*

QVa plectra tanget Calliope minor?
Quo, Diva, cantu te memoret, potens
Laureti? inanes qua per auras
Summa jubes volitare tecta.
O magna Mater, maxima virginum,
Deoque sedes nobilis hospite;
Vim nuper auri dum reposcunt
Odrysia, didicere gentes
Injuriosa, quid vigil, ac tenax
Custos cubilis posset. inhorruit
Repente Maurus, concitatas
Remige sollicitans triremes.
Tu visa Cœlo, Diva potentior,
Avara prada examina Thracia
Ventis fatigare, ipsa classem
Exagitans per acuta vexas
Saxorum, & undis robora puppium
Frangis: tonantes abscidit, abscidit
Corusca nubes Pleïas, imis
Gurgitibus tumuitque Nereus.
Septena Cœlo sidera tum chorum
Iunxere, pœan jam tibi dicitur

Ovanti, & audacem furorem
Auspiciis subitis prementi.
Opes repostas spe vorat irrita,
Et lata ponti barbarus occupat
Frustra; tueris Diva sedes
Numine, & edomitum coërces.
Tu castra fundis depopulantium
Aras, adurgens; fanaque vindicas,
Agisque prædonem retrorsum
Indecorem laceræ triremis,
Vt ore terres; erubuit minor
Diana signis, dum revocant fuga
Cursum erubescenda, coacti
Vela dare, atque iterare pontum.
Te, te ferentem præsidium, tuas
Sedesque servantem profugus Scythes
(O divitis tutela templi)
Sensit, & abstinuit rapina.

DE VIRG. MATRIS EFFIGIE.

Ejus, filiique eximiam speciem commendat.

ODE XXVII. *l.1.od.19.*

Matrum maxima, & unicè
Virgo Diva, tuus parvulus hic Deus
Qui mammis inhiat, jubet
Me castis animum reddere amoribus;
Nam forma illius, illius
Lasciva reprimit fræna licentiæ;

Oris

Oris sic nitor afficit.
Cycno candidior, seu nive, purior
Vnda, purpureus puer
Cerni, Non Cyprias ore movet faces;
Labris gratia roscidis
Interfusa sedet, nec patitur gravem
Arcu tela Cupidinem
Cordi tendere, & infigere pectori,
Tadam aut subdere fumidam
Blandis illecebrosum artibus, & dolis.
Hoc uno pius ardeo,
Vnius species pranitet omnibus.

DE EADEM EFFIGIE.

Infantis Dei blandimenta describit.

ODE XXVIII. *l.1.od.13.*

Ambit dum tibi candidus
Cervicem roseam, & melleus inserit
Infans brachia cerea,
Quantis, Diva, tibi cor micat ignibus
Gliscens? exilit, exilit,
Nec jam sede manet; lac simul insolens
Mammis liquitur integris,
Vt puris caluit pectus amoribus.
Mollem junge genam gena,
Dulcis carpe parens oscula dulcia,
Multo qua bonus illinit
Cœli nectare Amor, mellis Amor favo:
Felix par redamantium,
Et chara sobolis matris Amor tenax;
Irrupti nova fœderis
Arcent vincla duos, mors neque distrahet.

IN DEI MATREM VIRG.
Christianam rempublicā ei commendat.
ODE XXIX. *l.1.od.12.*

Casta te dicet chelys, ô pudica
Mater, & virgo, super alta Pindi
Culmina, & latas Heliconis oras.
Carmina jungens.
Lactè materno tenerum foventem
Numen, & fulmen rapidum morantem,
Blandam & iratum facili movere
Voce Tonantem.
Te Dei magnam canimus parentem;
Supplicum tu res hominum, & minorem
Temperas mundum, moderata nutu
Cuncta potenti.
Fortis immanem colubrum premendo
Frangere, & monstris inimica Virgo
Turpibus, caco metuenda Diti &
Manibus imis.
Nobilis serves utinam quietum
Austria regnum, trepidas & urbes;
Pontici Regis caput, & superbos
Contere fasces.
Impios Thraces, Arabesque telo
Confice, & mentis agita protervas:
Tu rates, toto profugamque ponto
Dujice classem.
Crescat obtentu velut arbor umbra
Et fides, & Relligio. minor qua
Sub pede incedit, preme pervicacis
Cornua Luna.

IN BLASPHEMVM VIRGINIS.

Impium ejus os execratur,

ODE XXX. *Epod 4 & 5.*

PRô dira magnæ Matris execratio.
Quid felle acerbas gutture
Scelefte? Quid furore vesano tumes?
Vt jacta fallit alea.
Nil te Virago præter omnes candida,
Materque magni Numinis
Movit? videsne ut increpet te liberè
Communis ira, & obstrepat?
Aures ut incitata detestatio
Repente perculit pias.
Quid ut trifauci latrat ore Cerberus,
Aut Scylla monstris infremit,
Inominatis vocibus Divam premis
Tumente bile acerbior?
Non hoc vetustis barbaris moris fuit
Rheam execrari maximam:
Piante lympha tinctus (heu negabitis
Thraces, & impii Getæ)
Dei parentem opprobriis lacessiit
Mortalis incestans polum.
O Roma vindex sceleris, ô rerum arbitri
Sacrarum, adeste, debitæ
Damnate flammæ, & fumidi rogi reum,
Vt Vaticanum fas jubet.
Atris perustus ignibus pareat liquens
Instar nigri bituminis.

At ô Parentis integra tutor tua,
Conviciis surdus siles?
Tonante quin tumultu, & igni concutis
Cœlum omne, miscens omnia?
Ah ah protervus appetit Matrem minis,
Gravique contumelia.
Devovit altum Numen imis inferis
Preces Thyestaas movens.
Egitque Diris, atque inexpiabili
Clamore Cœlum terruit.
Metuenda verba fudit ipsis Manibus
Abominatus horridis;
Vt intumescit ore lingua lurido?
Vt viperinis sibilis
Trisulca sævit? siste, siste pervicax
Movere magna Numina.
Vesane parce vocibus tandem sacris;
Furit ecce vindex Filius
Acuta tela tendere, atro ac turbine
Corripere spirantem faces.
O labe virgo haud inquinata principe,
Carens novercali nota,
O floris illibati, & integri virens,
Patriique pura criminis,
Cujusque venter labis immunis dedit
Clausus verecundum Deum,
Vt mira Virgo parturis puerpera,
Minorque Natura obstupet.
O nec novendialem in urna pulverem
Delapsa fati libera;
Impune ut ille nomen execrans tuum
Volitet? luat pœnas tibi:

Sic

Sic stringe mentem, solve sic dementiam,
Vltrix & ira saviat.
Quid proderit regnare stellantis poli?
Regnare terrarum, & salI?
Ludibrium si multa debes impio,
Si tarda fata concitas.
O maria, tellus, ardui ô sedes poli
Auditis incestos sonos
Contaminati spiritus? nondum patet
Acheron? nec illum fervido
Vibrans Averno flamma, prosiliens Stygi
Vivum, & videntem exorbuit?
Quin obligatus explet aeternam famem
Orco? quid ô Nemesis silet?
Nec totus aether ardet, & raucum intonans
De nube fulmen excutit?
Sed sera magnis fata pensantur malis,
Pœna ingravescit & die.



putabimus? desudare Musarum præsertim alumnos oportet in eorum laude, qui tantum sudoris vel in constituenda, vel in amplificanda tuendaq; Christiana Rep. fuderunt. enimvero ab integro puroque fonte pietatis manavit illorum sudor, cum orbem terrarum antiqui Tyranni teterrima dominatione liberare vellent, paucique imo soli tantæ rei molem aggrederentur. quantū illis Provinciæ omnes atque oræ salutem consecutæ debent? qui quoniam Religionis quam vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, utcumque mortui bene jacent, sanctissimis Manibus & ossibus suis vitam inspirantibus, & religionem tuentibus. ubi sunt superbæ Romæ delubra, fana, pulvinaria Deorum? ubi templum Capitolini Iovis atque Feretrii? ubi aræ, Flamines, Salii, Popæ, Camilli? ubi libamina, secespitæ, victimæ? ubi aruspices, augures, conjectores? omnia ista paucorum rudium hominum voce perculsa, prostrata, eversa sunt. His accedunt veritatis magistri, ac sapientiæ Duces. per eos Christiana Respublica tantum incrementi cepit; ab his Hæreticorum est audacia fracta, hi faces prope jam conjectas ad Religionis incendium protulerunt, extinxerunt; horum labore atque opera factum est, ut ex adversariis neminem timeremus.

Consenuit jam Novatus. Priscillam ipsa vetustas oppressit. Correcta Manetis insania est. Montani superbia dejecta. Arius adverso sibi Marte pugnavit. Abjecit hastam Nicolaus victus, profligatus, ac perditus. Pudet Porphyrium se illa purpura spoliatum auctoritatis habere nihil. Eutyches ab omnibus despectus atque contemptus malam, & afflictam sibi fuisse Fortunam queritur. Pythagoreus Basilides siletur. Faustum nemo putat appellandum. Importunum Pelagium quisque vitat. Eudoxius latet inglorius multa malè opinatus. Beryllum Arabem falsitatis coarguerunt periti. Gnosticorum vix superest nomen; ignobiles, abditi, terræ, ut ajunt, filii in obscuro sunt. Carprocates fructum cepit audaciæ spretus, atque rejectus. Donati Milites non tam Religioni, quam sibi fuerunt infesti, acti furore præcipiti, atque incensi libidine suæ cædis, se trucidarunt, imbuerunt arma suo potius cruore quam nostro, nec alios truculentiores habuere hostes quam se ipsos. putarunt non alia sibi stipendia, vel militaria dona deberi, quam carere vita. de Nestorii Scypho nemo jam bibit veneni pleno, cujus oratio nihil mellis, plurimum fellis habuerit. Menandri doctrina, non minus, quam Comici illius fabulæ, deridetur. Defecit Epiphanes, ac simulatus ille

ille ſplendor vitæ ſordibus obſolevit. Ophitæ virus impietatis evomere deſierunt. Purulentum Marcionis ulcus emarcuit, profuſa ſanies horrori eſt. Cerdonem aſpernantur omnes, ut ſordidum fucatæ orationis artificem, venali mendacio. Ebion inops ab auditoribus eſt, inops etiam conſilii putatur, ac mentis. Cerinthi voluptuarium illud Regnum Sapientia oppugnavit, pudor ac temperantia planè deſtruxit. Valentini commenta, numeri, ætates, Æones illæ triginta ne unum quidem ævum apud poſteros confecerunt. Eunomii lex contra Chriſti divinitatem lata, ut malè atq; impiè ſentientis, abrogata eſt, antiquata, deleta denique, ut ceteras peſtes omittam, Nyctages ille genio deditus, atque abdomini ſe in ſui nominis noctem abdidit, ſomnia ludibrio ſunt, tenebræ jam diſcuſſæ. quapropter, ut hi obruendi ſunt ipſo impietatis buſto, ita nefas eſt extingui memoriam eorum, qui tantum Chriſtianæ Reipublicæ luminis accenderunt.

AD CHRISTVM.

DE SS. APOSTOLIS, ET ECCLESIA.

Alludit ad Psalmum, Eructavit.

ODE I.

O Surge pulcher Numine patrio,
Clavumque Regni frenaque tempera;
Fatere Divum; sit labellis
Fusa Charis; roseis recumbat
Amorque malis. quin latus aureo
Mucrone obarmas? en age proprio
Decore pugna; regna formam,
Regna decent, dominique nutus.
Fides coronat, certaque Veritas;
Ac totus almo nectare diffluis
Mitis, sed armas ultor acer
Supplicii Nemesin ministram.
Suspendis albis ex humeris gravem
Auro pharetram, nobilis aureo
Arcu; sagittarumque acuta
Cor subeunt, neque fallit ictus.
Obliqua nullo virga reflectitur
Sceptrumque nisu; stat solium vetus,
Fulcis quod aeternis columnis,
Imperiumque adamante firmas.
Tu criminosae purior unicè
Fraudis, tiaram vertice regiam
Aptare dignus; teque olivo
Iure Parens tibi par inunxit.

Nunc

Nunc prome theca tegmen eburnea,
Quod virgo sanguis regius Indico
Discrevit auro, dædala artis
Purpureas animare formas.
Afflante odores cortice myrrheo,
Syrisque guttis, & casia bene
Olente; fragrantem Sabàis
Nunc opibus trabeam resumeo
Regina Divûm Relligio comes
It pone, pallam versicoloribus
Discreta segmentis, videri
Discolor, irradians & auro.
Iubenti acutas protinus erigit
Aures; potentum jura penatium
Oblita pergit, nec vocanti
Surda Deo, neque cruda amanti.
Illam pudicus tu face mutua
Torres, & auro tergemino tenes
Timente solvi; nulla vinclis
Expedient inimica damna.
Te dives ambit muneribus Tyros,
Aulaa donans, pictaque carbasa;
Fascesque summissi, Patresque
Purpurei Dominam verentur.
Intus Virago pulchrior aspici
Pudica mentem: sed tamen aureo
Trahis decorum syrma limbo
Artis opus, Phrygiaque textum,
Innupta pubes consequitur ferens
De flore sertum lætior; ardua
Delubra tendunt, & choréas
Orbibus implicuere festis.

At tu sodales, sceptrigerum genus,
Prolemque sacris tollis honoribus;
Magnos & insignis Quirites
Nominibus, titulisque Regum.
Hoc fonte fluxit Gloria nobilis
Diffusa fines orbis in ultimos;
Te novit Eos, perque solvit
Vota tibi reus Hesperugo.

IN SS. PETRVM ET PAVLLVM.

Invitat Musas ad eorum laudes canendas.

ODE II. *Hor.l.1.od.21.*

FEstum Pierides pellite barbiton,
Vrbis Romuleæ dicite Principem,
Et clamore tonanti
Fractum, atque edomitum ducem.
Vos septum impositam collibus arbitram
Sacrorum, & docilem Numinis, urbium
Reginamque minorum
Romam dicite Martiam.
Regem clavigerum tollite laudibus
Claudentem solidis Tænara vectibus,
Insignemque corusca
Paullum cuspide acinacis.
Hic consanguineo funere lividum
Martem, quaque madent arma cruoribus
Dacum vertet in hostem,
Insanumque Borysthenem.

Alter

Alter sidereum tangere vertice
Limen rite dabit, cui patet ardua
Divûm regia, quò nos
Grata motus aget prece.

IN SS. PETRVM. ET PAVLLVM de Ecclesia.

Alludit ad Navim Ezechielis.

ODE III.

ARgo remigio nobilis alite
Effœta silüæ filia pulchrior,
Æterna cyparisso,
Et cedro Libanitide
Obstipata latus; te decus instruit
Silvani veteris; frondibus horrida
Dat Basania quercus,
Et Sanir nemus ilices.
Tutatur benè te Persa sagittifer,
Lydorumque manus strenua, & aureas
Docti obtendere cetras
Afri, atque Aradius ferox
Pugna, cuncta tuens pervigil excubat.
Te Regina sali Carpathii Rhodos,
Phœbo clara nitenti
Reddet divitiis gravem.
Immortale vehis malobathrum Syri,
Et guttas Arabum, atque urbis Orontidis;
Seu myrrham lacrymantem,
Seu stillans opobalsamum.
Suffecit Garamas divite ab India
Transtris materiem, dentem & eburneum;

Et

Et pratoria puppi
Finxit nobilis Artifex.
Pinxerunt Pharia carbasa Virgines;
Byssus texta manu versicolor tibi;
Ardet purpura malo
Segmentis hyacinthinis.
Prudentes Tyrios nacta duces, mare
Findis velivolum remige Agenore,
Et Sidone magistra.
Naucleri quoque Gyblii,
Et gazis onerat barbarus institor,
Vt multa reparat merce vicaria
Stamen nobile Coum,
Et subtegmina Punica.
Ornat dives opum Gracia, & ingenI
Princeps, & veteri condita Iberia
Thobelo, atque Mosochi
Priscum Cappadoces genus;
Damascus Bromium sueta rependere,
Emirata manus Artificis stupet,
Spirantesque figuras,
Et Milesia vellera.
Fert aulaa tibi dadala Dedane;
Depingitque foros atque sedilia.
Toto lucida ponto
Portum sidera destinant.
Clavum tractat Amor, vertit Amor sciens
Tempestatum, & iter flectere doctior;
Cursus ille gubernat,
Et Cœlo regit auspice.
Conjurata fremant regna natantium;
Non frangit violens remigium Notus,

Non fœcunda procellis
Plejas, non Hyas addita.
Sunt qui sollicitis eripiant malis,
Vanis auspiciis Tyndaridæ haud juvant;
Alternant neque vitam,
Ambo sed simul enitent.
Tendam puppis iter navita credulus;
Securus pelagi, curaque non levis
Cœli; protinus æquor
Evadam male naufragum.
Insanos scopulos, cæcaque syrtium,
Et Phocas fugiens ocyor impias,
Vitabo insidiantum
Oras cautior Orcadum.

IN S. PETRVM.

Agit de potestate ei à Christo tradita.

ODE IV.

PRinceps Quirini claviger imperI,
Cui Rex Olympi detulit aureos
Tractare frænos, atque clavum,
Seu trepidas Acherontis Vmbras:
Nutu coerces, non adamantina
Fores resistant, non tibi Cerberus
Latrator obstet, sive mavis
Sidereos reserare postes.
Tu criminosis parcis amicior,
Et expiatis ignibus inferis
Benignus indulges, rependens
Purpureum domini cruorem.
Tu pervicaces fulmine luridum
Damnas ad Orcum, carmine devovens

Reos timendo, dedicatas
Manibus exuvias Avernis.
Serves amica sorte Vicarium,
Qui Vaticanis præsidet arcibus
Vrbanus, ac terris verendus
Iura polo stabilita dicit.

IN S. PAVLLVM.

Vt gladium in religionis hostes distringat.

ODE V.

NVnc est corusco, Paulle ferox, opus
Mucrone. sacris impius
Insultat hostis non movendis
Legibus, oppositusque Romæ.
Tu, tu Medusæ vertice saucio,
Turpem Chimæram strenuus edoma,
Rebellem & Hussitam coërce,
Et tumidum, nova monstra, Bezen.
Maneta, & ArI Niliaci genus
Fudisti, & atri somnia Nyctagis,
Et felle sævum viperino
Nestora, nec bene ominatum
Faustum, quid amens nunc mareotico
Calvinus errat? quid male sordidus
Luterus urbes labe turpat
Nominis, & movet usque Martem?
Te jam tremiscat magnaminimum ducem
Belli, nec ultra sæviat imminens
Impunè castis, Dite frustra
Per Latios equitante fines.

IN S. PAVLLVM.

De mira ejus ad Christum conversione.

ODE VI.

Vindex aviti juris acerbior,
Vetustioris dum sapientiæ
Custos inerras, te retrorsum
Stravit agens sonipes caducum,
Mentemque mutas; namque rubens Pater
Igni corusco cedere nescium
Afflavit altè, tela lucis
Purpureâ jaculatus æthra.
Hac te paventem perculit, & solo
Afflixit acrem, squamea lumina
Perstrictum, ab alto teque voce
Corripit increpitans tonante.
Quò pergis amens? siste ferociam,
Non hoc merentum tincte cruoribus,
Insaniendo mitte Patrum
Iura supervacuo tueri
Labore, & umbras, excute pectoris
Vim contumacem, mitte proterviam,
Durum est reluctando reniti,
Me stimulis agitante costas.
Quem, Saulle, telis insequeris ferox,
Spirans minarum? quidve inhias meo
Rursum cruori? tela nuper
Cæde satis rubuere nostra.
Converte gressum provide; tu Styga,
Tu regna vinces horrida Tænari,
Ditemque desertosque Manes
Concuties, resecans colubros

Mucrone densos Eumenidum coma,
Te magna poscit Religio ducem,
Te Roma noscet septicollis,
Roma truces acuens Nerones.
Sic corda Cœlo libera consilI
Vertit benignum Numen, amabili
Vtcumque decreto, beatis
Præstituit bonus auctor oris;
Amica nectens fœdere pectora,
Perjura solvens, ut libet. hunc Stygi,
Et lurido præcepit Orco,
Hunc Superis retulisse gaudet.

IN S. IOANNEM.

Alludit ad initium ejus historiæ.

ODE VII.

IMmortale tuens, principis alitis
Instar, lumen, agis te super æthera:
Te quacumque soli nobilis accola
Terris gesserit impiis
Divus, jussit Amor prodere posteris
Conantem calamo grandia, dum dies
Æternos repetentem Patris ubere,
Dum fœtum paris ingenI
Narras. ille sator providus arbitro
Nutu cuncta movet; nil sine Numine
Quicquid tergemino clauditur ambitu
Factum, vis regit illius.
Ipsi vita viget, vis genitabilis,
Lux mentis bona dux, exagitans graves
Vmbras, purpurei sideris inscias,
Et nocte, atque Erebo satas.

Tuque

Tuque ô magne præis Lucifer, invii
Vir cultor nemoris, (vera fides) Deum
Testatus radiis protinus omnia
Complentem. tamen heu lates
Sol invise nigris Cimmeriis. atrox
Orbis quinetiam se negat hospitem
Fabro, sed patrio Numine dedicas
Insignem sobolem, Pios.
Hos Natura minus parturit, at venit
Majore illa satu progenies, neque
Sanguis terrigenûm, sorte sed ardua
Patris grande genus Dei.
Humanas nè Deum ferre vices Amor,
Et sævam impulerit pauperiem, latens
Excepit rigida sub nive parvulum
Natalis pecori casa.
Sed mox Unigenæ Gloria verticem
Ingens sideribus sustulit altius;
Illum gratus Amor divite copia
Implet de patrio sinu;
Illum cana Fides, nudaque Veritas
Anteit, non dubio credula Pythio:
Nec me vana (nefas) fabula Numinis
Falsa ludit origine.
Hæc se ferre minor Delius abnegat,
Insuetamque timet tendere barbiton,
Argumenta Dei ne male deterat
Nequicquam ingenii potens.
Quis Verbum patriæ mentis imaginem,
Afflatumque Deum, vimque reciprocam,
Te præter, calamo scribat, amabili
Dilectum penitus Deo?

Clio quippe pudens, & Polyhymnia
Me divina vetant ludere, Cynthiis
Assueta choreas ducere saltibus
Lesboa tenues lyra.

IN S. LVCAM.

Quo die Neapoli studia revocari solita.

Eum sibi patronum adoptat.

ODE VIII.

PArens renata jam sapientia
Benignus adsis; jam satis otio
Donatum, & autumno rubenti
Ingeniis bene feriatis.
Nunc auspicato reddimus annua
Tributa docta Palladis, & citat
Süada delubro frequentem
Parthenopen, docilemque pubem.
Obliviosi nescia corripi
Pallas veterno te revocat prece,
Quandoque menti tu reluxti,
Advigilat, vegetumque robur
Virescit, & vis emicat ingenI,
Mens & decoris fingitur artibus,
Vnguique de molli laborat
Non humiles meditata curas.
Indicta narras ore alio. Parens
Intégra Numen parturit; hanc Vigor
Æternus afflat, jam tumentem
Fert uterum sine labe Virgo.
Obumbrat altè namque Amor alite
Penna; latébra dein lacrymabilis.

Laborat

Laborat infans inter Euros
Indocilis nivium, ac malorum.
Quin & Parentem ducere lineis
Sciens, & umbris, Parrhasio prior;
Nec artifex Cous figurat
Te melior, veteresque Graji.
Vt tota labris Gratia liquitur
Intaminatis? at pudor insidet
Genis, & ingens forma matrem
Visæ Deo similem referre?
Te tauriformem dicimus; ordiens
Quod sacra narres, dum facit hostia,
Et Flamen afflatus repente
Voce Dei taciturnus hæret.

IN S. MARCVM.

Vt præclaram Venetorũ gentem tueatur

ODE IX.

O Magne tutor nobilis imperI,
Et purpuræ ingens gloria liberæ,
Cui regna parent Adrianæ
Tethyos, & generosa Patris
Antenoris gens dedicat asperum
Sacrans leonem, nec facilem manu
Tangi, cruentum barbarorum
Sæpe nece, & bene Martialem.
Non sic refulgens Herculeus leo
Stellas adauget, cum tenet igneus
Sol hospitalem, & luce terras
Irradians micat æstuosa.
Non te secundo Marte lacessiit
Impune quondam Thessalus, aut Dryops,

Genusque Centauri, Scythesque,
Emathii, Illyricique, & acri
Regnata Marti Dacia; tu ferox
Leone terres protinus hostibus
Formidoloso, perque cædes
Expedies Venetûm phalanges.
Desponsa Nereo te colit auspicem
Urbs, & marito te sacrat annulo,
Sic fœderatis jura ponis
Fluctibus, & pelago liquenti.
Hoc illa victrix præsidio salum
Classis recurrit, pondere mercium
Onusta Neptunus quietum
Stravit iter, freta te domante.
Compone amoris fœdera, & integros
Lojolæ alumnos purpurei Patres
Poscant, refixa lege, dulcem
Et patriam faciles redonent.

IN S. MATTHÆUM.

Laudatur materies ejus historiæ.

ODE X.

Non fabulosæ Pergama Palladis
Antiqua narras, Argolica manu
Addicta flammis, non Ulyssis
Duplicis ingenium dolosum,
Iramque nullo Marte domabilem
Peliæ, ut acrem viribus Hectora
Stravit trahendo, aut vulneratam
Deiphiles Diomede Cyprin:
Divina nostro Numina temperas
Vultu, docendo ferque hominem Deum,

Nil tu licet mortale narres
Historiis, calamoque signes,
Seu ducis alta stirpe propaginem
Divi, & vetustam gentis originem,
Magnos & heroas recenses,
Per memores revolute fastos:
Seu stella reges Memnonidas ciet
Amica Divi nuncia parvuli;
Myrrhamque & auri vim redonant,
Atque Arabos adolent vapores;
Seu turpe damnant Isacida reum,
Savique mactant; jam chalybem novant,
Dextraque figunt, jam probrosis
Vocibus exagitant cruentum.

IN S. IACOBUM.

Ejus festi diei lætitiam ostendit.

ODE XI.

INgens Iberi gloria nominis;
Iacobe, Cœlum lætitia fremit,
Siphone quando glandem aheno,
Et rapidum ejaculatur ignem
Montis cacumen, proximus imminet
Qui magnus Urbi, flammivoma micant
Arces supernè, fabulosa
Et Megara tonuere turres.
Eubœa Siren Hesperiæ patri
Gratata magno lætior exilit,
Refertque te cum fratre dictum
Fulgure progenitum tonante.
Visus protervum plus vice simplici
Urgere Maurum, castraque barbara

Insignis armis, atque frenis,
Tyndaridum potiore cura.
Olim Syrorum finibus inviis
Subis, refringens Hermogenem Mago
Plutone bacchantem, atque Cælo
Carmine Thessalico potentem
Deduxe Phœben; invida sæviit
Alecto; at urna nunc tegit aurea
Iberus artus, & celébrat
Sæpe reus tua templa voti.
Dilecte Divo, seu comes ardua
Tendis beatus culmina, lucido
Regnata Phœbo; sive tristis
Gethsemano recubas cruento.

IN S. IACOBVM alterum, Similis Christo describitur.

ODE XII.

O Magne Trasul, quem Solyme sibi
Primis decorum destinat infulis,
Cui fas inacessum cubile,
Et taciti penetrale templi
Subire casto; candide carbaso,
Linoque pectus, prime merum, ut facis,
Cruore mutas ritè dio,
Membra tegens Cereris sub umbra.
Majore Flamen nobilis hostia
Litas, nec agnæ, more patrum irrito,
Cervice tingis tu secures,
Vota ferens dape non cruenta.
Germane haberis Numinis, & potens
Mirè sagacem fallere militem,

Dis-

Discrimen obscurum, haud retonsis
Crinibus, & propiore vultu;
Sic ora pulcher, sic similis Deo
Gratus videri; devoveant neci,
Ni proditor Numen dolosus
Ore notet male fraudulento.

IN S. PHILIPPVM.

De Kal. Maji floralibus.

ODE XIII.

CVi Flora veris dedicat aurei
Flavos honores? hanc sibi pustulat
Philippus Hyblam, dedicatæ
Huic roseæ redolent Kalendæ.
Afflatus alto tu simul æthere,
Rhiphæa tendis culmina; Sarmatam
Et pervicacem lege frenas,
Quique bibunt Tanaim nivalem,
Coluntvè latè Thermodoontica
Rura, & repostos Cappadocum sinus
Pervadis, & Bebrycis oras,
Pergama semirutaque Trojæ.
Hæc finis ævi, metaque plurimi
Laboris; altæ scilicet arboris
Damnatus, infractusque duro es
Tempora comminuente saxo.
Nunc flore frontem pingimus annuo;
Sit cura magni Principis, Hespero
Qui jura regnato dat ingens
Nominis auspicio Philippus.

IN S. BARTHOLOMÆVM.

Stygius ipse hostis fit ejus præco.

ODE. XIV. *l. 3. od. 3.*

FRustra cruentum purpurea cute
Crudele nudant, tensaque viscera
Ferro recludunt, vulneratis
Tergora diripiuntque costis;
Sic myrrha odoro cortice liquitur,
Libroque sudant balsama sectili;
Sic vellere aureo pulcher ardet
Astra tenens Aries corusca.
Thorace Virtus illum adamantino
Munit, ferocem nunc mage Tanari
Vexare turmas expeditis
Artibus, & leviore Marte:
Solvente tandem longa silentia
Plutone ad aras: Thure quid irrito
Placatis aversum? atque inani
Multa pii trepidatis arte?
Iam nec per aras victima concidet
Votiva ferro; divite nec Paro
Delubra surgent; vi refringet
Nostra recens simulacra Flamen,
Impune victor; patria Numina,
Ritusque gentis tollere petinax,
Nigroque conjuratus Orco,
Præsidioque ferox Olympi.
Hæc signa sunto: lumina lucidum
Mentita sidus; cæsarie nitet
Crispante crines; barba mento
Hispida, sed facie verendus,

Ma-

Majorque mortali; albaque carbasus
Cingit potentem carmine perbrevi
Deduxe Cœlo Numen alto,
Integere ac tenui figura.
Hic bella Diti concitat, impiger
Et fana, & aras vertere funditus,
Ædesque succensas Deorum,
Exuviis Erebi renidens.
Hunc, ite, letho perdite, barbaro
Mactate ferro; non tamen ardui
Quodcumque molitur, premetis,
Quamque parat, referet ruinam.

IN. S. ANDREAM.

De liquore qui exſudat ex ejus lipſanis.

ODE XV.

HEros virenti robore nobilis
(Bene ominatis Græcia vocibus
Te quando sic denominavit
Damna per asperiora fortem)
Mirata Pallas te simul innuba
Victrice pendentem ex olea ducem
Acri triumphato tyranno,
Fronde comas propria revinxit.
Vicina Pæsto te colit inclyta
Vrbs imbuentem nectare roscido
Vrnamque & artus irrigantem
Et vitreo cineres liquore:
Ceu ductor olim maximus Isacum
De rupe fontes elicuit leves,
Cum saxa sudarunt olivo;
Rettulit & potiora mella

Gens chara Cœlo; quippe per horridi
Deserta Silvani & nemorum invia
Sub nocte flagrantem columnam
Nacta ducem, sociamque nubem.

IN SS. SIMONEM, ET IVDAM.

Persas adeunt, præstigiatores superant.

ODE XVI.

Gemelle Cœli splendor, amabiles
Ambo, decori vulnere nobili
Ambo, pacisci pro Parentis
Iure necem sine fraude fortes.
Fines adegit visere Persicos
Amor, bisulca splenduit ut face
Vertex coruscus, perque pectus
Flamma potens iit æstuosum.
Non saga Persis carmine Thessalo,
Contaminatis obstet & artibus
Circenque nequicquam fatigat,
Atque Hecates ululantis Vmbras;
Quamquam colubris horrida sontibus
Hydrosque, & acrem dipsada concitat,
Nodosque solvens viperinos
Eumenidum intrepidis inanè
Objectat; omnis protinus impetus
Resedit ultro; fœdera sic ferit,
Nec Persa curat ritè Solem,
Et veterem coluisse Vestam.

ET

erant.

IN S. THOMAM.
De tactu vulnerum Christi.

ODE XVII. *l. I od. 27.*

T*Andem proteruo proposito ferox*
Pugnare mittas; consilii tenax
Edurioris, neu resistas
Mente Deo male peruicaci.
Cessat voluntas credula? ni manus,
Pedesque tractes, & latus; ah miser
Quanto laboras mentis astu,
Ambiguo vel amore peccas.
Depone curas, inque latus manus
Immitte hiulcum, dignus amabile
Tentasse cor, certusque plagæ
Insinua digitos cruentæ.
Amas acutæ tu quoque cuspidis,
Vicesque ferri sumere? dic age,
Quo pectus effossum fatiscit
Vulnere? quo patuere telo
Præcordia? vndam quæ dederunt leuem
Cruore mistam; qui potuit Deus
Mucrone tangi? quisue dextram
Fixit, agens chalybemque pressit?
Sic te ille dictis exacuit pius:
Iam tende Parthos, regnaque Medica
Potite voto, meque Mortis
Dic memorem, atque Erebi triumphe.
Te Bactrianæ, te Garamantides
Poscunt & oræ; Hircania montibus
Te belluosa, Indusque legum
Indocilis, tacitaque Sinæ:

Aurora

IN

Aurora frustra Memnonidæ nitet
Caliginoso; digere Lucifer
Eous umbras, ac Deorum
Fana rue, immeritas & aras.

IN S. MATHIAM.

Iudæ, cui successit, proditionem exagitat.

ODE XVIII *l.2.od.13.*

Ille inquinatam sponte animam Stygi
Devovit alta perfidus arbore,
Qui amore libans fraudulento
Oscula, consilii ac dolosus
Auro repensum credidit hostibus
Deum parentem; visceribus solum
Respersit, effusis & extis,
Turpe fluens sanie cruenta.
Concepit audax sacrilegum scelus
Movens, novarum callidus artium,
Venale parvo nundinatus,
Ah, domini caput immerentis.
Quid quisque in horas instituat, nefas
Est scire; magni Numinis assecla,
Potensque Naturæ minoris,
Insolitis operosus ausis
Damnatus Orci claustra Proserpinæ
Tenet profundæ, regnaque tristia,
Sedesque discretas reorum,
Eumenidum metuens colubros.
Latrator illum Cerberus attonat
Formidolosus: Tisiphone ignea,

Vm-

Vmbraque mirantur nocentes
Tænariæ socium latebræ,
Olim potentem tristibus incolis
Mortale corpus solvere liberum,
Et hospitem Plutona motu,
Et profugos agitare Manes.
Ergo nocentis damna pecuniæ
Vltro remittens protinus horrui,
Nec sæva lucratus movebo
Fata cadens subita ruina;
Amicorum lubrica cum fides
Perjura fallat, cum scelus impium
Tentavit olim barbarorum
Signifer, ambitiosus auri.
Sed mitte Clio territa næniam,
Certaque lectum sorte vicarium
Cantemus, integrante censu
Sidera qui duodena complet.

IN S. IOANNEM CHRYSOST.

Ejus Eloquentia commendatur.

ODE XIX.

HEros Süadæ nobilis artifex,
Quo corda vertas cumque potentior,
Mentesque tractans Bosporanas
Arbitrio facilis loquelæ;
Lepore vincis Dulichium ducem,
Magnique TullI vim penetrabilem
Vincis disertus, fana latè
Eloquio quatiens tonante.

Vibrata linguæ fulmina dirigis,
Dum pervicaces increpitas minax,
Frangisque mentes; & profundo
Ore tuens imitaris Istrum.
Seu qualis auro plurima volvitur
Tagi unda dives, Lydius aut fluit
Amnis, vel ardentes Iberus
Margine devoluens arenas.
Qui flexuosæ Palladis ambitus?
Quas dædaléas pingis imagines
Aptè figurans? suave mitis
Unus eras, & acerbus idem.
Regina testis Colchide dirior
Eudoxia, urgens exilio licet
Frustra, veneno & viperino
Sæva tumens, tibi triste pœnas
Dabit; protervam jam Nemesis ferox
Urget flagello, atque inferias refert
Cadenti, inauratum refringi
Quippe jubes sine honore signum.

IN S. GREGORIUM NAZIAN.

Ejus Sapientia in omni genere laudatur.

ODE XX.

Princeps virorum Mercurialium,
Grajæque amicus Calliope, tuis
Plectris canoris atque nervis
Attica personuere tempe;
Non si quid olim carmine nobilis
Flevit Sophócles, flevit & Æschylus

Ingens

Ingens cothurno quondam, opaca
Nocte tua latitant Camœna:
Maiore narras ore tragœdiam,
Deum cruentum dum pius exhibes,
Trabe & laborantem probrosa
Dicis agens per acuta ferri.
Te docta Pallas sustulit altius
Mentem resorbens, tu sapientiam
Insanientum fortis urges
Consilis melioris auctor.
Natum paterna ducis origine
Divum, biformi nec vice ditum,
Insectile, æquatumque Numen
Iure satum generantis uno.

IN S. ATHANASIUM.

De devictis religionis adversariis.

ODE XXI.

NOn sic propinquo patrius alveo
Nilus redundat, cultaque temperat
Fæcundus auctu, cum rubente
Fervet hians Procyon sub axe;
Vt fusa late fontibus integris
Manavit alta vis Sapientiæ;
Te vita Alexandréa civem est
Nacta ducem, & Mareotis ora.
Tu frangis Arî strenuus impetus
Non auspicatos, ludere doctior
Fraudesque, Circæas & artes,
Et chalybem capitis dolosum.
Ergo paterno te tumulo specus
Tutatur Heros? pulvere sed lates

D d   Non

Non indecoro; fama vivet
Sollicito cineri superstes.
Nec clara Virtus condere sordidas
Obliviones te sinit; horrido
Quamvis sepulcro mens refulsit
Palladiis operosa curis.

IN S. BASILIVM.

Stygis hosti fœderatum eripit.

ODE XXII

O Magne Grajum doctor, & Attico
Lepore alumnæ Palladis affluens,
Quem vidit olim Cæsarêa
Pontificum trabea decorum.
Ceu fervet undis plurimus Adria
Implens ter amplum gurgite Nerea,
Sic plena manavit diserto
Copia non humili suada.
Quondam columnæ te jubar igneæ
Claravit, umbras dum petis, æthera
Lambente flamma; cessit ultro
Luce nova minor Hesperugo.
Cæcum juventa, & Cypridis ignibus
Tu sponte pacta de Styge devocas,
Orcoque projectum trifauci
Eripis; ille notis cruentis
Dum Regi Averno devovet impium
Caput protervus, tu bonus irritas
Ferale fœdus; sæva deles
Iura potens, inhibesque Ditem.
Quin & Tyrannus scribere pertinax
Immane decretum exilii stupet

Rigente

Rigente dextra, terque arundo
Abnegat, attonitumque ludit.

IN S. HIERONYMVM.

Ejus doctrina, & fidei defensio laudatur.

ODE XXIII.

O Mente doctor nobilis ardua,
Ne semper urge te querimoniis,
Ne tunde saxo pervicaci
Pectora, cor gemitu fatigans
Suspirioso: desine tristium,
Mentemque curis asperioribus
Resolve tandem, criminosa
Labe, gravique nota carentem.
Te certa virtus, te Pietas tegit
Tutans: in hostem Religio citat,
In hostem, ut armat docta Pallas
Ægide, non positura ahenum
Thoraca. ne tu pectus, at improbos
Infringe, & Ari concute pertinax
Robur: prementi cedet auctor
Consilii minus auspicati.
Spectate terris ingenii potens
Sublimis, ut tu condita Numinis
Altè resignas, complicatos
Dissolvens sine fraude nodos;
Oracla vatum digeris impiis
Invisa Delphis. te vigor igneus
Agit; nec ambages profundæ,
Et taciti latuere sensus;
Dum tu Syrorum non rudis eloqui
Sermone, magna mente recolligis

Artes sinu condens capaci
Non vacuus Solyma viator.

IN S. AMBROSIVM.

Omen infanti fit eloquentiæ.

ODE XXIV.

R*Egina vatum dic Polyhymnia,*
Minora mittens, Ambrosium, decus
Insubre; & insignem suada
Pindarico modulare plectro.
Infantis ut me ludit amabilis
Imago? molli jam tueor toro,
Et dulce cunis vagientem
Næniola revocante somnum.
Illum volucres collis Hymettii
Plaudente circum murmure gestiunt
Ambire turmatim. decori
Arte nova pueri labellis
Sedere; miris obstupuit modis
Quicumque Laudam, cumque Novaria
Colit Cremonam, quà frementis
Eridani premit unda ripas;
Vt tutus ictu spicula temneret,
Apis nec acri læderet osculo,
Et alveo fragrantis Hyblæ
Ambrosius redoleret infans:
Olim sed idem fortis acumine,
Arl sodales urgeat impios,
Seu cæde inhumanum cruenta
Ædibus abjiciat Tyrannum;
Vim temperavit nectare melleo
Severus auctor; scimus ut obstruens

De-

Delubra, ferratosque postes
Clauserit, ex adytis repellens
Impune Regem. scilicet igneo
Devovit Orco, & Manibus inferis,
Caputque damnavit caducum
Fulmine corripiens tonante.
Nec dives auri purpura, frons neque
Vittata movit immiserabilis.
Spectavit armatos maniplos
Luminibus gravis irretortis.

IN S. AVGVSTINVM.

Vt ad veram religionem tuendam se convertat.

ODE XXV.

AVguste, magni quem vigor ingeni
Rapit, protervam mitte ferociam;
Te flens redonat mater Vrbis,
Obsequio, Latioque Patri.
Dolore acerbas heu nimium; gemens
Te mater urget, nec tibi lacryma
Restinguit insanos amores;
Parce piam violare longo
Immanè luctu. te sat amabilem
Ploravit impubem, & juvenilibus
Ausis procacem. nunc quid ultra
Vsque premens miseram fatigas,
Crudus Parenti? desine turpium
Tandem laborum; tu potius nova
Trophaea Cælo confer, hostis
Edomiti fugitive castris.

Dementis hostis perfuga nobilis
Fer signa contra, sanior arduæ
Iam mentis, & cæcum furorem
Consilio potiore muta:
Sic te per altas Relligio feret
Nubes, corusci fulminis in modum,
Martemque in adversum resorbens,
Annibali similemque Pœno.
Thorace Pallas munit aheneo,
Ducemque magnæ militiæ creat.
Nunc obligatum redde votum,
Castus Amor Cypriis ab undis
Educit, acrem teque agit impios
Virtus in hostes vivida, nobiles
Palmasque decernens, & auro
Deproperans merito coronas.
Manes relictus spicula militis
Adversa mœret. victorio, canit
Quirinus, armis te premente
Ditis opes, Erebique turmas.
Maneta versis insequeris ferox
Impunè telis. milite commovet
Minore Martem, perque campos
Exiguis equitat maniplis.

IN S. GREGORIVM MAGNVM.

Supremum hierarchiæ honorem fugit.

ODE XXVI.

PRinceps sacrorum magne, domabili
Qui jura Diti ponis, & impium

Nutu coërces, atque multo
Vecte domans Acheronta claudis;
Idemque fortis Tanara fallere,
Trajanum ut Orco non revocabilem
Mirè resolvas, perque flammas
Expedias, per Averna & alta.
Frustra latebram quaris inhospitam,
Et lustra Silvani tacitus subis,
Nec pulchra Virtus sic inerti
Semisepulta situ jacebit
Oblivioso tecta silentio.
Te flamma sero Vespere pulchrior
Producet, ignotumque caco
Irradians revocabit antro,
Amans coruscum tollere verticem,
Et Vaticanis sistere sedibus
Caput coronatum tiara
Tergeminum Latii Parentem.
Romana pubes immiserabilis
Periret omnis tabida, ni preces,
Et vota fundas, ni litando
Voce cias Superos recensens.
Sic pestilentem corrigis aëra,
Sic cuncta morbi vis cecidit diu
Formidolosi; ales nec ultra
Vibrat agens chalybem cruentum.
Canora guttur te Polyhymnia
Noscit Parentem, carmine consono
Odéa mulcere, & scientem
Verba notis animare certis.

IN S. LEONEM.

De Attila ab eo inhibito.

ODE XXVII.

Pradis cruentis Italia gravis,
Arcemque Martis vertere pertinax,
Devotus instat dum ruina
Attila, quem Nemesis flagellum
Denominarunt; attonitus stetit
Pavente gressu, mentis & impetus
Resedit omnis, contumaces
Ac subito posuere fluctus
Superbientis: namque Leo virum
Stravit ferocem, frangere barbarum
Potens, & ausus pervicacem
Corripere eloquio tonante.
Pater Quirinus limina Tanari
Hac voce terrens demovet, hac polum.
Quandoque nutu vult potenti,
Cardine sidereo recludit.
Eheu quid amens liquerat integrum
Tyrannus? aut cui mite pepercerat
Formidolosus? vel sceleslas
Vnde manus sine cade pressit?
Vnus furorem comminuit Leo,
Visique fortes Tyndarida latus
Stipare inauratis decori
Torquibus, & jugulum petentes
Immanè Regis. fulgurat aneus
Mucro lacessens, ni revocet gradum
Vltro, nec urbem Martialem
Sollicitet, Latiasque Matres:

Sic

Sic Cerva vidit sub Nemeæ jugis
Pavens Leonem, viscera livido
Morsu fatigantem, ac tenacem,
Ora fame stimulante, prædæ.
Tuere custos magne Quiritium
Vrbemque, fractamque Hesperiam metu;
Retunde ferrum jam novatum
Saxonis, indomitique Daci.
Te Gotthus audax, te profugus timet
Prædator Vrbis; te furor impius,
Iraque Regum barbarorum, &
Purpureæ metuunt secures.

IN S. HILARIVM.

Arii perfidiam domat.

ODE XXVIII.

TE lata fastu Relligio sacrat
Intaminatæ dux sapientiæ,
Gentisque Aquitanæ propago
Nobilis, & pietate major.
Te turpis ArI grex timet, integrum
Veri docendo; te pede libero,
Et quisque inoffenso sequetur
Ingenii monumenta volvens.
Non dura quondam Gallia distulit
Flecti, Quirini fœdere ut obligas
Incontumacem; fonte puro
Rhenus iit, Rhodanusque velox.
Extorris agros, & Phrygiæ sinus
Tendis, Pelasgi regnaque Nerei,
Cirnæa quà mordet refusum
Saxa fretum, Liguresque lambit.

Nec virus atrum, vipereum & malum,
Siticulosæ damnaque dipsados
Times, colubros & nocentum
Crinibus Eumenidum resectos.
Idemque jussis eripere efficax
Infantem Averno, quem minus integer
Fons expiarat, donec artus
Labe, notaque luas paterna.

IN S. BERNANDVM.

Suavitas dicendi, itemque vis commendatur.

ODE XXIX.

BErnarde gentis dulce decus tuæ,
Cui cedit uni gratia Nestoris,
Quem melle quondam pavit Hyblæ, &
Nectare Cecropio Minerva.
Stillante Nardo roscida diffluunt
Labella, multo quæ Charis illinit
Favo redundans; sæpe mentes
Eloquio tenuit Süada;
Seu tollis alte corda sodalium
Cisterciorum, seu face pronuba
Desponsa commitis jugali
Fœdere, connubiique castos
Refers amores, dulciaque oscula
Libata sancto ritè Cupidine,
Mammasque fragrantes amomo, &
Fasciculo redolente myrrha:
Sed fortis idem sub juga cogere
Pubem rebellem motibus impiis
Et subdere ultro dedicatum
Arbitrium domino Quirino.

IN S. BONAVENTVRAM.

Doctrinam cum pietate conjunxit.

ODE XXX.

HEtrusca gentis gloria, te suum
Alumna Pallas, te repetit suum
Decora Virtus, atque mentis
Integritas sine fraude simplex.
Vix inquinatus principe diceris
Limo, noverca labe vel illitus;
Vix flamma natalis resorbet
Innocuum, Cypriaque purum,
Devote pectus nobilioribus
Flammis amando, te petit, ac tua
Dum tela depromit pharetra
Sanctus Amor, jaculatus icit.
Tu quondam ab ara fortis amabile
Detraxe Numen corde pio rapax:
Miratus hæsit Flamen orbem
Iam vacua Cereris minorem.
Tu cum profunda mente per arduos
Tendis meatus, abdita proferens
Rerum, fatigatum Cleanten,
Panthoiden Samiumque vincis.

IN S. THOMAM AQVIN.

Præstans ejus sapientia commendatur.

ODE XXXI.

INgens propago stirpis Aquiniæ;
Divinioris dum Sapientiæ
Consultus exerces ter amplis
Consiliis animum capacem,

Tibi corusco fulsit Apolline
Imago veri; teque per ardua
Vis insolens egit volûcrem,
Mente novas agitante curas.
Qua vis ter amplum Nerea clauserit?
Vt bruta tellus pondere stet suo,
Bissena quo Phœbus meatu
Hospes eat per amica signa?
Vt noctis ignes attenuet die
Illustris Eos? fœdere quo Pater,
Certis & astrorum fluentis
Temperet, ac liget ima summis?
Quis frena mundi laxet, & arceat,
Fors namque casus nullius arbitra,
Nec jura ponit; nos neque urget
Indomitum sine lege fatum.
Trium quis ordo, Numinis unius?
Seu Natus æqua mentis imagine
Deum Parentum dicat, almum
Seu pariter foveant Amorem.
Nec te loquacem vana tenet fides
Grajûm; sed arces arduus igneas
Pervadis, audacis Promethei
Auspicio potiore, Thoma.
Non te paventem sustulerunt Noti,
Lapsu sereno nubila dividis,
Agisque per purum citatas
Ingenii rapientis alas.
Decora virtus induit aureo
Phœbo coruscum; pectoris igneo
Thorace munitus renides,
Ceu clypeo prohibente vulnus.

Ergo Novati spicula perfidi
Nil jam timebit Relligio, neque
Insaniam Manetis, acres
Atque acies Acherontis imi.

IN S. THOMAM AQUIN.

Ejus singularis castimonia laudatur.

ODE XXII. *l.4.od.4.*

INtaminati gratia pectoris
Munita adauget vim sapientiæ,
Utcumque defecit pudicæ
Mentis amor, fugit ipsa Pallas
Ignara tangi, non acuens levem
Hastam procacis cotibus ingenI;
Fœdatque natales honores
Dedecorum socius Cupido.
Damnosa quem non corripuit Venus?
Dulcem juventam protinus insito
Fervore tentâns; mox Enyo
Sæva faces quatiens Averno
Æternat. ô lux casta docentium,
Solique compar, nil sine te mei
Possunt labores, ni latentum
Expedias per acuta rerum.
Errare quondam nescius, & doli
Immunis, alta mente sequax, tua
In verba juro, Martiali
Te sacrat Vranie Lycéo.

IN S. THOMAM AQVIN.

Vt patriæ Neapolis patrocinium suscipiat.

ODE XXXIII. *l. 4. od. 2.*

Dive cœlestum decus æmulate,
Integer casti, Paphiæque purus,
IngenI penna leviore in astra
Niteris alte;
Gnosidis donande nitente serto,
Dum per æternos agitaris orbes,
Seclaque immetata Dei revolvis
Limite nullo;
Mira sublimem levat aura mentem,
Te supra magnum quoties Olympum
Tollis, ô Thoma, partlique narras
Numine simplex
Numen afflatum; vigor ille cordis,
Dulce spiramentum utriusque, & idem
Diditus nunquam Deus, aut iniquo
Fœdere sectus.
Te nihil majus tulit alma Pallas,
Nilque donavit melius Lycæo,
Nec dabit, quamvis redeant Athenæ,
Grajaque pubes.
Te canam casta fidicen Camœna
Flebili raptum (puerum) Parenti
Nescium flecti, lacrymasque & iram
Vincere fortem.
Sole vibrato tibi pectus ardet,
Solis absistunt radii; renidet
Pulchrior multo tibi Sol, pudici
Pectoris hospes.

Iam

Iam puer purum referens Eoum
Auream fundis sine nube lucem;
Quà tegit te lana, niger videri,
Cetera Phœbus.

IN S. THOMAM AQVIN.

Pro pudore acriter pugnat.

ODE XXXIV.

FRustra Diones artibus, ac dolis
Instructa pellex turpe movet nefas,
Nutuque cervicem procaci
Flectit agens, inhians amando;
Demens, nec unquam speret Aquinium
Labris prementem mollius oscula
Imbuta succo viperino;
Mors soluët citiu pudicum,
Quam maceratum pectus ab ignibus
Fœdet Cupido, quod bene candidum,
Nec labe turpatum pudenda
Hospes Amor sibi dedicavit:
Non ille motu lumina lubrico,
Arsitve malas turpibus illitas
Succis, veneno lambere atro
Mella puer medicata, fugit.
Non tanget illum tæda Cupidinis
Nocente flamma: te potius ferox
Tæda lacessit, te, proterva,
Ecce furit pepulisse torre
Pudoris ultor. jam puer Herculem
Refert, ut excetram domat ignibus,
Et Perséa acrem vincere olim
Mulciberis gladio Medusam;

Sic fulgurando nubila diffidit
Pleias, refractis sic tonat Alpibus
Fulmen trisulcum, quod ministrat
Vnguibus imperiosus ales.
Vel qualis ensem protulit aureum,
Strinxitque Orion horridus igneo
Mucrone, talis sævit acri
Torre puer, rapidaque flamma.

IN S. THOMAM AQVIN.

Puellam ejus pudori insidiantem exagitat.

ODE XXXV. *Epod.* 1.

*Q*Vo quò, proterva tendis? aut quid integro
Thomæ reposcis improba?
An ut pudicum pectus igni adureres
Accessi, & arte falleres?
At non secundum vota tu Cupidinis
Tædam admovebis impotens;
Quin ille contra te acrior vertet facem
Paratus ulcisci nefas.
Qualem leonem sicca nutrit Africa
Tigris remordentem feras.
Tu cum flagrante torre, tædaque ignea
Inhorruisti territa,
Cave, cave, namque hostis ille acerbior
Tota fatigabit domo.
Fugis? pudorne turpis inficit genas,
An pallido albicant metu?
Sic est, inobsoleta semper enatat
Hagnea vita sordibus.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER X.

De SS. nonnullis aliis Viris, ac SS. Angelis.

Προαύλιον.



Vnc ad reliqua lumina,& ornamenta Reipublicæ Christianæ progrediar: neq; enim fas eſt Muſas Mnemoſynes hoc eſt memoriæ filias eorũ obliviſci, qui religione ac pietate nobis præierunt, apud Homerum præcones Agamemnonis, cum ad tentorium Achillis adventaſſent, illũ non arma tractantem, non pugnam meditantem, ſed illuſtrium heroum præclara facinora canentem invenerunt cum cithara cui manubrium ex argento erat, quamque ex

ex dirutæ, captæque urbis ſpoliis ſibi uſurparat,

τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν,

in quo neſcias utrum admirere magis, quòd Achilles ex urbis exuviis non aurum, non militarem chlamydem, non tela, non arma, ſed citharam ſibi ad uſum canendi ſelegerit; an quod is, quem iracundum, quem impotentem ſui Homerus idem vocat, ea caneret, quæ virtutum incitamenta eſſent, reſq; non à ſe, ſed ab aliis præclare geſtas aptaret ad numeros; atq; hæc olim à veteribus ad inflammandos animos narrabantur, ſi qui fœliciter atque acriter cum hoſte dimicaſſent, aut honeſte pro patria fortiterque cecidiſſent: quamquam igitur mole obruor, aggrediar ad eorum laudationem, quorum imitatio ſopitam virtutem poſſit accendere. Hos conſociabunt beatæ illæ mentes ab omni corporis concretione ſecretæ, in primis vero ejus agminis Ducem fortiſſimum, ac noſtræ ſalutis curatores, cuſtodeſque canere par eſt. neque vero malum Poëtam ſanctiſſimi Cœlites ac vere pii aſpernabuntur, quando legimus Metellum illum Pium Poëtis etiam ineruditis aures ſuas dediſſe, qui res à ſe ipſo geſtas utcumque canerent.

Ac

Ac primum quidem lyræ noſtræ cantum ſuo ſibi jure vendicat ſanctiſſimus fidicen, idemque vates, ac Palæſtinæ Rex. Inſigni fuit ille pietate ſive plectrum tractaret, ſive ſceptrum. atque haud ſcio utrum majorem gloriam ſit adeptus funda, an cithara. illa gigantem impulit, hac Ditem expulit. agebatur Tyrannus invidiæ intemperiis ad cædem, citharam hic temperabat ad cantum. ille ferrum tractabat, hic ebur. ille lanceam dirigebat ad pectus, hic vocem inflectebat ad aures. acuto ille telo erat armatus, hic vocem acuebat ad fides. videlicet vitabat vulnus chordarum ictu. ut retardaret impetum furentis, ſono teſtudinis utebatur. ne ille jugulum telo peteret, ipſe citharæ jugum tenebat. Putat Iſidorus citharam Græce ſignificare pectus, & ita dictam, quod ad formam pectoris facta ſit. atque ut eſt in Hippiatricis αἵτε κιθάραι παρ' ἑκάτερα τοῦ νώτου. Superiores ſunt thoracis partes uſque ad jugulum. citharam igitur vates in loco movebat, qua pectus à vulnere cuſtodiret. Et nunc canendo ſonum continuo ſpiritu trahebat in longum, ut tumentem Regis ſpiritum ſtatim cohiberet. nunc variabat inflexo, ut mentem à furore deflecteret; diſtinguebat concíſo, ne caderet; infuſcabat nec opinato

to, ne eum malevolentia infuſcaret, copulabat intorto, ut amicitiam copularet. promittebat revocato, ut eum à furore, ac ſcelere revocaret. plenus erat ſonus, ut eſſet animus ira vacuus. gravis, ut à ſe tantam molem mali depelleret. ſummus, ut invidia depreſſum attolleret. vibrans, ne lanceam in ſe ille vibraret. quid multa? ille ipſe communis hoſtis, qui impii cor obſederat, interim placabatur, arma deponebat, abjiciebat haſtam non arcu militari, ſed lyrico victus. Quid cum idem Vates ſuum illud crimen deplorabat? Natabat in ſuis lacrymis fidicen ſuaviſſimus tanquam inter undas Arion ille, ac citharam ita tractabat, ut liquida voce canens colliqueſceret etiam fletu. Mirum eſt, quod de Orphei lyra fingit ſuo more Lucianus. eam poſt Orphei necem in pontum abjectam una cum capite ita denataſſe, ut non alio tactu quam afflantium ventorum chordaſque impellentium, lugubrem quendam ſonum ederet, & quaſi næniam decantaret, qua & Orphei cædem lamentari videbatur, & crudelitatem carpere Thraciarum mulierum, à quibus ille fuerat interſectus. videre igitur eſt Vatis ſanctiſſimi citharam in ejus lacrymis denatantem, ac deplorantem audire non ipſius, ſed ab ipſo factam

inno-

innocentiſſimi ducis cædem mulieris cauſa. quam piè, quam ſuaviter vel inter amariſſimas undas lacrymarum lyra ipſa, ſeu cithara perſonat, non tam pulſu digitorum, quam ſpiritus afflatuſque divini? ſed interim noſtram quoque, & ſi longe imparem tangere liceat. expreſſimus in primo libro monodiam, qua ille necem Saulis, ac Ionathæ deploravit, nunc ad reliqua pergamus.



IN DAVIDEM VATEM.

Dum canit, crimen recantat.

ODE I. *Hor. l. 4. od. 9.*

Vicere Grajos quæ fidicen Deo
Quondam nepoti pauperis hospiti
Bethles canoro gutture aptas
Verba novis socianda chordis.
Non te priores Vraniæ Linus
Partes tenebit, non citharæ sciens
Vocalis Orpheus, matre quamvis
Calliope docilis magistra:
Poëta lusit Teïus improbos
Ignes; pudicam Musa tibi lyram
Commisit, aut Numen canenti,
Aut facinus graviter querenti;
Flagravit atrox ut cor adultera,
Pestemque venis ebibit igneis;
Sic pastor arsit; diruitque
Pergama sic Helene Lacæna.
Audax Cupido spicula plumbea
Direxit arcu, vulnere perculit
Heroa, divinumque vatem,
Pectus agens meliore quondam
Æstu citatum; scilicet impudens
Præfers honesto Cyprin; ut ignea
Chimæra mentem non pudicam
Impediit, rapuitque flamma.
Nec juvit olim sternere livido
Cyclopa saxo, nec revolubilem
Iactasse fundam; teque ovantem,
Totque tuos temerat labores

Dolo

Dolo cruento sæva Venus, Parens
Trahentis ad se corda Cupidinis:
Excepit ictus insuetum
Pectus, Acidalios & ignes.
Iam sat querelis & lacrymis datum,
Oblivioso deterere otio
Fas crimen ingens; fas canoram
Barbiton associasse voci.

IN DAVIDEM CVM GIGANTE congredientem.

ODE II. *l.3.od.2.*

INsuetus acrem militiam puer
Tentas, periclis asperioribus
Robur giganteum lacessens,
Cum Solymes trepidaret agmen;
Devote morti Martis in alea,
Virtutis uno præsidio ferox
Monstrum refringis, perque fundæ
Sternis agens balearis ictum.
Damnabis Vmbris, aut pretium est tibi
Satis decoro vulnere inemori
Pro jure avito; congredi ultro
Non sine Cœlo animosus audes.
Nec fidis armis; non adamantinum
Thoraca textu nectis aheneo:
Sat fortis imbellis juventæ
Poplitibus, teretique saxo.
Desponsa Regis te simul aspicit
Æquæva virgo; præmia militis
Victoris, ardet vel dolore,
Vel metuens ab amore dulci

Testatur. ultro, sponse, quid agminum
Rudis lacessis horribilem nimis
Cyclopa visu? quo cruento
Ense puer periture pergis?
Ah parce formæ, parce virentibus
Acerbus annis, immeritus mori;
Ne perde florem mollis ævi,
Purpureum decus ac genarum.
Voce ut tonanti territat agmina,
Fidens lacertis horridus, & gravi
Hasta? ut minaci lumina ille
Torva supercilio retorquet?
Nescis quid hujus dextra tricorporis
Possit premendo Geryonis; Mimas
Hic quantus insurgat, statuque
Porphyrion tumidus minaci.
Ah consilI expers, danda volucribus
Præda, & molossis; cum validus gigas
Prostravit altè pervicacem
Fulmineo metuendus ense.
Testes meorum fusa tot agmina
Nuper timorum. sat miserabili
Iam cæde desolavit agros,
Sat Solyme rubuit cruore.
Oppressa monstro tota perhorruit,
Mæretque cives Patria luridum
Missos ad Orcum, quos vel ore
Perculit horridior caducos.
Sed vera Virtus, Numine certior
Tuente, nil non audet, & impio
Dum credit hosti, non alumnum
Deseruit fugitiva campo.

IN S. IO. BAPTISTAM.

Puer specu se condit.

ODE III *l.1.od 5.*

O Vis dura retinet te puer in specu
Nudum delitiis? quid latitans jaces
Caeco ignote sub antro;
Cur damnas patrios lares,
Maternosque sinus? heu quoties aqua
Caelestis patiens, & nivis horridae
Maerebis nemus asprum
Paenarum puer insolens.
Qui nunc matris amor? qui dolor? aureo
Qua te posse frui credula filio
Sperabat gravis aevo
Alti nescia consilI.
Ah nunc illa quibus flebilis aestuat
Curis? dum sobolem quaerit amabilem
Te per lustra ferarum,
Iordanemque volubilem.
Hic tu namque Deum flumine liquido
Persundes renuens: jam per inania
Sese candida librat
Ales remigio levi.

IN S. IO. BAPTISTAM.

Vt pudorem tueatur fugit in specum.

ODE IV.

EXul beatus per nemus invium,
In lustra rupis tendit inhospita
Puer verecundum pudorem
Labe levi metuens notare.

Hic irrepertus caute ſub aſpera
Procumbit; ultro cæca cubilia
Silvani, inacceſſumque dumis,
Atque feris colet acer antrum.
Cautus pudoris damna perhorrui,
Et parva prudens crimina pallui;
Cœtuſque vulgi ſponte ſugi
Ocyor, & ſubii latebras.
Hæc jura belli: Cypridis ut fugax
De more Parthi, & ſic generoſior
Laboret in ſpelæa, & antra
Sollicito trepidare greſſu.
Quiſquis ſagittas Idalias timet,
Et Ditis artes fallere callidi,
Curabit extricare fruſtra
Colla plagis, ope ni juvetur
Superne, fœdum conſilium pio
Mutante Divo: luditur improba
Veſania dulcis juventas
Ebria purpureo lyæo.
Pudor veneno neſcius infici,
Vitaque purus ſplendet amabili
Decore pulcher, nec reciſo
Flore viget, potiturque vere;
Vdamque terram ſprevit, & altius
Se mente Cœlo ſuſtulit; integrum
Diviſque miſcet, pectore albo
Purpureos imitante Cycnos
Tenax ſeveræ mentis, & horridæ,
Nil molle tractat, difficilis manens,
Et ſurdior Sirenas audit,
Cautibus Icariis, canoras.

Pudor vagando lumina lubrica
Nunquam resignat, nec male despicit;
Plerumque & excantata turpi
Carmine virginitas perivit.
Olim pudenda qui semel inquinat
Se labe, nunquam sordidus enatat
Cœno, reponi nec laborat,
Turpibus & male fixus hæret.
Culpari honestas quam minimum timet,
Vagari inaudax; irreparabilis
Iactura libati pudoris;
Nec facies medicata candet,
Nigrique turpes Æthiopis genæ.
Venale probrum scilicet emeris
Multo, sed ultrix impudicum
Pœna premit, sequiturque flagro.
Mens dissidebit torva Cupidini,
Procul nocenti facta periculo,
In cæca ne Cypris resorbens
Saxa ferat, juvenumque syrtes.

IN S. IO. BAPTISTAM.

Vitæ ejus asperitas indicatur.

ODE V. *l.1.od.17.*

NAtale tectum colle sub edito,
Laresque avitos quid, puer, horrida
Tellure permutas, & antro?
Nec glaciem, & rigidas pruinas
Vitas? tyrannum non hiemis tibi
Defendis Eurum? non rabiem Noti?
Vngues nec insani Leonis,
Aut tacitos nemoris colubros?

Minus Luporum te revocat fames?
Sævaque Tigres, & male discolor
Pardus? vel Vrsi pervicaces
Sanguineam tenuisse prædam?
Sed te merentem sat pietas tua
Tuetur ultro, non laniant feræ
Incontinentes, nec recidunt
Vnguibus immeritum perire.
Vtcunque reddit vocis imaginem
Specus, protervos dum premis acrior,
Ripæque Iordanis resultant,
Et silüæ resonant cubantes.
Hic hospitali sæpe sub ilice
Minister ales consociare amat
Iacentem; alumnoque hic beatum
Nectar Amor puero propinat.

IN S. IO. BAPTISTAM.

Cæditur, quòd incestum increpet regẽ.

ODE VI. *l.3.od.6.*

TOros nefastos, & male nubiles
Culpans amores immeritus cades;
Nodos jugales morte solves,
Et reprimes sine luce tædas.
Quid jura Divûm candida fœdere
Sancis cruento? quid reparas tuo
Casu pudorem? jam Dione
Impatiens tibi fata nectit.
Quod vincla damnas turpia, vinciet
Ferrum; quod acris tela Cupidinis
Retundis, ah telo peribis:
Principium tibi luctuosæ

Cadis

Cadis, cruentos huc refer exitus,
Turpes Tyranni fregit ut impetus
Pudica vox, non auspicatos
Corripiens thalami calores.
At ille acerbo vulnere victimam
Devovit aris, collaque discidit
Immane ferro, connubIque
Sanguineum male fœdus icit.
Fœcunda culpa femina regium
Torum inquinavit, juraque pronuba,
Facesque fœdans nuptiales,
Et socios temerans amores.
Hoc fonte cædes fluxit, & integri
Atrox libido sanguinis, hinc mali
Profusa labes, atque adacta
Purpureo capiti secures.
Iam jam volumen versat Ionicum
Puella regnorum arbitra, & imperI,
Cui finxit artus atque motus
Arte Cupidinea Dione.
Infame corpus docta volubiles
Ciere in orbes, & Salium in modum
Pulsare tellurem choreis,
Et faciles glomerare gressus.
Alterna librans crura vago pede,
Et molle jactans cerea brachia.
Iugis ut Eurota Diana,
Aut thyasis salit acta Mænas
Citata Baccho, quam Semeleius
Adurget amentem error, ut orgia
Per lustra Silvani celebrat
Turba Mimallonidum sororum.

Sic non pudica Matris ad ubera
Nutrita pellex sub penetralibus
Nothis, & incestos amores,
Et nocuas meditatur artes.
Sontes creantur sontibus, & malis
Est in colubris virus, & anguium
Lues Parentum; sævientem
Sic generat catulum leæna.
Inter dapales Regis adulteri
Cœnas, & udi pocula Liberi,
Scenam Thyestæam reposcit,
Atque epulas Lapitharum acerbas.
Recisa ferro colla petit nova
Colchis, scelesto munus adultero
Audax, ut impermissa quærat
Gaudia liberior potiri.
I, dura Vati funera candido
Molire demens, collaque demete
Eburna, cervicesque matri
Sanguineas calatho redona.
Non ira vindex Numinis impiam
Impune cædem deseret, aspero
Mucrone collum mox recident
Naiades, glacieque acuta
Stringent: choreas duc pede libero,
Artusque in orbem digere mobiles;
Resorbet amnis, deperisque
Heu rapidis data præda monstris.

IN SS. PVEROS INNOCENTES.

Indigna eorum cædes deſcribitur.

ODE VII. *l.4.od.6.*

Dive, cui Bethle ſobolem cruentam
Debet, & gnatos gremio tenaci
Dedicat raptos, tua dum repoſcit
Funera lictor,
Arma per, ſævum & fugitive ferrum,
Filius quamvis, decus ac paternæ
Mentis, & Cœlum quatiens tremendo
Fulminis igni.
Cernis? immiti velut ungue ſectus
Floſculus, languet puer immerenti
Procidens letho, poſuitque molle in
Pulvere collum.
Ille regnator Solymes, ſuperbis
Faſcibus, ſceptro & metuens, ſub ulnis
Lacte materno male feriatos
Occupat atrox.
Flebili Bethle gravis, heu nefas, heu
Neſcios fari pueros retortis
Perdidit telis etiam latentes
Pectore matrum.
Matris intactæ ſoboles, & ingens
Patris exemplar, puer, ô tuere
Quos neci pro te pietas, Amorque
Devovet auctor.
Quid procul tutela fugis tuorum
Mempheos fines properans? Tyranni

Vim preme, & ferrum cohibe, graveſque
Cuſpidis ictus:
Ritè victorem puerum canemus,
Ritè te Bethle colet inſolentis
Vindicem cadis, celeremque durum
Pellere fatum.
Fallor? an dicet pia mater, ævo
Aureo primas referente palmas,
Edidi natos dociles recentem
Fundere vitam?

IN S. IOSEPHVM.

Fictis Iovis nutriciis præponitur.

ODE VIII

Magni Parentis Muſa Vicarium,
Deique alumnum dic age, quem Patrem
Denominarunt. ille cuſtos
Labe procul datus, & pudicæ
Tutela Divæ; ſeu ſobolem cava,
Sub rupe Bethles edat, amabilem
Divum lacerna vilè tingens,
Et ſtipula leviore condens.
Non Dactylorum cura procacium
Tutatur illum, ceu pavidum Iovem
Morſu Parentis, nec per auras
Siſtra gemunt agitata dextra.
Seu poſt cruentas vulnere barbaro
Cunas, acervos atque cadentium,
Poſt tela deteſtata quondam
Matribus, in Pharias recedat
Occultus oras, regnaque Mempheos,
Quà Nilus agros temperat alveo;

Plu-

Plutona confregit caducum
Ore puer, fragilesque Manes
Invisus Orco reddidit; impium
Stravitque Anubin, stravit Osiridem;
Apisque mugitum per aras
Edidit exululante fano.

IN S. IOSEPHVM.

Ejus privilegia commendantur.

ODE IX. *l.3 od.13.*

CVstos ô teneri provide Numinis,
Dulcem suete Deum nectere brachiis,
Et blandite labellis
Puris oscula lambere.
Te flagrans Paphii tæda Cupidinis
Nescit tangere; te pignus amabile, &
Patris magna propago
Agnoscit similem Patri:
Hæserunt Superi scilicet, oscula
Te libante Dei purpurei genis;
Te custode tuente
Desponsam bene Virginem.

IN S. STEPHANVM.

Indignè lapidibus appetitur.

ODE X. *l 3.od.4.*

SVccurre ab alto Numine dextero,
O magne Divûm rector, & asperis
In rebus, infractumque saxis
Dulce caput bonus ô tuere.
Vides? refringit tempora durius
Pubes reductis horrida brachiis,

Tendensque præruptis acervis
Immeritam violasse frontem.
Sed quid juventus livida sæviat,
Contraque possit? constitit ocyus
Parente Divo natus, ore
Purpureo, placidoque vultu,
Vt juvit altè tendere dexteram,
Non verberatum grandine deserit
Immanè saxorum, & beatum
Monstrat iter bipatentis aulæ
Cælum recludens: sponte volentibus
Invitat astris, magnus Athos licet,
Ingensque collabatur Atlas,
Dulce lapis feriet caducum.
Est magna merces. longius igneas
Inspexit arces, & sibi debitam
Præcepit astrorum coronam,
Vrania caput implicante.

IN S. STEPHANVM.

Cœlum ei panditur, & Christum affatur.

ODE XI. *l. 3. od. 27.*

VOce quid Cælum, prece quid fatigas
Impios solvens scelere? apprecanti
Ardui postes patuere, & alti
Limen Olympi.
I novum felix iter, ô cruenti
Agminis princeps, validaque pubis,
Teque cælestum facilis choréa
Stipet ovantem.
Invidet frustra tibi, & ira inani
In necem jurat Solyme, malignas

Obstruens aures, agitansque duram in
Tempora cautem.
Tu simul centum foribus reclusum
Prospicis Cœlum; Pater ô tuorum
Ne precor, dixti, preme crimen ultor,
Siste minari.
Antequam stantem Solymen profundo
Hostium vertat furor imminentum,
Ne memor cadis repetas, quid atrox
Peccet Idume.
Sic fatus magno veniens Parente
Objicis ferro latus, & recurvis
Horridus dumis cadis, & retorto
Verbere sectus.
Hostium fines tuba Martialis
Terreat, gentisque magis Quirinæ
Sentiant motus populantis aras,
Templaque flamma.
Occupo pœnas rapere, & lacesso
Damna; me cautes, & acuta letho
Saxa diffringant; juvat hæc pro amico
Iure pacisci.
Vnde? quis tantus nitor obtuenti
Splendet, & fulgor? sator ecce Divûm,
Te sator cerno, neque vana fallit
Lumina imago.
Fidus ô testis, decus ô mearum
Dulce pœnarum, melius ne figi
Pendulum cedro fuit, annè dura
Caute refringi?
Mî licet missi lapides premendo
Occupent malas, utinam cor imum

 Hasta

Hasta discludat, laceretque ferrum
Nobile dextram.
Quid moror cædem meliore voto
Arbori tecum bene fixus? adstas
Dextera magni Genitoris, adstas
Filius hæres
IngenI, nec stirpe minor propago.
Ille, sat pœnis datum, ait, meorum:
Prime bellantum, cape serta fronti
Debita victor.
Carpit hinc lectos tibi amica flores
Veris æterni, atque opifex coronam
Texit hinc Gnosis; tua namque ducit
Nomina serto.

IN S. LAVRENTIVM.

Flamma illustratus canitur, non consumptus.

ODE XII.

VIrente lauro dignus Appolline
Major, corusco pulchrior Hespero,
Quis te laborantem sub Ætna,
Extrahat interiore flamma,
Laurenti, anhelo subjiciens opem,
Vndamque fundens? heu latus acrior
Vulcanus hausit, perque molles
Involitans furit ignis artus.
Infracta virtus damna per, & rogum,
Sævasque pœnas clarior evenit,
Aurum recoctum ceu camino
Fert decus, & pretium est probari.
Sed te per acres expediet faces
Ales nitenti purpureus gena.

Mul-

Mulcere verbis doctus, ac vim
Mulciberis bene temperare.
Nam cur Tyranno carpere das latus?
Sævam nec horres ingluviem feri?
Quid astra jam dudum moraris
Digne poli meliore flamma?
Te, te coruscum laurus Apollinem
Novit. virenti Mulciber arbori
Parcet; nec arescet caduca
Illa comas posita fronde.
Oblivioso pectore fervidas
Remitte curas; fontibus uvidis
Solatus æstum, quos minister
Membra rigans tibi fundit ales
Tutor piorum. laurea vinciat
Victrix ovanti tempora; frondibus
Et sparget æternis odorem
Romulidum potior triumphis.

IN S. BLASIVM.

Cum Neapolis laboraret Paristhmiis.

ODE XIII. *l.3.od.4.*

C*Ampana Siren ut grave palleat*
Vides, nec acrem ferre luem queant
Fauces laborantes, maloque
Tabifico tumeant rubentes.
Dissolve morbum; nam tibi talium
Vis est, & olim suete benignius
Acuminato vepre fixum
Damna per expediisse guttur.
Te sub cavata conveniunt specu
Ægraque Cerva vulnere, & horrida

Tigres, & Uri convolutis
Cornibus, & rigidæ Leænæ
Cinxere; mirum quod foret accolis,
Quicumque Silvani tacitas domos,
Et montis Argæi recessus,
Armeniamque tenent Sebasten,
Ut belluarum tutus ab impetu,
Sævis & Ursis Pæonia manu
Acuta sanares malorum
Auspicio potiore Phœbi.
Laboriosum guttur, & asperas
Utcumque fauces, Dive, tueberis;
Impunè non dispnœa perdet
Difficilis, tumidæve glandes.
Adsis, & acri lenè periculo
Sirena serves; te puerum cadens
Examen ambit, teque matres
Crinibus ingeminant solutis.
Eheu protervi quam miseret mali,
Luctusque? quid non flevimus improbi
Morum? valentem quem reliquit
Dira lues? & iniqua Clotho
Quibus pepercit? quemlibet impotens
Tentare, & artus inficere efficax
Contaminata labe, in altum
Exanimes cumulans acervos.
Superstes unus vix puer impia
Contage restat; mater ut oscula
Libavit, amplexuque pressit,
Traxit utramque simul ruinam
Amor dolosus: ebibit, ebibit
Utrumque virus protinus, & luem,

Delibe-

Deliberata morte Natum
Ausa sequi propiore fato.
Insigne tantis præsidium malis,
Vrbique mœstæ labere candidus;
Decurre Cœlo, jure partes
Nam tibi dat scelus expiandi
Pater benigni providus auxilI;.
Sat criminosi funera vidimus,
Domosque desolavit altè,
Et miseras viduavit urbes
Bacchata latè pestis, & incubans
Immanè terris. me quoque gutturis
Tentavit immites per æstus
Fervor, & horribili tumore
Pressit paventem; jamque salubribus
Mutare quæro perdita; dum mihi
Adsis relaxatis medendo
Faucibus, & solitas revinctas.
Tu me per Isthmon gutturis expedis
Angustum amicus, nec sinis anxium
Cervice luctari, phaselum
Syrtis agit velut æstuosa.
Tu me tueris, nec metuam luem
Suspectam & anginam, atque paristhmia,
Sævasque tonsillas, & arcto
Limite sollicitam synanchen.
Quid triste fauces obstruat, unicè
Securus, & quæ vis reprimat dapes
Inobsequentes, ore vetans
Pocula liberiore duci.

IN S. IGNATIVM Martyrem.

Ejus generositas leonibus superior ostenditur.

ODE XIV.

IGnati alumnæ pignus Iberiæ,
Quem Roma fortem vidit, & igneum
Inter frementum belluarum
Ora, fame stimulante anhela:
Invicte pœnis; Romuleæ movent
Non te secures fascibus aspera,
Non sævus ignis, non Avernus
Ipse ruens Acheronte toto.
Vrbis theatro vis generosior
Prolusit; artus dum male differunt,
Carpunt & insani Leones
Quos Libye sitiente terra,
Cœlantve saltus Armeniæ horridi,
Et quæ ferarum monstra minacium
Hircana tellus belluosis
Parturit insidiata lustris,
Eduxit acres acer Amor feras,
Prædamque fecit, causa & Amor stetit,
Crudele cur lethum subires
Strenuus, imprimeretque morsus
Leo cruentus, nec necis insolens,
Agente flamma; scilicet hac Amor
Tentavit ardens pectus; hic te
Fervor in indomitos leones
Misit volentem: sed melioribus
Acerba quondam vertet, ut æthere
Alto reponens dissipatos
Dente fero recreabit artus.

IN

IN S. IGNATIVM Martyrem.

Alludit ad illud, Quis me ſeparabit.

ODE XV.

QVem tu compedis aureæ
Nodis, acer Amor, vinxeris arctius.
Nulla diſſociabilis
Vi, ſe pollicitus perpetuum, Deo
Divelletur amabili;
Vſque hærebit amans ambitioſior,
Charo Numine diſtrahi
Ignarus; chalybem, ac tela nitentia
Acri lumine vividus
Cernet, nullus erit, quem fugiat gradum
Mortis, ſeu capitis minor
Duris ſubjiciat colla ſecuribus
Sive artus lacer unguibus
Hamatis, pluvio ſanguine diffluat;
Flammas in medias ruet,
Ætnamque impoſitam perferet, armaque
Temnet, telaque Norica
Fortis; quippe tegit vis adamantina
Pectus cedere neſcium,
In cædem celerem proripies, Amor,
Virgas, juraque faſcium
Ludentem; ſubeat damna bipennium
Largus magnæ animæ, ac ferox
Cordis, notus amans rebus in arduis:
Cautes haud ſecus aſpera
Fractis obſtiterit fluctibus Adriæ.
Non ulla querimonia
Divellent vacuum divite copia;

Nudam pauperiem haud crepat,
Nunc culpante siti munera Liberi,
Parcam nunc Cererem fame:
Illi non Tyriæ lumina purpuræ
Pulchra præniteant fide,
Non quicquid tenuit dives Achæmenes:
Vinclo quem tenet aureo
Voti fidus Amor, solvere nescius
Non si terrigenum genus
Invictum redeat, si validus Mimàs,
Et vis firma tricorporis
Quondam Geryonis, certet amantium
Certis viribus, & cadet
Ingens Porphyrion vertere pertinax.
Quin vis magna potentium
Cælestum, haud quatiet mente volubili;
Non alti arduus ætheris
Vertex, non Thetidis cæca profunditas.
Non hunc vita superstitem,
Suprema Lachesis non solüet die;
Non volventia sæcula
Quæ sint, quæ fuerint, quæ trahat Atropos
Mox ventura nepotibus.
Illum dente lupæ pone sub aspero,
Getulæque sub unguibus
Vrsæ, non Libyes attonitum feræ
Pacta demoveant fide,
Horrentes Silüæ non Erymanthidos
Apri, vel Nemee horrida
Nutrix, & rapidis fœta leonibus;
Frangi se sinet, ingenI
Infractus, solidi roboris integer,

Tan-

Tantis stabit atrox malis.
Ignati lacerans viscera deripit
Devotus leo sanguini,
Nec distractus amans abstrahitur Deo;
Cunctantem quoque belluam
Ausus non humili voce lacessere;
Pavit Marmarica fera
Membris purpureis ingluviem, & sui
Malas horribiles dape,
Ipsa victor amans morte ferocior.

IN S. MARTINUM.

Ejus beneficentia in egenos laudatur.

ODE XVI.

Non Pallas armis, non Polyhymnia
Insignis arte, & carminibus, tuas,
Martine, laudes Martiales
Per memores Helicone fastos
Æquabit. ô vis Martia militis
Illustris olim luce sub aerea,
Virtute major. te ferocem
Per medias timuere cædes
Scythæque, & acri Medus acinace,
Dacusque Parthusque indomitum genus;
Et laurea Pallas revinxit
Tempora, gramineove serto.
Dejecit acres agminis impetus
Spectata virtus plus vice simplici
Deprœliando; nec secundis
Auspiciis male tuta juvit
Fortuna cæcis lubrica motibus,
Sed certa Virtus, visque adamantina

Heroa

Heroa fortem temperavit,
Haud timidè subitura fatum.
Mœrens egestas non aliter fame
Domabilis, te sollicita prece
Ambit benignum ferre dextram,
Et chlamydem secuisse pictam
Ferro corusco: sic Acherontium
Regnum fatigas; sic Capitolio,
Et arce suspendis beata,
Exuvias generosus Orci.
Martine Thracas nunc age barbaros
Vrgere fas, & pellere sedibus
Mauros rebelles, exulesque
Projicere in Libyes arenas.
Tutela præsens, & decus imperI
Fer signa castris: te tremat impius
Sicamber aris, Saxonum te
Ora regi indocilis Quirino.

IN S. PAVLLVM primum Eremit.

Specum adit, ut contemplationi vacet.

ODE XVII.

PRinceps latebræ cultor inhospitæ
Profunda vestigas nemora, & specus,
Et septicornis lustra Nili,
Antraque Thebaidos reposta,
Quà palma nutrix brachia porrigit,
Vmbræque præbens hospitium, eripit
Cancro calenti, quaque pellit
Lympha sitim, trepidatque labi.
Virente ramo, & frondibus hispidos
Involvis artus; tegmine & hoc tegi

Ante-

Antonium juvit, togato
Romulidum potiore textu.
Ipse ut Bootæ sidera videras
Reptare terris, tardius & polum
Ambire gyro, vota supplex
Ingeminans Superos ciebas;
Certas in horas carmina digerens,
Deo potitus scilicet intimè
In pectus illapso, atque sensus
Purpurea subeunte flamma.
Ni clarus ortu Sol caput efferat
Haud, Paulle, amorum desinis, ac precum;
Obliviosus seu soporis
Seu dapis exiguæ, minister
Quem corvus olim dictus Apollinis
Deferre suetus; continuit famem,
Dapemque rostro immittit ales
Providus in tacitum cubile.
Nec insepultus præda jaces feris;
Fodere (mirum) protinus unguibus
Humum leones, & laborant
Pulvere compositum supremo
Texisse glebæ: te sociæ specu
Flevere Lucæ, te rigidæ Tigres,
Ursique, Pardi ac discolores
Ingemuere ululante silva.

IN S. VINCENTIUM.

Ignem vincit, mortuus servatur à feris.

ODE XVIII.

Bene ominato nomine nobilis
Heros, Ibera digne propagine,

Gentis Valentinæ superbum,
Victorio, domitans Tyrannum.
Nequicquam acutis subjicit ignibus
Dapes cruentas, aggerat & rogum,
Cratesque substernens ahenas
Versat agens, laterique sævit.
Frustra cruentum barbarus objicit
Feris, & uncis alitibus; fames
Nil belluarum sævit uni,
Parcior abstinuitque prædæ.
Phœbæus ales terruit unguibus
Custos, fugaces increpitans feras,
Nec sivit impermissa carptim
Membra rapi, vetuitque tangi.

IN S. SEBASTIANVM.

Fortis & in castris, & in pœnis apparet.

ODE XIX.

ILlustris heros, non semel acrius
Versate ludo Martis in arduo,
Mucrone formidatus olim,
Et spoliis humeros onustus.
Spectandus inter fulmina militum
Decorus armis quam celer impetu
Percelleres vim barbarorum
Cæde metens, gladio & fatigans.
Qualis coruscum tendit ab æthere
Mucronem Orion; scilicet horridos
Nimbos, & immanem procellam,
Et rapidos minitatur imbres:
Doctum per auras tela Cydonio
Contendere arcu, figere & obvios

Hostes

Hostes premendo te Scytharum
Agmina, te stupuere Parthi.
Nequicquam ahena restitit agide,
Ferrique lamnis non penetrabile
Pectus; per obstantem subivit
Interior chalybem sagitta.
Eheu quis altè nunc jaculo ferit
Te Martialem? qua male depluit
Ahena tempestas penetrans
Dulce cor, impavidumque pectus?
Ni te impiorum vis male barbara
Defixet; arcus vulnere nobili,
Magnique Amoris te teneri
Diceret aucupio Thalia.

IN S. ANTONIVM.

Erebi monstra in specu deludit.

ODE XX. *l.1.od.15.*

SYlvarum latebras, & specus invium,
Antoni, peteres cum puer insolens,
Silvanus nemorum claustra virentium
Reclusit pius hospiti.
Tum sic ore refert: Quò properas puer?
Quem monstris revocant Tanara turpibus,
Conjurata tui vertere consilI
Mentem, & propositum recens.
Eheu quanta tonat concita turbido
Tempestas Acheronte? heu tibi Cerberus
Oblatrans inhiat; jam Furia irruunt,
Et cacas agitant faces.
Non Plutona times agmina militum
Cogentem exitio, cade rubentium?

Orci

Orci (prô pietas) immeritus puer
Pasces ingluviem, & famem.
Audin per silüas exululantium
Vmbrarum strepitus? hinc Erymanthius
Eluctatur aper, vel Nemeos Leo,
Illinc Armeniæ Tigres;
Aut dorso coluber squameus emicat;
Ah ne redde tuo dipsadas ebrias
Tabo. Lerna tibi funditur anguium
Nutrix uda palustrium.
At tu Cælicolum præsidio ferox
Nequicquam exitii monstra minacia
Ludes, flebilium castraque Manium,
Alcmenæ sobole acrior.
Spelunca statues exuvias Stygis;
Iamque augusta diem proferet accolis:
Silvæ Relligio; post hyemes breves
Condes tecta frequentibus.

IN S. ANTONIVM.

Multa in specu generose suffert.

ODE XXI.

IN olens cæcas nemorum latebras
Tendis, Antoni, puer expeditis
Vrbium curis, & inhospitali
Conderis antro.
Certus invisos agitare Manes;
Castra nec terrent, Erebique vulgus;
Turpe ridebis specie minaces,
Turpe fugaces.
At ferus contra movet arma Pluto,
Mille jam turmas ciet, & cohortes,

Vota dum fundis pius, atque monstris
Vrget inermem.
Te petet latis aper æsculetis,
Centiceps Lernæ petet hydra, quemque
Nutriit quondam Nemee Leonem
Horrida, finget;
Vret & solis iubar æstuosi
Accolam terra domibus negata;
Vret & brumæ glacies, Iouisque;
Aura nocentis:
Sed gradum mortis generosa nullum
Horruit Virtus; vigil & clienti
Damna defendit, neque frustra opaco
Credidit antro.

IN S. NICOLAVM EPISC.

Auri prodigus est in vita, nectaris in morte.

ODE XXII.

SIticulosi gaudet Iapygis
Liauore tellus, regnaque Daunia.
O magne factis, Diue, fama
Nobilis ô Lyciæ Sacerdos.
Te pauper ambit munere prodigum,
Quandoque plenis filia nubilis
Annis reformidat procorum
Vim, temere in Venerem ruentum.
Succurre damno, ne male proruat
Pudorem egestas, præda Cupidinis
Iniuriosi; forma neu sit
Dedecori, opprobrioque famæ
Venalis auro, materie mali;

Dotale munus ferre velox,
Præsidium trepido pudori,
Largus bonorum. Sic tibi roscidos
Perfundit artus nectare, & imbuit
Virtus, & ad plenum perennes
Fontis opes, scatebraque manant.
Mirata gens est torrida Sirio,
Nec hospitalis Naïadum choris,
Decurrere arentes per artus,
Perque levem cinerem liquores.
Nec fabulosa Pegasus ungula
Effodit ales Bellerophontius
Vndas, nec Heros pertinacem
Isacides silicem refregit.

IN S. IANVARIVM.

Se Patronum Neap. Civ. prodigiis declarat.

ODE XXIII.

CVstos, Quirini Castore certior,
Sirenis almæ, si quis amor, piis
Accurre votis, & labori
Sollicito, solitus tueri.
Testis meorum Parthenope pavens
Votorum; acerbum seu metuat Scythen,
Thracumque classem Bosphoranam,
Seu cineres regerat bivertex
Vesevus. ingens contremuit jugum
Patente Averno; fulminaque ignea,
Globique saxorum per auras
Insolitis tonuere nimbis.
Sed pervicacem protinus edomas
Cyclopa. sensit fræna licentia

In-

Injecta Vulcanus, nec ultra
Parthenopen violavit igni.
Quandoque (mirum) spumeus æstuat
Cratere sanguis, temperat ignibus;
Flammæque devotæ ruinis
Hesperiæ subito recedunt.
Sensitque Siren munera, vividi
Et vim cruoris; liquitur ut rubens,
Et vertice adverso tepentes
Purpureæ micuere guttæ;
Ceu Sole acuto diffluit alstis
Labor Sicanæ; ceu Notus Alpibus
Nivesque diffinxit, geluque
Tabidus, & solvit pruinas.
O solve curas, & nimium gravem
Metum, tumultus & male concitos
Compone, clademque imminentem
Verticibus bonus auctor arce.
Tu magne custos in trepidis doces
Sperare rebus; dum violentior
Pars, vulgus, irarum nocentes
Miscet agens sine lege motus.
Tu cuncta præsens horrida temnere
Iubes; timoris sic ego desino,
Securus iræ, te fovente
Otia, te placidam quietem.
Nunc grata Siren dedicat aureum
Torquem merenti, divite lucidum
Bacca, pyropo seu rubente,
Seu viridi potius smaragdo.
Vides ut ades marmore candido
Assurgat altè, dædala Mempheos

Delubra vincens, barbarorum
Mole prior, Tyriisque tectis?
Retunde ferrum, telaque civica,
Bellumque pestemque in Scythicas age
Classes, vel amentem Tyrannum
Austriadæ domino rebellem.

IN S. AGNELLVM
Patronum Neapol. Civ.
ODE XXIV.

O *Quæ virentem Calliope tenes*
Cynthum canoro gutture nobilis,
Et voce acuta, temperatam
Tange chelyn meliore plectro.
Formidoloso muta silentio
Suspensa nuper torpuit ilice
Pendens; paventes & sorores
Pierio latuistis antro.
Iactavit atras Tisiphone faces,
Et viperinos horrida prætulit
Crines Enyo, perque pallentem
Ore minax equitavit urbem:
Eubæa Siren agmina barbarûm
Avara prædæ mœsta perhorruit,
Regnique Campani ruinas,
Cum trepidos adamante postes
Muniret amens, saxaque tenderet
Edura nitens, pulvere & æneos
Armaret euripos, fenestris
Tela sagittiferis retrudens.
O magne custos desine lenior
Denominari, fortior emica

Leo, protervos frange, & ausos
Parthenopen agitare motu.
Seu mitis Agni nomine fœdera
Componis æquis, sævaque detonat
Tumultuosa plebis ira,
Et posuit furor inquietus
Silente vulgo: fas erit auspice
Tanto, nocentes temnere Erinnyas;
Sic tuta Siren, explicata
Fronte, metus animo reponet.

IN S. THOMAM CANTVAR.

Singularis ejus constantia laudatur.

ODE XXV. *l. 3. od. 5.*

QVem certa firmat robore Romulo
Virtus, acutos spernet acinaces,
Regumque vibratas secures
Cernet atrox, acieque fixa
Bellator, acer fundere prodigus
Vltro cruorem vel capitis minor,
Fas, & Quirini jura Patris
Libera non timidus tueri.
Hac mente Thomas restitit impio
Fortis Tyranno, atque illacrymabilis
Ferrum recepit. non ahenis
Vectibus, atque adamante multo
Munivit ædes; templa recludite,
Dixit, furori cedite barbaro,
Nec more castrorum tueri
Sacra libet, veteres & aras.
Delubra Pallas scilicet ægide,
Hastaque servet? Marte tuebimur

Sedes piorum? bella Thraces,
Bella Getæ moveant, Scythæque.
Non dimicabo motibus asperis
Obnixus; ædis sed penetralia,
Portasque non clausas subibunt,
Me faciles reserante postes.
Sic ille collum tradidit obvium
Telis nocentum; tinxit & infulas,
Tinxitque cervices securi
Purpureas, & acuta mitræ,
Sacrasque vittas, templaque protinus
Sparsit cerebro. prô pietas prope
Natalis, ô Regum Britannûm
Prisca fides, nec amoris exlex.

IN S. PAVLINVM.

De captis à Turca civibus redimendis.

ODE XXVI. *l.3.od.5.*

CRuenta Siren vulnere Thracio
Mæret; secundo Marte superbiit
Hostis renidens usque præda, &
Hesperiæ spoliis opimis.
Turpis Tyranni serva vocabitur
Eubæa Siren nobilis? (heu pudor,
Pro nomen ingens Italorum)
Colla jugo generosa quondam
Attrita flectet Parthenope decens!
Hispaniarum, & ditis Iberiæ
Germana, & heroum, ducumque
Magna parens, procerumque nutrix.
Paulinus olim hoc cavit Anicia
De gente Princeps, scilicet hostibus

Venalis ultro; exemplo amoris
Ille tulit veniens in ævum
Moresque, fas & Præsulis. Haud diu
Nolana pubes sub duce barbaro
Captiva (dixit) flebis, ibo
Turpe jugum excutere, aut perire.
Cœlum secundet vota; Ego Civium
Revincta nodis brachia ferreis
Vindex resolvam, & rursus arva
Marte colent populata Gottho.
Meo rependam sanguine, vel gravi
Labore Natum. sic juga libera
Cervice demam, complicatis
Loraque dissoliiam lacertis.
Hac mente sese credidit hostibus;
Magnus Senator venit. ô amor,
O prisca regnantum Quiritum
Roma Parens, & alumna Regum.
Fertur virili consilio ferox
Insigne acutum, frontis & infulas
A se removisse, & lacernam
Vilem humeros posuisse circum;
Donec laboris servitio gravi
Referret auctor pignora matribus;
Cives & ignaros, suamque
Posthabuit pius exul urbem,
Perferre promptus quæ sibi destinet
Vis impiorum, seu jubeant solum
Versare pigrum, sive collo
Dura pati juga, dura vincla.

IN S. PAVLINVM.

Mira pietate pro altero væniit.

ODE XXVII. *l.1.od.24.*

Pauline, fasces te neque nobiles
Movere Romæ principis Vrbium;
Nec te Quirinales secures,
Purpurei neque lux Senatus;
Non te decoræ flaminis infulæ
Nolæ morantur, dum redimas tuos,
Venalis heros barbarorum
Regibus, horribilique Gottho.
Cui tu colonus munere servies
Minus decoro? pomaque deliges
Feracis Autumni? rubentes
Sive rosas calatho repones?
Versabis agros scilicet, & solum
Ligone findes, & stimulo boves
Vrgebis acri? vel juvencos
Indociles ad aratra junges?
Suetus ferocem flectere Cyllaron,
Curru aut per urbem quadrijugo vehi.
Septem quis ô miretur arces,
Et domino Latium Quirite?
Cum tu propago stirpis Aniciæ
Mutes secures sponte ligonibus,
Et rostra rastris, & nitentem
Setigeræ trabeam lacernæ.

IN S. FELICEM.

Subito araneæ textu servatur.

ODE XXVIII. *L.3.od.4.*

Nunc junge Clio carmina barbito,
Vocemque acutam cum fide Teïa;
Sollemne Felici cadenti
Nola facit, repetitque vota.
Illum latebra præsidio, & specus,
Cæcisque tectum sub penetralibus
Curis, fatigatumque pœnis
Arte nova tacitum doloso
Repente textu texit aranea,
Opemque laxis visceribus tulit,
Peplumque sollers dædaléum
Sollicita properavit alvo;
Labore grato fœta volubiles
Obtendit orbes orbibus: æmula
Quæ quondam Arachne victa cessit,
Pallada nunc superans minorem:
Mirum videri quod fuit omnibus,
Campana quicumque arva tenent, jugum
Leucesque Abellinosque saltus,
Collibus & Gecalen supinam,
Lateret ut semotus, & unicè
Securus hostis, nec caderet malè
Objectus armis barbarorum,
Penelopes potiore textu.
Obliviosо stamine credulum
Delusit hostem, telaque vertici
Devota; lethi perque acuta
Expedit celerans Arachne.

Vt illa textus agglomerat leves,
Eviscerans se? strenua fallere
Gotthumque vastatorem, & acres
Vandaliæ populos, vagando
Mirè sagaces, Hæmoniæ canum
Odora ceu vis; scilicet impios
Cyclopas, immanemque turmam
Decipiens opifex amica
Exclusit. antro concidit irrita
Vis cuncta latè depopulantium
Vrbesque camposque, inquieta
Quæque diu tonuit procella
Resedit omnis; finibus Italis
Cedens ut hostis stamine luditur
Inglorius; vindex Arachne
Dicta viri, per operta telæ.

IN S. DIONYSIVM AREO-PAG. Galliæ Patronum.

ODE XXIX.

O Lux Pelasgi nominis, ô Parens,
Quem Martiali Græcia curiæ
Præfecit olim, jus severæ
Arbitrio Nemesis tuentem;
Inauspicata sed sapientiæ
Decreta Paullus corrigit, abditum
Numenque prodit, te protervi
Consilii haud nimium tenacem
Monente Cœlo: namque cadens dies
Repente pallet, noctis & insolens
Apollo, quem sejuncta longè
Luna tegit coëunte cornu;

Sic

Sic te loquuto : nam quid inhorruit
Natura monstris? quid trepidat soror
Texisse Phœbum? curve nondum
Emeritos premit umbra currus?
Aut ille rerum maximus arbiter,
Satorque Mundi mole sub ardua
Damnis fatigatus laborat
Tristior, aut nova vis labantis
Orbis ruinam ducet, & obruet
Mortale corpus; dissociabili
Compage Naturæ fatiscit
Ecce solum, quatiturque nutans;
Jam nec Dianæ splendet amabilis
Sub Sole vultus; pallida sidera
Mœrent, & informes reducit
Turpe Chaos revocans tenebras.
Quis fabulosum Pelion aggerat
Ossæ? Typhœus quis novus incubat
Notus gigantei tumultus,
Atque minis Superos lacessens?
Hæc nempe Grajûm ludicra dedocet
Commenta Paullus; quin lacerum Deum
Narrat laborantem probrosa
Sub trabe, sed miserante Cœlo.
Quamquam sepultis tum quoque Manibus
Reclusa lethi janua, nec levi
Montesque divulsi ruina,
Et fragiles gemuere cautes.
Insigne Celtis præsidium, juga
Transcendis Heros impiger Alpium,
Quà temperat fœcunda campos
Sequana, Parrhisiosque lambit.

Diviniorum ſedule nominum
Interpres, alta mente profundior;
Sciens Magiſtratuſque terni,
Agminis aligeri recenſes
Et jura, & ortus. quin venit obvia
Mater Tonantis, ac prope jam Dea
Refulſit inceſſu virago,
Ora Deo, ſimiliſque Nato.
Hac te merentem laude ſuperbius
Fanum retentat, Gallia quod memor
Eduxit alta mole Memphin
Arte nova, & Babylona vincens.

IN S. LVDOVICVM Galliæ Regem.

ODE XXX.

NVnc Gallicani nobilis imperI
Regnator adſis; te Polyhymnia
Vocalis æternat Garumnæ
Propter aquas, Rhodanique ripas.
Humana ut altè ſub pede deſpicis,
Magnos acervos divitis Indiæ,
Perſæque gazas, atque opum vim,
Pauperiem reparare largus;
Nec tu paterno jure ſuperbiens,
Setis ſed horres aſperioribus,
Duras fatigatumque corpus
Stamine quod Cilices laborant.
Levare longo ſeu Solymen jugo
Tendis cruento purpuream Deo,
Bethlenque regnatam ſuperbo
Tollere deproperas Tyranno.

Depraliantem pulvere Thracio
Mirantur hostes, oraque Gallica
Frenis lupatis temperantem,
Cornipedem & stimulis agentem;
Duxes triumphum, ni Nemesis vetet
Ultura gentem perdere pertinax
Eduram, & invisas necato
Inferias referens Parenti.
Converte bellum, telaque barbaro,
Quicumque pugnax milite patriis
Minatur agris, regiamque
Vertere amat violens columnam.
Potes tumentem ponere lurida
M *Cervice strumam, vi haud aliis data*
Sic notus hæres sceptra Delphin
Ritè tenet, patriaque præstat
Virtute pollens: te stupuit pavens
Phœbus nec artis præsidium suæ,
Machaonis nec jura doctum
Sedula, Paoniosve succos.

AD BRANCIVM.

IN S. ALEXIVM.

Egregius opum contemptor laudatur.

ODE XXXI. *l.1.od.11.*

Quæ saxa Memphis barbara diviti
Subnectat aulæ, cadua vel Paros
Ne quære, cura neve inani
Multa levem trepides in usum;
Squalet paternis sub penetralibus,
Notoque quondam sub lare sordidus

Sponsæ,

Dr

Sponsæ, ac Parentis dulce votum
Connubii breviore flamma
Alexis: idem qui fuit haud nitet
Vultus, rubentis flore prior rosæ,
Obscurus agnosci, capillis
Asper, & horridior videri.
Quò forma fugit plena Cupidinis
Intaminati? quo decor, & Charis
Spirans amores, excubare
Sueta genis, roseisque malis?
Quid ô latébra pumice conderis
Sanguis Quirini? nobilis ut jaces
Hæres, & hospes? cui paternum
Splendet ebur, Latiusque census.
Quis purpuram auro deproperet tibi,
Latumque clavum? quis trabeæ decus
Reponat? & Patrum secures
Anteferat, dominosque fasces?
Quis flebilem sponsam eliciet lare
Damnata in imo? dic age lætior
Maturet, informemque Alexim
Restituat potiore cultu.

IN S. ALEXIVM.

Relictæ sponsæ mœror exprimitur.

ODE XXXII. *l.3.od.11.*

VLtro severam pauperiem pati
Amas, propago magna Quiritium,
Et urbe mutas Martiali
Assyrias peregrinus oras;
Vitamque sub dio exul agis, tori
Amica damnans fœdera, connubI

Expers

Expers; fugacem te querelis
Sponsa virum repetitque; & alte
Suspirat; eheu mene procul fugis,
Alexi dulcis, plus nimio brevi
Amore nexus? quis te acerbat
Mente nova malesuadus auctor?
Lucro reponam me tibi commori;
Amor fugacem consequitur virum,
Detrectat Alpes nec nivales,
Aut Rhodopes superare cautes.
Cur lege nulla me comitem abnegas?
Inire certam semper iter, plagas
Tecum per omnes, nec dolosam
Ferre jugum pariter laborum.
Ah si pudici maxima pars tori,
Alexi, nostro pectore velleris,
Restinguat ultro nuptiales
Atra suis Libitina tadis.
Sed mens inertiæ nescia Cypriæ
Decora puri floris honoribus
Gaudet, nec illibatus ungue
Carpitur, aut violatur aura.
Tendit nitentes dives Hymen faces
Frustra, vel icit fœdera pronuba
Iuno: per auras errat albus
Qualis olor trepidante penna.

IN S. BENEDICTVM.

Ejus pudor, & familiæ decus laudatur.

ODE XXXIII.

HEros Casini nobilis accola,
Cui fabulosi cessit Apollinis

Cor-

Cortina, & ementita Pitho
Altera, tu tripodes, & aras
Insanientes dejicis, ardua
Delubra vertens. muta silentio
Oracla reddis, ludere olim
Vulgus iners nimium dolosa:
Tum sic futuri Relligio sciens
Effata: mutas alite dextera
Molles penates rupe dura
Et tacito siluæ cubili,
Curis fatigans asperioribus
Immune pectu Cypridis, ô decus,
O Nursiæ Sol, & Sabini
Magna satu generis propago.
Opes avitas cogere nescius
Leves in usus, spernere fortior,
Catusque damnas, & malignum
Vulgus, amans humilis latébra.
Frustra Citheres te puer improbus
Tentabit igni, pectora candidum;
Et tela nequicquam pudori
Tendet agens malesuadus arcu;
Vulnus severo vulnere providus
Vitas, cruentas corpus ut hispidum,
Tueris & florem pudicum
Involiiens per acuta dumi.
Fama tuorum macte clientium,
Fœcunde Regum, & prole Quiritium,
Quos Roma clavo Vaticano
Destinat, imperioque magno.
Te mille Virtus ambiet infulis.
Honore dignans tergemino tuos,

Et

Et mille designans Olympo
Indigetes Superis reponet.

IN S. FRANCISCVM AB ASSISIO. Nomine cujusdam ex ejus familia.

Ejus paupertas maxime commendatur.

ODE XXXIV.

DIvis amicus constitui tua,
Francisce, norma temnere divitum,
Et pauperum partes tueri,
Iure minus mihi pejerato;
Vt obligavi pauperie caput
Fidum, remisi quærere patrium,
Aversus auro, censum; & omnem
Materiem trepidi tumultus
Summovi, Olympi dote beatior.
Æterna curans ut feror arduus?
Levemque sprevi fumum, & udam
Castus humum, exiguo renidens.
Non insularum me tenet inclitus
Nitor, trahentem syrma Quiritium;
Et vaticani splendor ostri
Haud oculos hebetavit acres:
Livoris expers omnis, honoribus
Vltro ter amplis abstineo reus;
Et invidendis pauper aulæ
Hesperiæ titulis carebo.
Fortuna ne quà destituat reflans,
Minus laboro; nec tenuem crepo

Stipem pererrando coactam,
Aut Bromium, aut Cererem malignam.
Non occidentis me quatit impetus
Arcturi, & Hædi, fœnoris uberis
Mendace fundo, seu nivosa,
Torrida seu magis astra culpet.
Trahit rubentes cui bene purpuras
Spartana virgo, decolor occupat
Hunc discolorem pallor; exest
Atque animum nimis ægra cura.
Nec splendor auri subsequitur brevem
Herum, vel Afri muricis; at nigri
Pompæ pherétri, atroque busto
Nigra faces Libitina tendit.
Acuta cudit tela pecuniæ
Fames; quietis Vrbibus otium
Exemit, iris regna miscens
Acribus, & populos duello.
Non obsoleto pumice Memphcos
Superba mutem pergama; pauperes,
Arctique delectant penates,
Ac tenues sine sorde lanæ.
Sic, Dive, culpas, sic premis impii
Tu damna secli, reddis & aureos
Mores, ut aurum temnis, arctis
Sub laribus nimium locuples.
Doces Magister pauperie sitim
Domare, & arcæ mittere copiam.
Nec spiritus flagrans habendi
Purpureas inhiabit undas.

IN S. FRANCISCUM AB ASSISIO.

Cum ad martyrium properaret.

ODE XXXV. *l.2.od.15.*

NOn te cruentam sponte jubet necem
Perferre Divum rector, & arbiter
Vitæ, nec immiti sub ictu
Tingere purpureas secures.
Circa nocentum nempe animus tibi
Vrbes Scytharum, & littora Thracio
Regnata regi, barbarorum
Vrget Amor subiisse fines.
Acerbiorum desine vulnerum;
Haud te moratur, mox tibi lividos
Pedes cruentabit, manusque
Figet Amor bonus auctor ictus.
Iam jam fatigat, vulnus & imprimit
Ardens, & olim quæ posuit Deo,
Tibi reponet; jam volucres
Ales agit per inane pennas:
Clavoque (mirum) transadigit manus,
Femurque acuta cuspide perfodit;
Ah diffluis stillante tabo,
Ah cor hiat, penitumque pectus.
Palles cruentus, ceu trabe palluit
Deus; refossis sic pedibus tumens,
Dextraque & alte vulneratus
Molle latus, gelidusque letho.
Te quisquis æqua cernit imagine
Sagax tueri, fallitur; abditum

Discrimen es, Francisce, quinis
Vulneribus, dubioque vultu.

IN S. DOMINICVM.

Doctrina ejus, & virtus commendatur.

ODE XXXVI.

O Luce pulcher nobilis Hesperi,
Cui Roma princeps jus Sapientiæ
Dijudicandæ ritè quondam
Credidit, arbitrio potenti:
Te magna Pallas propulit impium
Impune in hostem; fulminis alitis
Qualis venenatum minister
Corripuit generosus anguem.
Aprumve qualem colle Erymanthio
Acer molossus consequitur ferum
Sagax odorari; & receptum
Dente premens avido fatigat.
Gestire visus, fulvus uti Lacon,
Es matris alvo; nec tua longius
Morata virtus fida; latratu
Increpitas animosus hostem:
Iam castra cogis strenua perdere
Ditis catervas, signifer agminis,
Dextras obarmas præliantum, &
Consiliis regis unus æquis.
Fortis creatur te soboles Patre,
Nec prisca virtus degeneri satu
Famam inquinavit posterorum,
Ac decus egregium nepotum.
Nutrita proles ubere candido
Accrevit; & vim pectoris insitam,

Atque

Atque ingeni promovit alte
Lex tua condecorans Minervam;
Huic juncta Virtus fœdera roborat;
Vtcunque mores non temere inficit;
Testis juventus, & pudica
Testis Aquinatadum propago.

IN S. FRANCISCVM A PAVLA.

Prodigiis insignis ostenditur.

ODE XXXVII.

SVme quæsitum meritis honorem
Nota Francisco pietas, & avi
Posteri victrix memoranda fama
Vive superstes.
Illa regnatis data jura rebus
Rege te dicet; tibi namque servit
Omne Naturæ famulantis agmen,
Omne paventis.
Mirus audiri; novus hospes Ætnæ
Ora Vulcani, rabiemque falles;
Digeret vilem haud cinerem profundæ
Flamma Chimæræ.
Sive Neptunum superare mavis
Lintre non ulla; stupuere Phocæ,
Doris atque amens stupuit prementem
Humida regna
Sicca sub vestigia; perque campos
Sponte vadentem pelagi liquentis
Marmore eduro, neque mœsta ponto
Nomina dantem.
Protinus grata comites eunti
Lenè succedunt, celerantque cursum

Æoli mites animi reponit
Africus iras.
Casta te Tethys chorea sororum
Ambiit, mirans operosa rerum
Monstra; vocalem pepulitque concham
Gutture Triton.
Bruta quin tellus, lapidesque duri
Arbitrum motus, dominumque norunt,
Caute seu gaudes leviore, quercu
Sive trabali.
Imbre suspenso tumuere nubes,
Nec tibi adversa tonuere flamma;
Quà pedem fixti, pluviam caducam
Æthere figis.
Fœda decedit macies jubenti,
Et graves, eheu, Furiæ hospitali
Corpori; multos avido revexit
Portitor Orco.
Sterne te terra, feret aura Cœlo
Major, ignotum caput ater umbris
Conde, clarabit potiore pulcher
Lucifer æthra.
Promit obscurum pietas, & imis
Summa permutans tenuat superbum;
Spiritum infrenem domat, atque dulci
Sorte calentem.
Lucidum quondam premet ille Olympum
Arduus; quisquis populum latébra
Mutat, & plausum, volucremque fumum
Nominis odit.

IN S. FRANCISCVM A PAVLA.

Paupertatis studium commendatur.

ODE XXXVIII. *l.2.od.15.*

F Rustra superbi tollimus altius
Cœlo lacunar culminis editi,
Famem nec explet parca quondam
Mensa nitens tenui salino.
Non hac avorum consilia, & vetus
Doctrina; certis non ita legibus,
Francisce, præscriptum relinquis
Arbitrium, bonus auctor otI.
Nulli superbas census opes ferat
Viventi in horas; seu casa fissilis
Exceptet Euros, seu procacis
Vim Boreæ: proprias vetabo
Opes acervent divite fœnore;
Sed fortuiti munere tritici
Gratentur exili, nec olim
Fonte sitim pepulisse temnant
Severiores. quin prece juverit
Placare Numen, non Halyattici
Sumptu; nec aras atque fana
Barbarico decorare saxo.

IN S. CAROLVM.

Impune fert ictum ignitæ pilæ.

ODE XXXIX. *l.2 od.13.*

I Lle impiato crimine sæviit
Quicumque glandem sacrilega manu
Immisit aptans in Parentis
Perniciem, vacuumque vulnus.

Illum protervo crediderim satum
Cyclope, fraudis qui tacitæ sciens
Tractavit ignitum tonante
Ore focum, & nocuam Chimæram;
Ausus Quiritem sternere principem,
Magni Senatus purpureum ducem:
Armavit ignem sulphurato
Pulvere, fulminea sub Ætna.
Quem certa Virtus roborat, huic satis
Cautum est, nec iræ spicula barbaræ
Tutus perhorrescit, neque ultra
Triste timet vel ab hoste fatum.
Securus ictus præsul aheneo
Thorace nullo pectora muniit
Vltro, nec improvisa flammæ
Vis rapuit, violensque telum.
Elusit artes aucupis, ac dolos
Evasit. at nunc sidera lucida,
Et igneas arces Olympi
Jam tenet, & potiore sorte
Ardescit; illum Pieris aureo
Fert grata plectro, plenius & canit
Vitantem ahenæ sæva glandis,
Sæva foci mala, sæva flammæ.

IN S. PHILIPPVM NERIVM.

Insignis ejus pudor, & pietas laudatur.

ODE LX.

PHilippe, quem nunc Indigetum choris
Pater Quirinus miscet, & ardua

De-

Delubra, & aras thure multo
Dedicat, aßimilatque Divis,
Cratera libans sanguinis, & dapem
Non inquinatam. Te pietas tua
Trovexit in majus beando
Ordinibus Superûm repostum:
Decus tuorum dulce sodalium,
Te Flora mater punicea rosa,
Calthaque pingit, lilioque
Virgineo, patriaque serto.
Bacchate miris gliscis amoribus,
Namque æstuosum cor laterum diu
Compage dirupta fatiscit,
Atque sinus violens relaxat,
Perferre tantas impatiens faces:
Fœcunde amorum, te genitabiles
Auræ flagrantem, roscidæque
Te recreant animæ FavonI.
Vt pura Cœlo lumina dirigis
Potente voto, protinus intremit
Tellus resultans, & profundo
Sollicitas Acheronte Manes.
Testatus olim fœdere candido
Lojolæ amicus, quod jubar ederet,
Qua fronte latè fulguraret
Irradians, novus Hesperugo.
Nunc junge Divos, dum Latii Pater
Vnà piorum te sacrat insulis;
Nos &, litatis inter aras
Ritè sacris, bonus intuere.

IN S. ISIDORVM Agricolam.

Eo orante Cœlites rusticantur.

ODE XLI. *Epod. 2.*

Beate cultor Hesperi quondam soli,
Feracis & glebæ potens;
Qui nunc adauges quinctus heroas, novo
Ritu Quirinali sacer;
Dum mentis altæ persecutus otium,
Et dulcè complexus Deum
Supplex inhæres, Cælites juvant suo
Labore, agrestes Cælites.
Astris relictis rastra jam splendentia
Tractantur attritu, & ligo.
Adsunt parati, ut auxilI multum ferant
Tibi alloquenti Numina.
Labos libenter omnis exantlabitur
Virtutis in laudem tuæ.
En ut juvencis illigant nitentibus
Aratra Divi rustici?
En ut revolvunt auro inexpertum solum,
Glebam & fatigant impigri!
Tu mente Cælum dum colis, solum colunt,
Pennis volucres aureis,
Novi coloni mollium novalium;
Fidique tutores agri;
Vlmos maritant illi, altas populos,
Vetusque Silvani decus,
Querceta adulto Libero, vel fulciunt
Talis brevem propaginem.
Illi remoto eburneo plectro lyræ
Agri premunt inertiam

Exerciti jam falce, navi & inserunt
Feliciora germina.
At tu laborum, quos ager duros habet,
Precatus oblivisceris.
Post vota, rastris ut juvat scissum solum
Videre, sementem & satam?
Mirari aratrum cernuo collo boum
Auctore suspensum alite,
Magnos Quirites, regium examen poli,
Iuga implicantes cernere,
Decerpere uvæ purpuram, mala & tibi
Non insitiva, & mitia
Ceu Sole acuto. tanta vis Cælestium.
Amoris hæc tu præmia
Iucunda captas: illaboratas dapes
Amor colonus apparat.
Honore fœderate nunc Cœlestibus
Amore certas mutuo.

IN B. STANISLAVM
è Societate IESV.
Paternam domum fugit impunè.

ODE XLII. *l.3.od.24.*

Illustre Regum Sauromatum genus,
Puer, penates, juraque patria
Dimittit, & gazas, & auro
Mygdonio laquear superbum.
Curis acutis se procul eripit,
Luxumque damnans barbaricum, amovet
Quicquid voluptas ebriosæ

Frustra tenacem consilii quatis,
Germane, mentem frangere pertinax,
Ferroque adurgens concitatos
Iungis equos, volucremque currum.
Vrbem Quiritum jam tenet unicè
Securus iræ, præsidio ferox
Cælestum; & IgnatI nepotes
Iure pari sociare gaudet.
Tu gentis altum quid deceat genus
Curas, paterni nominis additus
Vindex, & antiquas secures
Commemoras, veteresque fasces;
Nec parcis iræ; sed premit impetum
Sistens citatos cornipedes Deus,
Ridetque si luctaris ultra
Fas trepidans; licet assequare
Pernice curru, non tamen irritum
Quodcumque firmus constituit, levis
Invertet, aut quondam retexet,
Mente semel quod adorsus alta.
Nequicquam acerbus, junget ut agmina
Lojolæ amica, in præcipites minas
Agéris, & damnis cavebis,
Ne sociûm subeat suorum
Dulces latebras, regnaque pauperum:
Illum haud paventem te celerem sequi
Insanientes per tumultus
Vsque feret bonus auctor ales.

IN B. ALOYSIVM GONSAGAM, è Societate IESV.

Parentem consilio adversantem superat.

ODE XLIII.

*Q**Valem fatigat fluctibus Adriæ*
Cautem reluctantem Africus, ac Notus;
Aut Caspias rupes inani
Verbere sollicitant procellæ,
Gonsaga, sensit te patrius furor
Fortem. nec alti propositi tenax
Vultum reformidas; tuisque
Consiliis cecidit revictus,
Miratus audentem mala perpeti,
Et quicquid obstet frangere; quem sibi
Lojola princeps destinatum
Expediat per acerba rerum.
Dixitque tandem cum lacrymis Pater
Fessus minando; non ego te ferus
Sectabor ultra, nec retentem,
Nate, supervacuo labore
Vrgere mentem; scilicet aspera
Per verba vim, per verbera concipis
Robur; bipenni ceu retonsa,
Taygeto super, alta quercus.
Iam perge quo te mens rapit, indoles
Quo ducit; ô spes, ô amor, ac decus
Gentis relictum, nec morabor
Longius exagitans volentem:

Linques Parentes immemor, atque opum
Magnos acervos, regnaque patria,
Fascesque Gonsagos, avorum
Ac titulos, memoresque laudes.
Sic ille patrum nobilium decus
Priscum remisit, claraque nomina;
Et dona Fortunæ nocentis
Reppulit haud humili severus
Vultu; decoram pauperiem pati
Vltro relegit; nec male sordidus
Opprobriorum visus emptor
Temnere purpureos penates.

IN B. FRANCISCVM BORGIAM ex Duce religiosum è Societate IESV.

Fastus contemptor egregius commendatur.

ODE XLIV. *l.2. od.2.*

DEcolor pallet tibi fulgor aulæ,
Squalet Hispanus nitor, atque murex
Regius; pulcher nihil Hesperugo
Splenduit uni.
Nomen æternat tibi fama noto
Mentis infractæ, atque animi ferocis,
Illa te certis feret acta pennis
Vsque superstes.
Dicet, ut virtus operosiores
Reppulit luxus, & avita jura,
Et Tagi Tartesiaci, atque Iberi
Amnis arenas.

Mitte

Mitte jam curas super aula, & auro;
Crescit insano sitis aucta potu;
Flagrat incensum cor, & æstuosis
Viscera venis.
Ore delusus vacuo laborat
Tantalus frustra miser, atque anhelum
Guttur accendunt latices, hiantem
Deserit amnis.
Dissidens vulgo, indocilique plebi
Fortis Ignati nova castra tende:
Roma sic Cœlo, ac numero beatorum
Asseret ultro.
Deprimens magni satrapæ tumentem
Spiritum, fasces, & Ibera jura
Deferens Nato, patriumque censum,
Æthere regna.
Macte jam sacris decus ô tuorum,
Stemma seu temnis, procerumque fastum,
Purpuram seu tu Latialem, & altum in-
signe Quiritum.

IN SANCTOS OMNES.

Immortalem eorũ gloriam commendat.

ODE XLV. *l.1.od.12.*

PLectra cui tanges operosa Clio?
Quid canes majus Genitore magno,
Arbitro rerum, & Superum beante
Agmina Divo?
Illius pura generatus alvo
Iure non impar Deus, ore eodem,
Imperi fasces tenet haud dirempti
Numinis hæres.

Men-

Mentis æternæ sata vis, & alto
Pulcher obtutu fluis ô propago
Magna, par stirpi, ter & amplus, unus,
Alter, & idem.
Hinc Amor par jure perennè manat;
Dulce Amor Numen, penitusque amantum
Pectus innodans, genialis aura
Spiritus, & vis
Cordis: afflatus Deus ille utrinque
Aureo septemgeminus recurrit
Fonte, sed pascit bifida coruscus
Tempora flamma.
Nulla vis uni viget æqua Divo,
Vna sed tantos propior nitores
Mater, & virgo, Dea magna (si fas
Dicere) tangis.
Signifer Cœli neque te silebo
Ales invisis inimicus Vmbris,
Principem fixti metuendus anguem
Certe sagitta;
Addam & examen, sociasque turmas
Consili ejusdem, superare Ditem
Nobiles; illi simul alta Virtus
Robore mentis
Restitit, turpès Acherontis Vmbra
Stagna Cocyti subiere nigri;
Et minax Cœlo ruit Orcus, imo
Clausus Averno.
Prævium post hos juvenem saluti
Accolam silvæ memorem? an sodales
Numinis bis sex Erebi potentes
Dite subacto;

Marti-

Martios patres, animæ feroces
Sponte devotæ; famulamque Romam
Flamini magno, dominisque dictam
Subdere fasces.
Nulla te, Gusmane, recondet ætas,
Nulla Franciscum bene pavit ambos
Alma paupertas dociles superbum
Temnere luxum.
Te quoque, Antoni, referam silentum
Principem civem nemorum; sit alter
Blandus auritas pelagi loquendo
Ducere phocas.
Librat æternas agitata pennas
Fama Lojolæ; micat ille sera
Luce, dux Cœlo velut Hesperugo
Sidera cogens.
Auctor ô, vindex hominumque, magno
Patre seu prognate Deo, pudica
Matre seu terris oreris, verendo
Numine regnes;
Neve mortales, tua cura, vanis
Excidant votis; tibi junge Thracas,
Iunge semotas Orientis oras
Iaponas ultra.
Præsit Vrbanus Pater unus Orbi,
Qui Polum nutu reseret profundum,
Quique demissos Erebo rebelles
Fulmine damnet.

AD S. MICHAELEM ARCHANG. Apuliæ Patronum.

De excurſ. Turcar. in oppidum Manfred.

ODE XLVI. *l.3.od.3.*

Regina tellus Daunia, pinguium
Fœcunda frugum, meſſis & aurea,
Quæ te hauſit (infandum) repentè
Barbara vis, violenſque flamma?
Vt ſqualet agris horrida vaſtitas?
Vt mœſta culmo decubuit Ceres?
Igneſque depaſti penates,
Fanaque diripuere Divûm.
Impune prædo Thracius Italûm
Securus ibit? littora remige
Vicina radet Thrax ſuperbis
Exuviis miſerorum onuſtus?
Oblivioſo credidit Adria
Puppes inultus, nec timuit Scythes
Antenoris fœdus per undas
Auſus iter vetitum ſubire.
Ceu tauriformem cum Notus Aufidum
Irritat acer non ſine limite
Querente riparum, & coloni
Sollicitì vacuo labore.
Ne dede, cuſtos, pergama ſordidus
Salutis emptor; ne fuge providus
Tonante flamma fulgurare
Arce ſuper, teretique glande.

Ab

Ah ne secundum vota nocentium
Concede turres; illacrymabilis
Dura, verecundosque turpi
Servitio prohibe nepotes.
Cur indecoro vita rependitur
Probro? receptis cur spoliis nitet
Ferox? & impermissa regni
Iura brevi domino tenentur?
Manfredus olim scilicet impio
Devotus Orco mœnia condidit,
Quem fulmen afflârat Quirini
Rite Patris nimium protervum.
Hoc ille sontes immiserabiles
Adurget ultro sub nigra Tartara,
Hostemque Diris execratum
Projicit inferias Averno,
Tædam coruscans, æraque commovens
Formidoloso carmine, regios
Temnitque fastus, & secures
Cæsaris haud metuit protervi.
Dixitque vindex tum Nemesis reo;
Quid alta demens mœnia substruis
Nequicquam, & arces? & superbis
Aggeribus meditaris urbem?
Ex quo verendum destituis Patrem,
Acerba condo fata nepotibu',
Vrbemque damnatam Scytharum
Horrida devoveo rapinis.
Iam non Ibero milite deditam
Tueris arcem; nec vigil Appulus
Classemque pugnacemque Maurum
Præsidio celeri refringet.

 In-

Insultet hostis vertere pertinax
Turres vetustas, alite conditas
Lugubri, & ignes tecta latè
Pervolitent, vacuasque sedes.
Seras refixas postibus aneis
Metu movebit civis, & intimè
Portas recludens urbis, hosti
Arva (nefas) populanda dedet;
Quod te minorem Patre Quiritium,
Et Vaticanis fascibus abnegas,
Neglectus orbis rector, urbi
Fata movet mala luctuosa.
Cui vota fundam? quem prece suscitem
Divûm rogando? quis scelus expiet
Natale? & urbem criminosam
Expediat vitio Parentis?
Cælestis ales, Manibus inferis
Timendus olim signifer, ardua
Querceta Gargani cubantis,
Quicque tenes siliia latebram,
Succurre damnis; providus advola;
Nunc coge ductor militis alitis
Centum cohortes, castra centum,
Mille tubas animans, & æra.
Sic notus olim, qui simul æthere
Sternis gigantes viribus ingeni
Deprælantes, Dite victo
Ducis, io, meritum triumphum.
Tuere Dauni pervigil Appuli
Gentemque, campos ac tibi creditos;
Suspensa neu formidet artes,
Thracis & insidias Tyranni.

Com-

Compesce turpi classe licentiam
Diu vagantem, quid sitit ebrius?
Quid heu cruoris rursum avarus
In miseram ruit ille cædem?

IN S. MICHAELEM ARCHANG.

De specu, quam sibi sacravit.

ODE XLVII. *l.1.od.17.*

COelum cavato pumice montium
Mutat beatus signifer; & nives,
Vmbraque Gargani rigentis
Hospitio tenuere lætum.
Frustra laborat Tityrus avium
Vrgere taurum cuspide missili,
Monente Divo, sub reducto
Fana sibi properare saxo.
Impune tutus scilicet hic mihi
Defendam & æstum, & tela die; neque
Lupos pavebo martiales,
Aut virides nemoris colubros.
Lentum sub umbra, Dive, tuebere,
Dum plectra tango, dum recino lyra
Bello laborantes, & armis,
Teque Ducem, sociasque turmas:
Tu pellis acer sub cava Tartara,
Nodoque vincis, ne malus impio
Pertentet arcu imbelle pectus
Exacuens celeres sagittas.
Dicam te ovantem carmine Lesbio,
Reddente saxo vocis imaginem;
Rupemque Gargani profundam
Non humili fide personabo.

IN S. MICHAELEM ARCHANG.

Nobilem ejus victoriam laudat.

ODE XLVIII.

Princeps aligeri strenuus agminis,
Qui Gargana tenes ardua, Dauniæ
Gentis tutor amans, & bonus arbiter
Arvorum Cerealium;
Cui paret legio Martia Cœlitum
Olim sidereo castra sub æquore
Metantum, atque acies contra Acherontias
Miscentum nova prælia.
Titanum extimuit turba rebellium
Conjurata pares sumere Numinis
Cultus, atque tumens cordis, & ebria
Dementi mareotico.
Te, te purpurea casside nobilem,
Et squama rutilum lucis ahenea
Horrentes metuere, atque adamantinum
Thoraca; & clypeum gravem
Auro, missilibus nec penetrabilem.
Te plausu, choreis te polus excipit
Liber, divitibus protinus insulis
Pellentem Phlegethontios
Fratres de Superis; tu male pertinax
Agmen Marte novo vividus edomas,
Audacemque Gygen, Porphyreonaque,
Insanumque Typhoëa.
Nunc te Romulei dicimus imperI
Custodem, & stabili Numine præsidem,

Di-

Direpta: Stygiis Manibus acrius
Prædas, te duce, dicimus.
Alludit vacua nomen imagine
Assultu nemorum rupe cava tuum,
Et responsa ferunt saxa volubili
Aura, & voce reciproca.
Iam Pindi valeant saxa biverticis.
Me Gargana tenent culmina, ubi vetus
Delubrum latet; & perpetuo calent
Aræ messis odoribus.

IN S. MICHAELEM.

Et sibi & Apuliæ propitium facit.

ODE XLIX. *l.4.od.6.*

Dive, quem pubes Superum rebellis
Vindicem quondam, scelerique acerbum
Sensit, & Pluto male cultor alti
Ætheris audax;
En ades votis, bone dux, tuorum,
Signifer forti metuendus hasta,
Hostium densas acies premendo,
Nostra tuendo.
Cæca quem Ditis fugit ars dolosi?
Ille devotos meritis Averni
Destinat flammis, neque parcit ulli
Callidus artis;
Ni tuis victus, Sociumque magnis
Viribus, spe decideret proterva,
Ni polo inferres potiore multo
Alite certos.
Dive, Garganæ bone rupis hospes,
Late quercetis, viridique saltu;

Dauniæ defende tuæ colonos,
Appulaque arva;
Spicei tutela soli, feracem
Glaream, flavasque tuere aristas
Plurimam servans Cererem, replensque
Horrea messe.
Cœlitum te ritè ducem canemus;
Vota fert imbris sitiens Iapyx
Prospero frugum, celerique fœtas
Cogere nubes.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Ejus se tutelæ committit.

ODE L. *l.1.od.3.*

DVx ô robore martio
Pollens, cui Genitor me bene credidit
Fido providus aliti,
Tollenti patriis sideribus caput;
Adsis rebus in arduis,
Et præsens vigili præsidio tegas,
Fortis sternere Tartaro
Examen tumida mente furentium,
Et Plutona domabilem
Alto devoluens præcipitem polo.
Te vidit polus aureo
Ardentem clypeo, te bene fratribus
Decertantem Acherontiis,
Augentem spoliis & Capitolium.
Tum Cœlum Pater abscidit
Cocyto Superis dissociabili.

Et

Et semptemplice Tænaro,
Obstrictis tacito carcere Manibus;
Nobis sed tamen invidæ
Testes, & miseræ relliquiæ incubant;
Post Ditem patrio polo
Depulsum, Furiæ, & Gorgones impiæ
Terris ire licentius
Visæ, fraude mala perdere callidæ;
Tu si corripias gradum
Velox præsidio, cur metuam Styga?
Votis sæpe Parens tuis
Iram ponit amans, telaque projicit.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Egregium cœli bellatorem laudat.

ODE LI. *l* 1.*od*.6.& *l*.2.*od*12.

NOn ausim fidibus ludere mollibus
Debellata ducum examina fortium,
Nec te præcipitem, Lucifer, Hesperum,
Ortu commoriens tuo.
Nequicquam memorem immobilis ingenî
Eduros animos, & nimium sibi
Devotos studio; sit labor alteri
Proferre Argolica tuba
Acrem consiliis sub Styga conditum
Plutona, edomitamque Aligera manu
Cœli progeniem, vulgus & impium
Vltro. grande periculum
Bellorum Erigone palluit insolens;
Tum Cœlum trepidare altius incipit.

Astrorumque chorus tum procul ignibus
Scintillare trementibus.
Vix unum tenues dicimus alitem,
Ditem sive malum strenuus impulit,
Seu colla implicuit lurida Cerberi,
Monstrorumque minacium.
O flos Cœlicolum gratior, ô nitens
Fulgentes oculos excubitor vigil:
Tu vitæ columen, tu bene candidis
Notus tutor amoribus.
Quàm me ferre pedem, quò rapias, decet?
Nec luctante gradu tendere, te duce?
Tu misces Superis; duc age, quà nitet
Candore orbita lacteo.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Obstrictum se ejus beneficiis fatetur.

ODE LII. *l.2.od.7.*

COelestis ales matris ab ubere
Decrete custos tempus in ultimum,
Te magnum Olympi, te Quiritem
Sollicitæ vigilem saluti
Donavit auctor. si trepidum polo
Debes clientem, quid moror? evehe
Tecum coronatum virenti
Fronde comas, nitidumque nardo.
Tecum refregi tela Cupidinis
Bellator; objecit bene parmulam
Obnixa Virtus; me nec artes,
Frausque mali latuere Ditis.

Tu me per hostes providus expedis
Casus paventem nullius unice;
Omnes resident & procellæ,
Te facilem moderante clavum.
Ergo obligato thure adolebitur
Ara; & beatam gratior hostiam
Flamen dicabo, pignus almi
Numinis, arbitrio potenti,
Et voce fundens non humili Deum:
Seu liba permutem Cerealia,
Sive incruento de cruore
Vina tibi simulata ponam.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER XI.

De S. Ignatio Lojola.

Προαύλιον.



HÆret nunc animus in domesticis. Incunabula nostræ familiæ quantulum cepit initium? Ignatii Lojolæ adolescentia occupata fuit illecebris; robustior ætas in aciem, inque pulverem prodiit; adultior in præclarissimi operis molitione, ac fundanda, regendaq; nostra familia versata est; senectus in excellentissimo perfectæ, absolutæq; virtutis fastigio fulsit, admirabili etiam gentis incremento. Divina vis illum ad pietatem advexit alienum, quod minus religiosum; acerbũ, & cruentum, quod militem; erubescendum, quod indoctum; ceterum tam prospero eventu rerum, ut pro minus pio, sanctissimum; pro milite, in impietate profliganda Ducem; pro rudi & ineruditο divini-

vinitatis acerrimum contemplatorem, ac tot Academiarum, tot gymnasiorum auctorem reddiderit, confluentibus undiq; ad eum, quem instituit Sapientiæ mercatum, gentibus. pertinax fuit in arce Pompelona tuenda, propugnator futurus acrior Romanæ. Patiatur Horatius Cocles se sileri, quem virtus tenuit in ponte solum cruribus fractis; admoneri se virtutis ajebat, quoties claudicaret: at dicere fortasse possit Christiana Resp. Ignatii casu se erectam stare. dilatavit ejus fines; cultum divinum vel evexit, vel etiam invexit; quodq; laudum ejus consummatio est, præclaris institutis, ac legibus effecit, ne nos puderet, quod auctorem, ac Parentem de castris potius, atque campo, quam de aris, atq; delubris, horũ tamen honore decorandum, accersierit. Murali tormento ictus muros evertere constituit impietatis, atque perfidiæ. Casus ei gradũ gloriæ primum posuit. Trophæum virtutis, ubi cecidit, statuit. Fabulentur Vulcanũ claudicasse, quòd ob turpitudinem fuisset è Cœlo dejectus; at Ignatius, ut pulchrior effectus referri posset inter Cœlites, claudicavit. Clarius resonavit ejus nomen tibiis fractis. Vestigia pietatis, quò firmius insistendo imprimeret, alternavit. Iam tum cœpit abstrahi à terra, ut solebat, non modo mente, sed corpore, cũ

cœpit

IO. BAPTI

è Soci

LYRI

S

ODI

LIB

De S. Ig

Πρo



ÆRet mestic strae fa pit ini lae ad fuit illecebris ; rol inque pulverem pr clarissimi operis m da, regendaq; nost senectus in excelle solutaeq; virtutis fa bili etiam gentis i illum ad pietate quod minus religi entum, quod mili quod indoctum ; c eventu rerum, ut p simum ; pro milite, ganda Ducem ; pro

se suspenso. Comple-
terrae totum excurre-
metiri statuit, cū clau-
se passus est, ut consta-
afabre formarem,
ore statuam exsculpi vo-
seipsum. Excepit aeneam p-
terrae pilam Romae remu-
periculosam belli aleam,
virtutis, ac laudis aleam
In ludo Martis religiosi
animi, atque constantia.
us est eo resipiscente, quo
sana De corpere
pe, iam la-
ate propositi
egregius in vulne-
religionis prin-
praestantiorem omnino,
Achillis. Huius ipse
in bello, ira-
Virginis matris.
quod eius prae-
bacillo quo senex
infirmabat commod
debilitabat, haec ille
monstra perd
ex aedibus n
literis missis, de
haud dubie laureatis
sibi obviam
, sed eo potius

retrusit, hoc Hercule laudabili- :citationes veluti gymnicas insti- onotheta præclarus eorum, qui rtutẽ ostentarent, cum se abde- unc stadium conficerent, cum se arceribus continerent; tunc se ex- it, cum quiescerent. Resipuit ipse llico, desipere vetuit alios glacie . eo quamvis gelu concretus Se- ones in primis religione inflam- uit Ignatius Vindici nostræ salu- me similis; hoc tamen discrimi- l illi tellus contremuit morienti, vam vitam instituenti, quamquã e quoque tum acerbissimis cru- sponte abdicebat. Hoc etiam in- spares, quod ille novas stellas, ac niacos Cœlites habuit in stabu- ns, hic, ut narrãt, in tumulo mo- isi forte idcirco, quia obitus ei e natalis. Hoc certe quis non mi- um excepisse sepulchri hospitio s immortales, in quo, tanquam , non gemitus audirentur, sed non epicedium, sed epinicium ur. Illud vero quam singulare? ut natius extinctus accenderet, à est elatus ad tumulum, quo tem- illatus in Cœlum. Parentarunt ra, quæ cum lacrymas non habe- s, reddiderunt alienas, nempe s ille vivens in ipsorum contem-

pla-

Mentis æternæ sata vis, & alto
Pulcher obtutu fluis ô propago
Magna, par stirpi, ter & amplus, unus,
Alter, & idem.
Hinc Amor par jure perennè manat;
Dulce Amor Numen, penitusque amantum
Pectus innodans, genialis auræ
Spiritus, & vis
Cordis: afflatus Deus ille utrinque
Aureo septemgeminus recurrit
Fonte, sed pascit bifida coruscus
Tempora flamma.
Nulla vis uni viget æqua Divo,
Vna sed tantos propior nitores
Mater, & virgo, Dea magna (si fas
Dicere) tangis.
Signifer Cœli neque te silebo
Ales invisis inimicus Vmbris,
Principem fixti metuendus anguem
Certe sagitta;
Addam & examen, sociasque turmas
Consili ejusdem, superare Ditem
Nobiles; illi simul alta Virtus
Robore mentis
Restitit, turpès Acherontis Vmbræ
Stagna Cocyti subiere nigri;
Et minax Cœlo ruit Orcus, imo
Clausus Averno.
Prævium post hos juvenem saluti
Accolam silvæ memorem? an sodales
Numinis bis sex Erebi potentes
Dite subacto;

Marti-

Martios patres, animæ feroces
Sponte devotæ; famulamque Romam
Flamini magno, dominosque dictam
Subdere fasces.
Nulla te, Gusmane, recondet ætas,
Nulla Franciscum: bene pavit ambos
Alma paupertas dociles superbum
Temnere luxum.
Te quoque, Antoni, referam silentum
Principem civem nemorum; sit alter
Blandus auritas pelagi loquendo
Ducere phocas.
Librat æternas agitata pennas
Fama Lojolæ; micat ille sera
Luce, dux Cœlo velut Hesperugo
Sidera cogens.
Auctor ô, vindex hominumque, magno
Patre seu prognate Deo, pudica
Matre seu terris oreris, verendo
Numine regnes;
Neve mortales, tua cura, vanis
Excidant votis; tibi junge Thracas,
Iunge semotas Orientis oras
Iaponas ultra.
Præsit Vrbanus Pater unus Orbi,
Qui Polum nutu reseret profundum,
Quique demissos Erebo rebelles
Fulmine damnet.

AD S. MICHAELEM ARCHANG. Apuliæ Patronum.

De excurſ. Turcar. in oppidum Manfred.

ODE XLVI. *l.3.od.3.*

Regina tellus Daunia, pinguium
Fœcunda frugum, meſſis & aurea,
Quæ te hauſit (infandum) repentè
Barbara vis, violenſque flamma?
Vt ſqualet agris horrida vaſtitas?
Vt mœſta culmo decubuit Ceres?
Igneſque depaſti penates,
Fanaque diripuere Divûm.
Impune prædo Thracius Italûm
Securus ibit? littora remige
Vicina radet Thrax ſuperbis
Exuviis miſerorum onuſtus?
Obliviosò credidit Adriæ
Puppes inultus, nec timuit Scythes
Antenoris fœdus per undas
Auſus iter vetitum ſubire.
Ceu tauriformem cum Notus Aufidum
Irritat acer non ſine limite
Querente riparum, & coloni
Sollicitі vacuo labore.
Ne dede, cuſtos, pergama ſordidus
Salutis emptor; ne fuge providus
Tonante flamma fulgurare
Arce ſuper, teretique glande.

Ab

Ah ne ſecundum vota nocentium
Concede turres; illacrymabilis
Dura, verecundoſque turpi
Servitio prohibe nepotes.
Cur indecoro vita rependitur
Probro? receptis cur ſpoliis nitet
Ferox? & impermiſſa regni
Iura brevi domino tenentur?
Manfredus olim ſcilicet impio
Devotus Orco mœnia condidit,
Quem fulmen afflârat Quirini
Rite Patris nimium protervum.
Hoc ille ſontes immiſerabiles
Adurget ultro ſub nigra Tartara,
Hoſtemque Diris execratum
Projicit inferias Averno,
Tædam coruſcans, æraque commovens
Formidoloſo carmine, regios
Temnitque faſtus, & ſecures
Cæſaris haud metuit protervi.
Dixitque vindex tum Nemeſis reo;
Quid alta demens mœnia ſubſtruis
Nequicquam, & arces? & ſuperbis
Aggeribus meditaris urbem?
Ex quo verendum deſtituis Patrem,
Acerba condo fata nepotibus,
Vrbemque damnatam Scytharum
Horrida devoveo rapinis.
Iam non Ibero milite deditam
Tueris arcem; nec vigil Appulus
Claſſemque pugnacemque Maurum
Præſidio celeri refringet.

Insultet hostis vertere pertinax
Turres vetustas, alite conditas
Lugubri, & ignes tecta latè
Pervolitent, vacuasque sedes.
Seras refixas postibus aneis
Metu movebit civis, & intimè
Portas recludens urbis, hosti
Arva (nefas) populanda dedet;
Quod te minorem Patre Quiritium,
Et Vaticanis fascibus abnegas,
Neglectus orbis rector, urbi
Fata movet mala luctuosa.
Cui vota fundam? quem prece suscitem
Divûm rogando? quis scelus expiet
Natale? & urbem criminosam
Expediat vitio Parentis?
Cœlestis ales, Manibus inferis
Timendus olim signifer, ardua
Querceta Gargani cubantis,
Quiqua tenes filiia latebram,
Succurre damnis; providus advola;
Nunc coge ductor militis alitis
Centum cohortes, castra centum,
Mille tubas animans, & ara.
Sic notus olim, qui simul athere
Sternis gigantes viribus ingeni
Depraliantes, Dite victo
Ducis, io, meritum triumphum.
Tuere Dauni pervigil Appuli
Gentemque, campos ac tibi creditos;
Suspensa neu formidet artes,
Thracis & insidias Tyranni.

Com-

Compesce turpi classe licentiam
Diu vagantem, quid sitit ebrius?
Quid heu cruoris rursum avarus
In miseram ruit ille cædem?

IN S. MICHAELEM ARCHANG.

De specu, quam sibi sacravit.

ODE XLVII. *l.1.od.17.*

Coelum cavato pumice montium
Mutat beatus signifer; & nives,
Vmbræque Gargani rigentis
Hospitio tenuere lætum.
Frustra laborat Tityrus avium
Vrgere taurum cuspide missili,
Monente Divo, sub reducto
Fana sibi properare saxo.
Impune tutus scilicet hic mihi
Defendam & æstum, & tela die; neque
Lupos pavebo martiales,
Aut virides nemoris colubros.
Lentum sub umbra, Dive, tuebere,
Dum plectra tango, dum recino lyra
Bello laborantes, & armis,
Teque Ducem, sociasque turmas:
Tu pellis acer sub cava Tartara,
Nodoque vincis, ne malus impio
Pertentet arcu imbelle pectus
Exacuens celeres sagittas.
Dicam te ovantem carmine Lesbio,
Reddente saxo vocis imaginem;
Rupemque Gargani profundam
Non humili fide personabo.

IN S. MICHAELEM ARCHANG.

Nobilem ejus victoriam laudat:

ODE XLVIII.

Princeps aligeri strenuus agminis,
Qui Gargana tenes ardua, Dauniæ
Gentis tutor amans, & bonus arbiter
Arvorum Cerealium;
Cui paret legio Martia Cœlitum
Olim sidereo castra sub æquore
Metantum, atque acies contra Acherontias
Miscentum nova prælia.
Titanum extimuit turba rebellium
Conjurata pares sumere Numinis
Cultus, atque tumens cordis, & ebria
Dementi mareotico.
Te, te purpurea casside nobilem,
Et squama rutilum lucis aheneæ
Horrentes metuere, atque adamantinum
Thoraca; & clypeum gravem
Auro, missilibus nec penetrabilem.
Te plausu, choreis te polus excipit
Liber, divitibus protinus insulis
Pellentem Phlegethontios
Fratres de Superis; tu male pertinax
Agmen Marte novo vividus edomas,
Audacemque Gygen, Porphyreonaque,
Insanumque Typhoëa.
Nunc te Romulei dicimus imperI
Custodem, & stabili Numine præsidem,

Di-

Direpta: Stygiis Manibus acrius
Prædas, te duce, dicimus.
Alludit vacua nomen imagine
Assultu nemorum rupe cava tuum,
Et responsa ferunt saxa volubili
Aura, & voce reciproca.
Iam Pindi valeant saxa biverticis.
Me Gargana tenent culmina, ubi vetus
Delubrum latet; & perpetuo calent
Aræ messis odoribus.

IN S. MICHAELEM.

Et sibi & Apuliæ propitium facit.

ODE XLIX. *l.4.od.6.*

DIve, quem pubes Superum rebellis
Vindicem quondam, scelerique acerbum
Sensit, & Pluto male cultor alti
Ætheris audax;
En ades votis, bone dux, tuorum,
Signifer forti metuendus hasta,
Hostium densas acies premendo,
Nostra tuendo.
Cæca quem Ditis fugit ars dolosi?
Ille devotos meritis Averni
Destinat flammis, neque parcit ulli
Callidus artis;
Ni tuis victus, Sociumque magnis
Viribus, spe decideret proterva,
Ni polo inferres potiore multo
Alite certos.
Dive, Garganæ bone rupis hospes,
Late quercetis, viridique saltu;

Daunia defende tua colonos,
Appulaque arva;
Spicei tutela soli, feracem
Glaream, flavasque tuere aristas
Plurimam servans Cererem, replensque
Horrea messe.
Cœlitum te ritè ducem canemus;
Vota fert imbris sitiens Iapyx
Prospero frugum, celerique fœtas
Cogere nubes.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Ejus se tutelæ committit.

ODE L. *l.1.od.3.*

DVx ô robore martio
Pollens, cui Genitor me bene credidit
Fido providus aliti,
Tollenti patriis sideribus caput;
Adsis rebus in arduis,
Et præsens vigili præsidio tegas,
Fortis sternere Tartaro
Examen tumida mente furentium,
Et Plutona domabilem
Alto devolvens præcipitem polo.
Te vidit polus aureo
Ardentem clypeo, te bene fratribus
Decertantem Acherontiis,
Augentem spoliis & Capitolium.
Tum Cœlum Pater abscidit
Cocyto Superis dissociabili.

Et

Et semptemplice Tænaro,
Obstrictis tacito carcere Manibus;
Nobis sed tamen invidæ
Pestes, & miseræ relliquiæ incubant;
Post Ditem patrio polo
Depulsum, Furiæ, & Gorgones impiæ
Terris ire licentius
Visæ, fraude mala perdere callidæ;
Tu si corripias gradum
Velox præsidio, cur metuam Styga?
Votis sæpe Parens tuis
Iram ponit amans, telaque projicit.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Egregium cœli bellatorem laudat.

ODE LI. *l 1.od.6.& l.2.od12.*

NOn ausim fidibus ludere mollibus
Debellata ducum examina fortium,
Nec te præcipitem, Lucifer, Hesperum,
Ortu commoriens tuo.
Nequicquam memorem immobilis ingeni
Eduros animos, & nimium sibi
Devotos studio; sit labor alteri
Proferre Argolica tuba
Acrem consiliis sub Styga conditum
Plutona, edomitamque Aligera manu
Cœli progeniem, vulgus & impium
Vltro. grande periculum

Astrorumque chorus tum procul ignibus
Scintillare trementibus.
Vix unum tenues dicimus alitem,
Ditem sive malum strenuus impulit,
Seu colla implicuit lurida Cerberi,
Monstrorumque minacium.
O flos Cœlicolum gratior, ô nitens
Fulgentes oculos excubitor vigil:
Tu vitæ columen, tu bene candidis
Notus tutor amoribus.
Quàm me ferre pedem, quò rapias, decet?
Nec luctante gradu tendere, te duce?
Tu misces Superis; duc age, quà nitet
Candore orbita lacteo.

IN S. ANGELVM CVSTODEM.

Obstrictum se ejus beneficiis fatetur.

ODE LII. *l.2.od.7.*

Cœlestis ales matris ab ubere
Decrete custos tempus in ultimum,
Te magnum Olympi, te Quiritem
Sollicitæ vigilem saluti
Donavit auctor. si trepidum polo
Debes clientem, quid moror? evehe
Tecum coronatum virenti
Fronde comas, nitidumque nardo.
Tecum refregi tela Cupidinis
Bellator; objecit bene parmulam
Obnixa Virtus; me nec artes,
Fraus que mali latuere Ditis.

Tu

Tu me per hostes providus expedis
Casus paventem nullius unice ;
Omnes residunt & procellæ ,
Te facilem moderante clavum.
Ergo obligato thure adolebitur
Ara ; & beatam gratior hostiam
Flamen dicabo , pignus almi
Numinis , arbitrio potenti ,
Et voce fundens non humili Deum :
Seu liba permutem Cerealia ,
Sive incruento de cruore
Vina tibi simulata ponam.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER XI.

De S. Ignatio Lojola.

Προαύλιον.



Æret nunc animus in domesticis. Incunabula nostræ familiæ quantulum cepit initium? Ignatii Lojolæ adolescentia occupata fuit illecebris; robustior ætas in aciem, inque pulverem prodiit; adultior in præclarissimi operis molitione, ac fundanda, regendaq; nostra familia versata est; senectus in excellentissimo perfectæ, absolutæq; virtutis fastigio fulsit, admirabili etiam gentis incremento. Divina vis illum ad pietatem advexit alienum, quod minus religiosum; acerbũ, & cruentum, quod militem; erubescendum, quod indoctum; ceterum tam prospero eventu rerum, ut pro minus pio, sanctissimum; pro milite, in impietate profliganda Ducem; pro rudi & inerudito divini-

vinitatis acerrimum contemplatorem, ac tot Academiarum, tot gymnaſiorum auctorem reddiderit, confluentibus undiq; ad eum, quem inſtituit Sapientiæ mercatum, gentibus. pertinax fuit in arce Pompelona tuenda, propugnator futurus acrior Romanæ. Patiatur Horatius Cocles ſe ſileri, quem virtus tenuit in ponte ſolum cruribus fractis; admoneri ſe virtutis ajebat, quoties claudicaret: at dicere fortaſſe poſſit Chriſtiana Reſp. Ignatii caſu ſe erectam ſtare. dilatavit ejus fines; cultum divinum vel evexit, vel etiam invexit; quodq; laudum ejus conſummatio eſt, præclaris inſtitutis, ac legibus effecit, ne nos puderet, quod auctorem, ac Parentem de caſtris potius, atque campo, quam de aris, atq; delubris, horũ tamen honore decorandum, accerſierit. Murali tormento ictus muros evertere conſtituit impietatis, atque perfidiæ. Caſus ei gradũ gloriæ primum poſuit. Trophæum virtutis, ubi cecidit, ſtatuit. Fabulentur Vulcanũ claudicaſſe, quòd ob turpitudinem fuiſſet è Cœlo dejectus; at Ignatius, ut pulchrior effectus referri poſſet inter Cœlites, claudicavit. Clarius reſonavit ejus nomen tibiis fractis. Veſtigia pietatis, quò firmius inſiſtendo imprimeret, alternavit. Iam tum cœpit abſtrahi à terra, ut ſolebat, non modo mente, ſed corpore, cũ

cœpit

cœpit incedere pede suspenso. Complexus animo orbem terræ totum excurrere meritis, ac permetiri statuit, cū claudicavit. Exsecari se passus est, ut constantis viri simulachrū affabrè formaretur, nec sibi nobiliorē statuam exsculpi voluit, quam seipsum. Excepit æneam pilam, ut orbis terræ pilam Romæ remitteret. Subiit periculosam belli aleam, extra omnem virtutis, ac laudis aleam mox ponendus. In ludo Martis religioni prælusit robore animi, atque constantia. Commota tellus est eo resipiscente, quo motu jam tum fana Deorum cœpere quassari, atque hæreticorum pergama labefactari. mira res. soliditate propositi terram movit. Miles egregius in vulnere nactus est medicum religionis principem Petrum, præstantiorem omnino, quam Chironem Achillis. Hujus ipse fortitudinem est imitatus in bello, iracundus, sed in hostem Virginis matris. Ei gladium dedicavit, quòd ejus præsidio mallet armari. Bacillo quo senior firmabat gressum, infirmabat communem hostem, atque debilitabat; hac ille quasi clava ejusmodi monstra perdomuit. Eundem hostem ex ædibus nostris Lauretanis fugavit literis missis, de more victorum, haud dubiè laureatis. Eundem specie Cerberi sibi oblatum non extulit ex Acheronte, sed eo potius intulit,

tulit,ac retrusit, hoc Hercule laudabilior. Exercitationes veluti gymnicas instituit agonotheta præclarus eorum, qui tunc virtutē ostentarent, cum se abderent; tunc stadium conficerent, cum se quasi carceribus continerent; tunc se exercerent, cum quiescerent. Resipuit ipse igni bellico, desipere vetuit alios glacie palustri. eo quamvis gelu concretus Septemtriones in primis religione inflammavit. Fuit Ignatius Vindici nostræ salutis apprime similis; hoc tamen discrimine, quod illi tellus contremuit morienti, huic novam vitam instituenti, quamquā hanc ipse quoque tum acerbissimis cruciatibus sponte abdicebat. Hoc etiam inter se dispares, quod ille novas stellas, ac symphoniacos Cœlites habuit in stabulo nascens, hic, ut narrāt, in tumulo moriens; nisi forte idcirco, quia obitus ei fuit verè natalis. Hoc certe quis non miretur? cum excepisse sepulchri hospitio Cœlites immortales, in quo, tanquam in odéo, non gemitus audirentur, sed cantus, non epicedium, sed epinicium caneretur. Illud vero quam singulare? ut astra Ignatius extinctus accenderet, à quibus est elatus ad tumulum, quo tempore est illatus in Cœlum. Parentarunt ille sidera, quæ cum lacrymas non habe-

platione sæpe profuderat. Inferiæ in tumulum ejus injectæ fuere sidera, quia hæc in vita carissima. Mira dignitas Ignatii cinerum, qui alios non tegerent ignes, nisi sidereos, ejus nimirum cineres, qui cælestis patriæ desiderio aspectu siderum deflagraverat. vel tam claris funalibus honestari debuit, qui tantam lucem attulerat religioni. devocavit è Cœlo sidera non præstigiis, sed pietate. Obtulere se quondam stellæ venerabundæ Ioscpho in somnis, quod illi auspicium fuit dignitatis, & gloriæ; obtulere se eadem ratione Ignatio mortuo, quia mors ei somnus fuit, & quies, perventuro deinde ad fastigium gloriæ nomine sanctitatis. Inventa est etiam in Archimedis tumulo multo post sphæra cum stellis, sed fictis, ac sine luce, ideo tamdiu incognitus latuit, & obscurus. Ceterum admirabilior illo fuit Ignatius, qui non describeret Cœlum radio in Mathematico pulvere; sed radiaret in suo. Quantarum virium hic Atlas fuit, qui astra sustinuit vel exanimis? quâ gloria fulsit is, cujus splendor nec sepulchri sordibus obsolevit? Hic profecto ille est Ignatius honoris Pontificii acerrimus defensor, & vindex, sed aditu ad honores & sibi, & suis intercluso; Lutherum in primis impiorum ducem debellavit, copiis militum fortissimorum, quorũ cruore nobili-

bilitatus eſt magis,quam hoſtium. ab illis propugnata vera religio eſt,adverſarii profligati. jacet nunc Lutherus abjectus in ſuis ſordibus, atque cœno, Martium illud nomen evanuit. Calvinus in ſui nominis ſenio ſqualet. Oecolampadio Furiæ illi humani generis extorta eſt tæda de manibus. Melancthon pecudis inſtar in hara Epicuri continetur cum ſuo grege ſtultitia notatus. Caroloſtadio liberius excurrenti oppoſuerunt ſe Ignatii ſocii; quibus potius obtigit palma tangentibus metam optatiſſimæ necis. Confracta Bucero ſunt cornua, quibus in religionem impetum faciebat. Pſeudomatyri illi, ac ceteris Proteſtantibus abrogata jam fides eſt. Georgiani agreſtes putantur, & indocti. Oſiander falſo nomine pietatis ornatus, omni ſcelere contaminatus habetur. denique univerſis hoſtibus Romani cultus tã acre bellum indixit Ignatius, ut nihil ſit iis magis infenſum, quam ejus ducis nomen, ac miltitum fortitudo. ita ille undique triumphis illuſtris ſpecioſiſſimum trophæum de manubiis omnium gentium ſtatuit, ac Numini, cujus unius gloriæ tenebatur ſtudio, dedicavit. Poſtremo Societatis auctor ſocios etiam habuit, cum faſtis inſcriberetur, Indigetes.

Vt militiæ genus mutet.

ODE I. *Hor.l.3.od.20.*

VIndex amici Numinis acrior,
Te mœsta poscit Relligio Parens,
Citansque in hostem perduellem
Exacuit meliore pugna.
Te tolle castris, eripe pulveri,
Ne semper Alpes asperior colas,
Custos vel altæ Pompelones
Sollicitus tuearis arces;
Remitte tandem Pallada, lividum
Ne tange Martem cæde reciproca;
Neu perge sectari volúcrem
Famam, & opes, vacuumque plausum.
Plerumque tristes militibus vices,
Et Fors ovantem sternere pertinax,
Cæcusque Gradivi tumultus
Sollicitam tenuere mentem.
Frustra corusco fulmine nominis
Ostendis ignem, ceu Nemees leo;
Aut æstuosos torret agros
Sole furens Procyon iniquo.
Depone cristas, & galeæ jubam,
Sævumque vita murmur, & horrida
Tormenta Bellonæ per auras
Vi rapida jaculata glandem.
Tu martialem quid deceat ducem
Curas, Iberi nomen & imperI;
Forteſque Celtas, Foxiumque
Sternis agens gladio cruentum:

Sed

Sed acre pectus numine temperans
Deus te amico destinat exitu:
Ridetque bellantem superbo
Marte Ducem, trepidantem, & ultra
Fas constitutum. scilicet aneo
Te stravit ictu, non sine dissono
Fragore Pomplona ruentis,
Crura Pater jaculo fatigans.
Vis certa magni Numinis, ut lubet,
Mentem ferocem corripit, & Polo
Transmutat alto, liberumque
Vertit amans, & opis benigna.
Si sævus hostis fulmine patrias
Oppugnat arces, & quatit arduas,
Concurrat alter præliari
Laudis amans, caveatque ne Mars
Donet beati divitias Tagi
Rheno bicorni; te potius decet
Thoraca permutantem, & arma,
Pergama Romulidum tueri.
Sic tandem adauges Indigetum choros,
Lojola, Cœlo sic Latium sacrat
Delubra tollens dedicata,
Et faciens tibi ritè ad aras.

Bellica pila dejectus resipiscit.

ODE II. *l. 2. od. 19.*

IAm bellicosum machina Cantabrum
Dejecit, & vi perculit ignea,
Ictuque fatali caducus
Mente nova meliora versat.

Sic Pallas acri pectore detumet,
Furorque tandem desinit impetus
Insanientis; parce Pallas,
Parce gravi metuende ferro
Gradive; tabo sat Rhodanus rubet,
Sat præliorum: fas mage nobiles
Cantare pugnas, & fugatum
Marte novo sub Averna Ditem;
Fas & beati Principis additum
Divis honorem, sacraque Romula
Decreta, & aras atque fana
Marmorea bene ducta Memphi:
Tu victor acri Pallade Martium
Lutherum adurges; milite quin tuo
Calvinus olim viperinam
Cæsariem doluit recidi.
Talis per Alpes Cantaber arduas
Hostem lacessebas trepidum gelu,
Equum retorquens, & paventes
Exagitans acies premendo;
Quamquam Parentis non minus integræ,
Lojola, vindex protinus impiger
Pudoris hostem frangere, arma
Haud temerè instituis movere.
Tentavit insons Mulciber ignea
Te glande; princeps sed tibi Flaminum
Vnguenta depromens salubri
Rore latus, tetigitque crura.

Orbem terræ religioni subjicit.

ODE III. *l.4.od.15.*

D*Vcem coruscum Marte sub æreo*
Loqui parabam, castraque Gallica
Bello fatigantem, sed orsum
Increpuit leviora Phœbus,
Majora jussit dicere barbito;
Tu signa confers Romula Martius;
Direpta tu Ditis superbi
Postibus imminuis trophæa.
Vinclo coërces, Dive, domabilem,
Nec errat audax orbe licentius,
Sontesvè debacchantur Vmbræ,
Eumenidum neque turba sævos
Intentat angues; injicis ordinem
Rectum, & procaci fræna Cupidini;
Formidat & culpari Honestas;
Erigone revocata Cœlo
Terras revisit pulchrior. auspice
Te Roma crevit, te duce latius
Regnavit ultra Gangem, & Indum,
Et tacitas Orientis oras.
Quondam ferocem te vigor impotens
Egit per Alpes indomitas nive:
Plutona nunc cude arma contra,
Qui nocuas inimicat urbes
Cœlo, beatumque exigit otium
Terris; quid ultra tendit avarior
Prædator Orcus? sat renidet
Exuviis miserorum adauctus.

Sic annuis te lucibus, hostia
Diviniore, & turicrema pii
Beamus ara. ritè votis
Indigetem juvat apprecari.
Alto repostum nuper in æthere
Te tibiis, te carmine, Cœlites
Augentem, & astrorum choréas,
Progenies tua nos canemus.

Agmen instruit in Lutherum.

ODE IV.

Nunc Roma festos instituat choros,
Nunc Flamen aras dedicet hostia
Votiva, odoratamque acerram
Impleat Indigeti recenti.
Nuper sacratis legibus additus,
Signis recedens perfuga Romulis,
Lutherus aris bella movit,
Et miseras furiavit urbes;
Insanientum cum grege sæviit
In templa Divûm; quidlibet impotens
Audere, & æstro pervicaci
Percitus exitium parabat.
Sed contumacem perculit impetum
Lojola, lymphatamque coërcuit
Mentem, nec infaustas ruinas
Romuleæ meditatur arci.
Afrum draconem ceu rapit armiger
Ales fatigans; ceu Nemees premit
Robustus Alcides Leonem,
Et spolio haud humili superbit.

Op-

Oppreßit alti viribus ingenI
Fatale monstrum; nec furor impius,
Nec tela terrent, sed suorum
Cæde pius reparavit oras
Orco relictas, ultima fortium
Adire terrarum, induere & gravi
Mucrone pectus, ne rapaci
Præda cadat miseranda Diti.
Feruntur ultro quò vocat arbiter
Rerum Quirinus, vulnere milites
Deliberato; quippe Romæ
Ius repetunt, Latiique cultus.
Adversa ferro pectora devovent;
Aras tuentur, nec Superûm sinunt
Delubra vastari superbo
Excidio, immeritoque probro.

Ejus vulnus cedit in religionis bonum.

ODE V. *l.2.od.13.*

I*Lle auspicato vulnere nobilem*
Direxit ictum; tela Cyclopea
Quicunque tormento rotavit,
Sulphureum jaculatus ignem
Siphone aheno, pulveris abditi
Fomenta cæca subjiciens face
In nomen IgnatI superstes,
Conspicuum decus ac nepotum.
Oracla novit, fataque provida,
Præcepit alta mente quid indoles,
Quid posset IgnatIque virtus
Tænarias agitantis Umbras;

Qui Martiali stravit agens Ducem
Campo minacem ; vulnus & intulit
Laudandus hostis, poplitemque
Corripuit fragilem caduco.
Quid cuique Numen destinet, haud satis
Perspectum in horas ; Tutor Iberiæ
Nullum perhorrescit, lacessens
Mente ferox mala, fata ludens ;
Temnit sagittas, & volucrem sequi
Gallum, superbi signifer Hesperi
Tuetur arcem ; ac tela custos
Pervigil ejaculatur hosti.
Sed intonatum pulvere bellico
Repente tormentum impulit, & gravi
Fragore turbo, qualis ardens
Iuppiter aëriam cupressum.
Vt crura telo fregit aheneo,
Ibera virtus Martia concidit
Deprœliantum ; at gliscit illi
Vis animi, rapidæque mentis
Afflicta morbo. regna Proserpinæ,
Ac penè limen vidit, in ultimam
Luctatus horam, dum tenaci
Vulnus hians jaculo fatigat.
Magnus Sacerdos adstitit, adstitit
Repente claro lapsus ab æthere,
Argenteum Diana currum
Dum medio rapit orbe pernox :
Sic deinde pectus contudit igneum :
Regnata Marti sæcula jam fuge,
Turresque Pomplonæ ruentis
Mitte diu trepidans tueri :

Ne

Ne perge campo immittere Cyllaron,
Rituque telum tendere Serico;
Depone parmam; damna Martis
Dura mali fuge, dura belli.
Ac te moventem prælia fortius
Mirentur Vmbræ; versâque Tænara,
Manesque & exactum Tyrannum
Compede tergemina prementem:
Defende Romæ vulnera, & hostium
Inominatam vim preme vi prior;
Nec Alpium cura juventam,
Ac profugos agitare Celtas.

Gladium Dei matri virg. dedicat.

ODE VI. l.3.od.26.

VIxti cruento sæve negotio,
Lojola, nuper non sine gloria,
Nunc arduis functum periclis
Poscit Amor sibi dedicatum,
Arcus pharetra cui sonat aurea,
Hic, hic piorum ductor, inutili
Frustra fatigatum labore
Signa sequi meliora suadet.
O quæ beato Numine dedicas
Delubra Montis, magna Parens Dei,
Regina, Lojolæ ferocis
Tange animum pia pervicacem.
Deponat, oro, fulgur acinacis,
Teli frementis vulnere saucius.
Cristasque deponat comantes;
Exuvias paries decorus

Ostendat altè, gesaque Gallica;
Et signa canis non semel Alpibus
Divulsa Pomplona tumultu
Oppositis foribus redonet.

A S. Petro sanatus piè vivere instituit.

ODE VII. *l.1.od.34.*

Lojola cultus Romulei sciens
Parum, laborum callidus acrium
Dum Marte savis, auspicato
Vulnere nunc revocare cursum,
Castoque gaudes flectere Numini,
Vltro revolvens carbasa, protinus
Reflante Cœlo; namque Divus
Tergemina rutilus tiara
Insigne tendens claviger aureum,
Quo pandit alto cardine lucidi
Postes Olympi, quo coërcet
Indomitos Acheronte Manes,
Silente visus nocte nitentior
Tergere somnum, findere nubila,
Gravesque tollens mentis umbras,
His animum pepulisse dictis:
Ah siste quò te cunque rapit furor,
Sat versat acri militia diu
Bellona, & æstro martiali
Exagitat per acuta belli.
O perge tanti signifer agminis,
Fatalis Orco; qua mora detinet?
Depone loricam trilicem;
Mitte supervacuos tumultus

Belli

Belli. juvat jam cogere militem ;
Accende Martem nomine ; Tanari
Princeps, Avernalesque fratres
Conciderint. spolia ampla duces
Ditis subactas attenuans opes,
Cœlumque adaugens divite Memnone
Sciens triumphorum, & Quirini
Iura potens retulisse terris.

Merito inter Indigetes numeratum dicit.

ODE VIII. *l.1.od.10.*

C*Antaber Cœli novus Hesperugo,*
Corda qui conflas meliore flamma,
Et pio cultu vitiosiorum
Pectora formas,
Iura tu custos Latii tueris
Iura nequicquam Batavo refixa,
Instruens nos Palladia decoros
Arte palæstra.
Te canam Cœli decus ô nitentis,
Te ducem, ac pulchræ sobolis Parentem
Strenuum, quicquid Thetis ambit, almæ
Subdere Romæ.
Tu nisi afflictus crepitante telo,
Perque libratam caderes sagittam,
Mulciber ni crura bene ominato
Frangeret ictu,
Haud Avernales premeres maniplos,
Nec Styga, & Manes, duce te, superbos
Sterneret pubes animosa Ditis
Perdere Regnum.

Iam pias auges animas beata
Luce. te Cœlo Indigetem reponit
Frena qui rerum tenet, & sacrorum
Iura Sacerdos.
O parens magni generis, Sabæa
Messe odoratas adolemus aras,
Gratus ô Cœlo, metuendus Orco,
Candidus orbi.

Revocatur à campeſtri ſtudio ad cœleſte.

ODE IX *l.2.od.I.*

QVis inquieti Martis erit modus,
Lojola, tandem? prælia destinas,
Altamque Pomplonam tueris
Opprobrii haud patiens Iberi.
Virtus ferocem protinus evocat,
Fortemque nisus edocet arduos,
Et liberæ devota morti
Agmina consociare suadet,
Spectacla, torvo quæ furor obtulit
Superba Martis. laudis amor citat
Vrgens morantem, nobilis te
Palma beat, decus & resorbet.
Ne tinge dextram cæde cadentium,
Ne tinge Rhenum; parce cruoribus,
Ludumque Bellonæ timendum
Mitte ruens medios per hostes.
Paullum iuventæ siste ferociam,
Desitque Pallas; mox tibi Romula
Res ordinanda; castra coges
Indocilem domitura Ditem.

Insigne lapsæ præsidium Fide,
Et fortis hostem frangere perfidum,
Quem laurus æternat tuorum
Mille ducum memorem triumphis.
Iam nunc rapinæ Dis malus abstinet
Vinctus catenis; milite Cantabro
Mire lacessitus, fugaces
Sollicitans Erebo catervas.
Quandoque pressus vulnere concidis
Minus pudendo, se tibi destinant
Iam cuncta terrarum, Scythæque
Difficiles, & atrox Iapon.
Franciscus Indis nuper amicior
Mundi latentis pertigit arduos
Fines, inexploratum & orbem
Ingrediens nova jura sanxit.
Quæ regna cæco perluit æquore
Extrema Tethys; quis latet angulus
Mundi repostı? signa latè
Explicuit generosa virtus,
Gratante Roma, quà jubar exerit
Sol, quàve condit. quare age providus,
Lojola, Gradivum retractans
Castra move meliore voto.

Vt suos obarmet in religionis hostes.

ODE X. *l. 1. od. 2.*

GEntis, Ignati, bone dux, & auctor,
Quem super Cœli radiantis orbes
Extulit virtus, Latiique cultus
Munere donat:

Te

Te prece appellat trepidus perire
Æger, ut mitis per acuta morbi
Expedis; voti reus ille sæpe
Accidit æris.
Fortis Alcidæ seriem laborum
Vincis; ut vindex, domitorque mentis
Liberæ frænas animum rebellem, &
Iura volendi.
Nocte sublustri studiose Cœli
Ducis astrorum meditans choréas,
Eluens curas, & amara vitæ
Nectare Divum.
Sedulus Cœlo properes, tuasque
Divus interßis bonus inter aras,
Quas Quirinalis, tua cura, Princeps
Dedicat ultro.
O Amor nostri generis, decusque
Dulce, quid cessas? calet ara multo
Thure, delibatque Deum latentem
Rite Sacerdos.
Signifer tecum rape castra, profer
Arma, speratos, age, duc triumphos;
Neu sinas hostes Latium protervos
Temnere Numen.
Martis insani satis, atque motus,
Agmen infestum domita, ducemque
Martium; Bezenque gravem Trionum
Perde tyrannum.
Aspicis? cæco trepidant tumultu
Vertere æternas violenter aras,
Frangere ac Divum simulacra, & alti
Culmina templi

Ire succensum; metuente Roma
Impetus Ari malè pertinacis,
Quique lymphatus sine mente Manes
Saeviit Urbi.
Frange Calvinum generose clava,
Et malum templis Osiandrum, & acrem
Manlium vince, & furialis Oeco-
Lampadis ignes.
Coge nunc agmen, tibi cura Caelo
Credita, Ignati, sceleris piandi;
Impios terrae radiis Olympi
Clarus, & astris;
Sive te Romae propior procella,
Et metus rerum ciat imminentum;
Sive juratas acies in hostem
Ductor obarmes.

Stygii regni vastatorem dicit.

ODE XI. *l.2. od.8.*

Templa dum lustras Superûm, recensens
Sidera; & clarae taciturna noctis
Signa, vibratum tibi ferre Orion
Tradidit ensem.
Scilicet nuper simul ipse magnae
Obligas Romae caput, arma tractas
Acrior multo, meliore & hostem
Marte lacessis.
Maeret hoc Ditis gravis ira, maeret
Eumenis pallens, acuens & iras
Irritos angues tibi viperino
Vertice tendit.

Casta jam pubes tibi, Dive, crescit;
Castra jam crescunt nova; non multum
Impii regnum domini relinquent,
Arma minati.
Te suis Pluto metuit maniplis,
Te nocens Orcus, pavidique Manes,
Ne triumphata Styge victor alte
Signa revellas.
Nulla me juris male pejerati
Pœna divexet, precor, alme; prono
Ferre da collo juga, da carentem
Labe juventam.

Gratulatur de ejus apotheosi.

ODE XII. *l.1.od.36.*

ET testudinis aureæ
Nervis, atque Arabæ messis odoribus,
Et libis Cerealibus,
Mutatique juvat nectare Liberi
Sidus nobile Cantabrum
Cœli sede, novis ponere ritibus
Augentem Indigetum choros.
Ardet flamma recens; alter & Hesperus
Orbe intermicat aureo.
Multis ille bonus munera dividit,
Felici Hesperiæ solo,
Multa, olim patriæ Cantabriæ memor;
Nulli largior extitit
Quam charo generi, dona nepotibus
Effundens opulentior,
Regnati properans divitias poli.

Cressa

Cressa ne careat nota
Obsignata dies pulchrior, & novo
Flavescens Hyperione:
Neu sit Threiciæ pigra quies lyræ.
Clio pellere barbiton
Certa, & vince modis blandior Orphea
Amnes sistere callidum,
Iam Mystæ faciunt Numinis hostia,
Et ducunt liquidum Deum.
Ite ô, vota Duci solvite martio,
Vrbis dicite Cantabræ,
Natalisque decus nobile patriæ,
Nostri Delon Apollinis,
Ortum & sub nitido Vespere Phosphorum.

Religio tutelam ejus poscit.

ODE XIII.

I*Bere Mavors, Hesperiæ decus*
Pugnacis, acrem militiam moves
Iuratus, & Gallum ferocem
Sternis eques metuendus hasta,
Vitamque Pomplonæ trepidis agis
In rebus; ac te Relligio simul
Mirata bellantem, per hostes,
Et medias acies citatum
Implorat ultro. Quin bonus agmina
Cogis lacessens Saxonas impiè
Romam terentes, & Sicambros,
Turpe genus PelagIque & ArI
Semen relictum? me male perdidit
Protervus hostis, dum properat via

Iter negata, Vaticano
Arma movens inimica Patri.
Quid usque pugnæ pulvere sordidus
Campos cruentos Hesperiæ teris
Auriga præceps, & citatum
Electis equum levior sagitta?
Aerem fatiget Thracia Persidem,
Et Marte Maurus sæviat impio;
Agat pharetratos Gelonos
Per medias gravis ira cædes.
Tu præliorum desine tristium,
Perrumpere ardens nobilioribus
Averna castris; verte fundo
Tænaraque imperiumque Ditis.
O cura Cœli, Numine dextero
Nomen repostum dulce nepotibus.
Tuere felix, signa confer,
Inque Erebum nova castra produc.
Lex hæc tuorum, si jubeas sola
Obire terrarum, & mare Caspium,
Vtraque Syrtes æstuosas,
Nutus aget celeres inire.
Francisce testis; cui Thetis ultima,
Cui bellicosos aurea subdidit,
Aurora Reges, jura qui das
Legifer imperiosus Euro.
Nec tu decoro vulnere nobilis
Indictus ibis Ausoniæ decus,
Rodulphe, natales cruore
Insiciens, Aquiviva, fontes;
Amica lethi gens tua liberi,
Infracta pubes, promptaque barbarum

Tinxisse

Tinxisse ferrum, damna vicit,
Marte novo, peritura vicit.
Decora labis nescia sordida
Intaminatum Relligio decus
Servo, nec amentis magistri
Ingenio malè docta ludor;
Cœlum recludens devoveo Stygi
Flammante tada non dociles sequi,
Cœtusque damnans pertinaces
Destituo fugiente penna.
Tu perduelles aggredere ocyus
Vltor; vetabis principe sordido
Contaminentur regna, & urbes;
Et Latii monumenta Patris;
Nutumque ludat; debilita gravem
Hostem, vel acri vulnere debilis,
Ne parce pugna, consequi hostem
Namque potes pede, Dive, claudo.

E castris evocatur ad religionem tuendam.

ODE XIV. *l.2.od.17.*

Quid Gallicanas exagitas ferox
Lojola gentes? Tartara subrue;
Hoc Cœlo amicum est, Vaticani
Nominis ô decus, atque vindex.
Te martialis si rapit impetus,
Et acrior vis, qua mora detinet?
Committe pugnam, victor urge
Regna profunda; bene ominato
Casu ruinam duc, age, Tanari,
Te concidentem Dii metuat cadens;

Refringe vires, & superbum
Confice jam jaculo supremo.
Te non Chimaræ perdidit igneæ
Telum, sed alto juvit ab æthere
Tutela Cælestum, & procellæ
Eripuit, subitique fati
Compressit alas, machina cum gravis
Tonante flamma concrepuit premens;
Te crura fractum glans ahena
Sustulerat, nisi Petrus ultro
Sanasset ictum subjiciens opem.
Nunc alta calcas sidera; & hostiam,
Ædesque sollemnes sacramus,
Et proprias adolemus aras.
Quandoque honori Romulidum Patrum
Consentit ordo purpureus, sciens
Virtutis, & Princeps Quirinus
Indigetum choreis remiscet.
Frustra laborat Roma Trionibus
Injuriosis; nec violentior
Arctos, Bootes ac tyrannus
Egelidæ metuetur oræ,
Vim ludet hostis, dedecorum nota
Intacta semper Relligio. Mimas,
Rhætusve surgat, pervicaces
Fulmine ages metuende, & igni.

Quantum religioni profuerit, ostenditur.

ODE XV. *l.4.od.5.*

O *Magnis atavis edite, fortium*
Dux Ignatiadûm; Roma potentior

Quem

Quem censet Superûm ritè volentium
Sancto Concilio parem.
Nempe hac illa tui lux Hyperionis:
Instar solis enim sæpe tuas ferunt
Effulsisse genas, & rutilum face
Vultum illuxe paventibus.
Per te Relligio regna perambulat;
Culpari metuit mobilium fides
Anglorum; rediit candida Faustitas
Cœli divite copia.
Nulla polluitur labe recognita
Martini soboles: edomuit nefas
Lojola, & tumidi contudit ingenI
Vires Pallade Romula.
Quis septem timeat sidera Plejadum?
Aut quos vipereos parturit Eumenis
Fœtus? perfidiæ monstraque? quis feræ
Curet vulnera Daciæ?
Condit quisque diem criminis integer,
Et voto superans supplice Cœlites;
Hinc convivа pius nobilioribus
Mensis haurit hians Deum.
Te multa prece, te prosequitur miser
Fletu, Cœlitibus sæpe tuum quoque
Miscet nomen; uti Roma Quiritium
IgnatI veteris memor.

De ejus apotheosi.

ODE XVI. *l.4.od.3.*

S*At certamine Martio*
Lojolam tenuit Pallas, & impigrum

Claravit Rhodano Ducem
Innectens foliis tempora Deliis;
Quod Pomplona diu stetit
Olim præsidiis certior unius,
Te virtus Capitolio
Deduxet memori robore nobilem.
Insignem niveis equis,
Et palma viridi, ni globus igneo
Stravisset jaculo ferum;
At non indecorem Mulciber occupat,
Roma Principis urbium
Sic arces veteres, & Latiam fidem
Servas incolumem cadens.
Te nunc illa potens inter amabiles
Ponit Cœlicolûm choros,
Aras perque novas Indigetem vocat.
O quæ Palladis aspera,
Et Martis strepitus, Gratia, temperas,
O diras quoque lanceas.
Mutatura, velis, falce benignius
Munus dulce tuum hoc erit,
Quod Lojola ferox vim bene mitiget
Vindex acrior imperI,
Quod Diti melius prælia destinet.

S. Petrus eum curans ad majora incitat.

ODE XVII. *l.1.od.7.*

HEsperios olim fasces, ac ditis Iberi
Tergeminos miratus honores,
Et proceres, magnosque duces, heroas & agno
Insignes, ostroque decoro,

Castra petis; Mavors animum percussit honestum;
Hic labor, hac te cura remordet.
Seu spoliis ornare lares, seu tempora crista;
Et gladium vibrare coruscum:
Fulget ut aurato mucrone armatus Orion,
Sic medios Lojola per hostes
Ense ferox ardes, sic te illi Marte tremiscunt
Indomito commissa tuentem
Pergama; sed Divûm princeps tua vulnera curans,
Sic ægrum est affatus amicum:
Quo te cumque feret melior Bellona, movebis
Arma potens, te Romula poscunt
Signa ducem, ne necte moras, socia agmina junge.
Terrarum speranda salus est
Auspiciis Ignatiadum; sic certior ipse
Vates eventura resolvo.
Exuvias tellure nova, & spolia ampla ferendum;
O sortes per damna, per undas,
Perque ignem socii; extremos penetrabitis Indos
Oceani per littus utrumque.

Ad præclara agenda sanatus accingitur.

ODE XVIII. *l.2.od.7.*

O Magne custos Hesperiæ, Parens
Lojolidum, quis militia tenet
Diu cruentum? Pompelones
Pergama dum novus Hector alta
Tueris audax; ludis in alea
Periculosa, quippe alios metu
Agente retro, solus hosti
Obstiteris, Rhodanique turma

Spe destituti jam celerem fugam
Tentant, relicta, te sine, parmula;
Te crura fractus nec minari
Desinis exagitans phalanges,
Vultuque terrens; scilicet horruit
Hostis frementem, nec timidum mori,
Claudumque te non indecoro
Vulnere, ut patria ferocem.
Infracta virtus vel fragilis pedem
Alternet, & vestigia, ni cadas,
Rursum resorbebit valentem in
Pralia Mars, & amica Pallas.
Quis vulnerato deproperare opem,
Curetve nardum, quaque Machaonis
Ars elaboravit? capaci
Balsama devoluatque concha?
Sed Petrus Vrbi providus ilicet
Dextra jacentem sustulit, & pius
Pertentat altum vulnus, addens
Ambrosia panacem salubrem.
Remitte pugnam nunc age, Palladis
Oblivuosus, militia & latus
Depone fessum, ictumque telo
Arbore sub domini cruenta.

Ignatii in gelido lacu ad procacem juvenem Προσωποποιΐα.

ODE XIX. *l.1.od.18.*

Decus juventa perdere Cypria
Ne trade, telis eripe pectora
Nati, & verecundo pudori
Consule sollicitus tueri.

Amor

Amor pudicus dissidet alite
Minus pudenti, & perdere callido
Mortale corpus, ver & avi
Purpureum spoliare honore.
Ah ne severi tu quoque supplici
Partem resumas; scilicet Oppida
Incesta, & execrata dicant,
Quæ pereant populata flamma.
Compensat ignes non alia Venus
Mercede, mentem dum quatit, excute;
Amore neu pecca doloso;
Perniciem trahit ille amanti.
Cessat voluntas? hic ego diluam
Nefas, pruinosi patiens gelu,
Hic erubescendas palustri
Amne faces, lacrymaque vincam.
Quæ te veneno Thessalis imbuit
Medéa demens? quæ male perdidit
Circe? triformi quis revinctum
Mulciber implicuit Chimæra?
Ah septiformi digne magis puer
Flamma, pudicum quæ bene torreat
Pectus; Charybdi quid laboras
Navifraga, Cypriaque Syrti?
Depone mentem, consilium procax
Remitte castus, te potius pudor,
Cœloque delapsus corusco
Afflet Amor meliore tæda.

Reliquæ odæ ejuſdem argumenti Πρoσωποποιΐαν continent.

ODE XX. *l.4.od.10.*

IMpermiſſus Amor cum juveni ſubjiceret faces;
Sic Lojola rigens ſub gelidis increpuit vadis;
Infelix nimium quò properas vi Cythereia
Præceps? verte nocens propoſitum ſupplicii memor;
Inſperata brevi corripiet pœna Cupidinem.
Te, quem nunc decorat forma prior murice Punico,
Deformem capulo mox Libitina efferet, efferet.
Vltrix te Nemeſis ſanguineis uſque ſecans flagris
Impellet nocuis Manibus, ac turpibus incolis.
Nequicquam ſapies ſerò, gemens mole ſub ignea:
Quæ mens cæca fuit? curvè faces non Venus obruit
Vndis orta, fretis & mediis? perfida nunc Venus.

ODE XXI. *l.4.od.13.*

SIc pœnas Superi deſpiciant meas,
Sic votis placidi mitibus annuant,
Dum demente Cythera
Ludiſque & ſuris impudens;
Tu cæci ſtimulis acte Cupidinis,
Lymphate heu vetito tu mareotico
Pergis; me gelu acuto
Flumina, quæ ſteterunt, tenent.
Vrunt frigora me, ſævaque verbera
Immitis Boreæ; ferre juvat nives

Artes,

Acres, te quia tæda
Vrunt, & Gnydiæ faces.
Te non ira movet vindicis ardui?
Non suprema dies? quæ simul igneo
Terras hauriet æstu,
Includet rapida Styge.
Quo fugit pudor, heu? quo decor integræ
Mentis? quòve abiit Sophrosyne decens?
Quæ spirabat amores
Olim sidereos, puer
Cum nondum rapidi tela Cupidinis
Sensisses; tibi jam candida lilia
Ille heu messuit audax
Deturpans animi nives;
Reddam quippe vices hic patiens nivis,
Tossis ut juvenis cernere fervidus
Multo non sine fletu
Restinctas glacie faces.

ODE XXII. *l.3.od.15.*

EHeu victima Tanari,
Turpis nequitiæ desine, desine
Famosæque libidinis;
Floris virginei ne decus obtere,
Integræque puertiæ;
Ne primis nebulam sparge nitoribus,
Pulcramvè infice purpuram.
Tu, si quid Paphiis ignibus impudens
Ardet Thracia, vel Scythes
Peccat, ne simili lude licentia.
Te textu Cilicum aspero
Fas est, & lacerum verbere corrigi.

Tradis verba Noto procul
Ferre ingrata? feram damna ego sobrius,
Dum tu Cypridis ebria
Exhauris avidus face tenus cadum.

ODE XXIII. *l.2.od.14.*

Quo mentis expers in Venerem furis
Equi hinnientis more, neque impetum
Frenas domando? quin pudicis
Consiliis meliora fingis?
Circa procaces est animus jocos
Cupidinis, seu pectoris igneum
Citantis aestum, sive ahena
Expositam pharetra sagittam
Non insolentis tendere; providus
Praeverte vulnus, ni clypeum pudor
Opponat obnixus, decorem
Turpior inficiet cicatrix.
Eheu Tonantis si furor occupat,
Nec robur avi, nec vigor impigrum
Morabitur fatum, resistens
Viribus, indomitamque mortem.
Vises sub Orco monstra Cyclopea,
Manesque turpes, & Sodomae genus
Infame, damnatumque flammae
Vulgus iners, Erebi sodalis.
Obliviosus nunc male vindicis
Da ludum Amori, solvere fervido,
Dum vinctus acri frigore artus
Interiore lacu fatigo.

ODE

ODE XXIV. *l.3.od.10.*

PRô sacrum caput improbo
Diti, quò celeras? siste miser, miser.
Oestro te Idalio juvat
Insanire, velut concita tympano
Thyas vi Berecynthia
Fertur. te vetitus torret amor satis,
Me sævis Aquilonibus
Concretum sub aquis urit hiems satis.
Pœnis consule jam meis.
Si non Lerna tibi, non Nemee effera
Nutrix, cur sinis aspera
Bruma, meque lacu funditus algido
Te, te propter inemori?
Cernis quæ teneant flumina subditum?
Quo concreta palus gelu?
Duravit Boreas ut glaciem, & malus
Nudum verberet Africus?
Ardentem nimium pone Cupidinem,
Puris urere amoribus.
Te non barbaries difficilem Deo
Getulo genuit patre:
At si nec rapidi fulmina Vindicis,
Nec terret Phlegethon niger,
Aut Cocytus aquis ater olentibus
Hæc te flumina candida
Bruma, teque nives; hæ revocent nives.
Sat, jam parce, fui lacus
Algentis patiens; sponte quid ureris?

ODE

ODE XXV.

CONtaminati lustra Cupidinis,
Heu mitte, quondam scilicet igneo
Vexante Vulcano procacem,
Et Stygiis agitante tædis:
Ne firmus hora fide volubili;
Viror juventæ protinus arida
Ceu fronde canescet, Boréo
Cum sylüa cecidere flictu.
Ne finge longum Nestoris otium
Ævo rapaci credulus; haud senis
Te sæcla Tithoni morantur;
Fata time nimium dolosa.
Mors occupabit te querimoniis
Culpantem acerbæ vulnera; prodigam
Ne rere Parcam; nec perennat
Dulce rosæ brevioris ostrum.
Spectata vati sidera callidò
Insana fallent. lusit Olympias
Plerumque spem frustra morantem,
Vanaque destituere lustra.
Eheu severum cudit acinacem
Furor Tonantis; spicula plurimo
Iam felle acerbat, perque raucas
Fulmen agit gravis ira nubes.
Sed perge tandem quo rapit acrior
Vulcanus, Ætna Cypride conflagra,
Nardoque odoratas refusus
Molle comas, Arabumque myrrhas.
Decore ficto turpior, infice
Castum pudorem; cordis & ignei

Curas

Curas edaces cæcus exple,
Me nive, me glacie ligante.
Sic diſsipabo tela Cupidinis
Stupente dextra; ſic rigor ocyus
Reſtinguet ardentem Cytheren
Fluminis horridiore lympha.
Emerſit olim ſpumea Nereo,
Mergatur unda, gurges & obruat;
Hic occidat, quo fluxit ortu,
Naufraga, me ſcelus expiante.

ODE XXVI. *l. 1. od. 15.*

DEmens exitio cum traheret Venus
Inceſtum juvenem, ſe pius intulit,
Lojola egerido fluminis alveo;
Tum ſic attonuit gravi
Vrgens voce: Tui quo ruis impotens?
Quo pergis Paphio ſaucius aucupe?
Vt pectus tumuit vulnere? ut æſtuas
Lymphatus Cythereia?
Eheu quanta tibi flamma reſorbuit
Incenſum jecur, & quanta citas mala?
Iam ſævam Genitor tendere dexteram,
Iam telum parat igneum.
Non tu mente moves irremeabilem
Cocytum? rapidam non Styga reſpicis?
Vexant Eumenides; illacrymabilis
Cyclops vexat, & excoquit
Igni ſulphureo forcipe torridum
Iam jam verſat agens, triſte feres quoque

Biu-

Brumas. ecce sitit ducere sanguinem
Venis Orcus hians tuis:
Illum, qualis ovis præda nocentibus
Errat forte lupis, immiserabilis
Explebis sanie, digne polo, integræ
Quondam purus aqua puer.
Tempestiva diem proferet ultimum
Astræa, & geminis lancibus imminet;
Orbem namque brevi (vera fides) vorax
Ignis uret, & obruet.

ODE XXVII. *l.1.od.25.*

Parce libatum violare florem
Consill præceps juvenis protervi,
Sub gelu multas pereuntis horas
Parce labori.
Flamma adhuc imas populata venas
Haurit? hic duræ patiens pruinæ
Thracio exhorrens Aquilone sistam
Fulminis iras.
Quandiu flagrans nimium libido
Pellit insanam sine lege mentem,
Sævit & circa jecur ulcerosum
Improbus ignis;
Aspera vincam glacie calentem,
Et tibi avertam Styga destinatam,
Algidos artus hiemis sodali
Flumine damnans.
Siste sub septem gelido Trionum
Axe; sub Cælo Scythiæ, aut severis

Al-

Alpibus, crudele feram gelu, te
Sospite ab igni.

ODE XXVIII.

O Prodige auri, prodige opum nepos
Discincte, tantus quis furor eripit
Mentem? decoram quid juventam
Stultus amans sine amore turpas?
Te vana Grajûm fabula decipit;
Florem Dione haud purpurat, invido
Sed carpit ungui, sed pudoris
Purpurei decus omne perdit.
Ibis, Cupido quò rapit ultima
In damna praceps non sine nominis
Opprobrio; sic tauriformis
Vis animi ruit impotentem
Furore caco; quin age turpium
Desiste tandem, dux ego consilI,
Hic tadam Amoris non pudici
Obrue frigidiore lympha.
Perdam marina vim Veneris, simul
Immergar unda, teque procaciter
Æstu inquieto fluctuantem
Eripiam gelido sub amne.
Spernis rigentem sub glacie horrida,
Concretum & artus indociles nivis?
Iam sava tendit tadam, & ignem
Eumenis exagitans protervum.

ODE XXIX. *Epod. 14.*

INfelix cui sava Venus diffudit anhelis
Cupidinem pracordiis,

Philtra quid ore trahis nocitura? sed integra morum
Insanientem corrigit
Sophrosyne, & vetat incestas attingere flammas,
Et impudica gaudia.
Non aliter Vatem narrant arsisse dolosum
Adultera, caso viro;
Qui deinde immanem testudine flevit amorem,
Dolore percussus gravi.
Fœdera te meliora manent, te pulchrior ignis
Delapsus accendit polo;
Hic te castus amans, hic torreat ardor amicus,
Nec Cypris usque maceret.

ODE XXX. *Epod. 5. & 10.*

NAm quò te amoris impotens vesania
Sine mente lymphatum rapit?
Furere ah miser desiste, neve florido
Pudori honorem decute,
Simul resorbens inverecundus furor
Egit juventa fervidum.
Non horridi tu regna Plutonis times?
Vmbra nigrorum Manium
Nil territant? Harpyja & uncis unguibus,
Tetraque vultum Gorgones?
Furiaque densum viperis compta caput,
Et furva monstra Tanari?
Interminatis usque tu doloribus,
Et usque flammis suppetes,
Reditum unde Pluto sceleris ultor abnegat;
Nec blandus Orpheus carmine,
Labor nec Alcida extrahet. quanto puer

Inæstuas

Inæstuas rogo miser ?
Prô quantus instat vindicis Cælo furor,
Quanti malorum vortices ?
At ille surdis auribus frustra dolor
Fatiget aversum Deum,
Metuenda terris cum remugiens tuba
Ad arduum evocaverit
Tribunal, intonata cum franget reum
Mundi procella naufragi.
Amor quid amens provocat Cæli minas ?
Tot damna quid trahis tibi ?
Libidinis devotæ, & acris impotens
Iuventæ, inexpleta siti.
Nil te severa hæc bruma, & imis spiritus
Petitus è præcordiis
Revocat misertum? glaciat adstringens palus
Tremente dicentem sono.
Hoc frigus immerentis heu quondam tibi
Erit renitenti sacrum.
Hoc cerne corpus, quale possit improbi
Restinguere incestas faces.
Hic expiabo, plectar hic, minabitur
Quodcunque tempestas poli.
Satis superque me acre devinxit gelu,
Te Cypris evinctum tenet.
At expedire si nec Ignati rigor,
Nec liberæ voces queunt,
Expediat ardor igneus pulchri Dei,
Præterque cuncta amabilis.
Iram diu repressi, acutis his aquis
Acuta sistens spicula.
Frustra morabor amplius telum grave,

Iam pœna corripit gradum.
Cave, in procaces ille namque acerrimus
Parata tendit fulmina.
Haedum tonanti voce Lojola increpat,
Acrique inhorret frigore;
Inhorruit spectaculo Iuvenis; pudor
Infecit insolens genas;
Lacryma tepente fovit, amplexu tenens,
Vinctumque dissolvit gelu.
Non hydra par revicta Lernæo lacu
Decessit Herculea manu.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM

SIVE

ODARVM

LIBER XII.

De S. Francisco Xauerio.

Πρeοαὺλιον.



Vum vero inexuperabilem ô Francisce Xaveri, spiritum quo carmine prosequar, nescio; eximia enim pietate dubium reliquisti, utrum disjunctissimas terras pluribus illustraveris passibus, an trophæis; cursibus, an victoriis. Reliquisti fortasse ob miram in excurrendo celeritatem vestigia pedum pressa leviter, sed vestigia laudum fixa firmiter. Iaponiam quippe itineris immensitate discretam, æstuariis clausam tua virtus penetravit; solus in confertissimos barbaros te immisisti; solus tot ararum, ac delubrorum eversor, undique frementibus, & acri studio ad te opprimendum nitentibus Indiæ mysta-

gogis; hinc profanos ritus tollens, huc ſacros invehens, ereptus ſæpe divinitus ex inſidiis, ex telis, ignotis antea gentibus ſpectaculo fuiſti: deinde inter egregios labores conſopiri potius, quam extingui viſus es, inaudito prodigio perſeverans in calce diu vegeto corpore, ac prope ſpiranti. Tu nimirum ille es, qui primus Orienti lucem attuliſti ab occaſu, qui novum terrarum orbem Vrbi ſubdidiſti. E Lycéi porticu, ad patentes Indiæ campos, ex Europæ finibus ad Iaponiæ terminos excurriſti, ut nulli eſſent Chriſtiani Imperii fines ac termini. ſtadium propoſuiſti tibi orbem terræ, metam religioni nullam; periculis infractus Deorum ſigna fregiſti; aris ac delubris everſis, aras ac templa meruiſti. Præclarum Sororis vaticinium fuit de te vaticinaturo præclarius. Tuam porro præſtantem illam animi fortitudinem reliquiſti ſociis hæreditariam. teſtis eſt illi flos noſtri ordinis, cujus mira pietas ſemper viruit; mira virtus in primis viguit in India. cujus tandem roboris illi milites? qui fluctus lubrici maris, quaſi camporum firmitatem conſtantiſſime calcarunt, quorum plurimorum ex pulcherrimis vulneribus non minus gloriæ quam ſanguinis manavit. Atque à te quidem ſi minus vivente ſanguis eſt expreſſus è vulnere, ut erat in votis,

votis, à mortuo certe manavit, diffectis ad experimentum miraculi membris, ut ostenderes tibi plane numquam defuisse paratum, ac promptum sanguinem, quem effunderes, quod si effusus ille non fuit testis integræ fidei, at fuit integri corporis. Superasti navigando Atlanticum æquor, qui Atlantem ipsum superare visus es laude laboris, non sideribus, sed Æthiope sustinendo, quem tu inter sidera collocares. occursus Æthiopis olim aliis ominosus, utrique fuit auspicatus. eo onere non modo non es defessus, ut Atlas, aut depressus, sed sæpe sublimis à terra factus, ut in astra, quem humeris ferebas, efferres. Duxisti ore morbosi hominis saniem non minus avidè, quam ipsum Cœlitum nectar, quo interim replebaris. Eo nectare satis ebrius, &, si fas est dicere, lymphatus primus Indos domuisti, ut fama desineret prædicare Liberum patrem, quem temulentum primum de India triumphasse memorabat. mirum dictu. Crura, quæ novo genere cruciatus nodis adstrinxeras, habuisti tam expedita, ut brevi orbem terræ vel confeceris peragrando, vel transilieris pervolando. Amissum morientis Christi sigillum recuperasti ministerio Cancri, nimirum eius similitudine quadam paratus Ignatii nutu retrogredi, & revocare cursum

ſum. In itinere occurſans aſperrimis vepribus pedes cruentaſti, quibus videlicet Indicos Deos protereres infectos ſanguine victimarum, quos pedes iterum quodammodo cruentares eorum ſtrage, quam edidiſti magnam. Emerſiſti non ſemel ſoſpes ab undis, ut injiceres ignem eorundem delubris ac fanis. Abluiſti aqua homines, qua expiati aboleverunt Deos impios flamma. ita in rogū injecti ſunt à mortalibus immortales. Integer ſuperſuiſti letho, qui tot millia ſimulacrorum comminueras. Vidit India non tui corporis, ſed ſuorum Deorum pulverem. In cineres ipſe non abiiſti, qui fanis, ac ſignis Manium incenſis tamquam in cineribus conſepultæ impietatis trophæum gloriæ conſtitueras. Vitaſti Libitinæ ſordes, qui vitaveras Veneris. Calcem, quam à profano uſu delubrorum ad pium traduxeras, habuiſti poſt mortem officio tibi gratam. Scilicet à viva calce hoc tantum accepiſti, ut in ea vivere videreris. Neque vero tuum intectum calce cadaver exedi, atque abſumi potuit, aut debuit, cum non ad te deſtruendum, ſed ad ſubſtruenda tibi potius templa, atque excitandas aras uſui futura calx aliquando eſſet. Itaque admirabili quodam & inaudito prodigio in ſepulcro ſitus non redoleviſti ſitum. fragraſti in ignita calce, non de-

deflagraſti. Caſtimoniæ candorem hoc maxime demonſtraſti, quod minime incandueris. emiſiſti cruorem exanguis. ſpiraſti odorem ſine ſpiritu. vita functos etiam exanimis animaſti. à ſqualore mortis atque illuvie decus, à funere prope immortalitatem accepiſti. Omnibus olim te loquentem linguis omnium nunc gentium linguæ loquuntur. Orbem terræ anguſtum tibi, te Numini anguſtum putaſti.



Dignum dicit apotheosi.

ODE I.

NVnc elaboret dives ad ardua
Delubra Memphis, dædala nunc Tyros,
Francisce, dum te Roma dicit
Indigetem meritas per aras.
Demolientem pergama Tanari
Aurora vidit pulchrior, & graves
Vmbras fugantem; luce prima
Purpurei nituere Soles.
Impune ferro, fanaque devoves
Flammæ, severis acta ligonibus;
At Flamines nequicquam Enyo,
Et vacuas inimicat aras.
Vtcumque priscam vertere regiam
Plutonis acer propulit impetus;
Audita delubrorum Avernos
Vsque lacus crepuit ruina.
Non vis atrocem vulnera perpeti,
Non barbarorum quisquis acerbior
Olim Quirino, demovebit
Consilio semel instituto.
Vt fonte puro Memnonas eluis,
Cruore pingues inficiunt pii
Campos; nec horrent tela, quicquid
Et facere, & bene ferre fortes.
I vecte pennis usque superstitis
Fama, resolvi morte timentibus:
Tecum perennat, nec sonoro
Te lituo celebrare parcet,

Fer-

Fortem remoto jungere Sinico,
Bungoque Romam dicet: in ultimum
Te littus Indorum ferocem
Imposuit generosa cymbe.
Olim docentem Romula fœdera,
Linguis tonantem lata per æquora
Centum, stupent, atque auribus stant
Memnonidæ dociles acutis.
Petitus alto pectore amabilis
Questus premebat Numinis impetum,
Deumque suspirare amando
Ignea vis animi suasit.
Malè hospitalem tu bene demoves
Febrim, medullis vimque Cyclopeam
Defendis exuctis: superque
Morte jubes posuisse curas;
Plerumque prædam deripis, & famem
Deludis Orci; sic laquearibus
Testantur argentique lamnæ,
Scripta notis & amica signa.
Vsus FavonI munere candidi
Euros protervos, & moderans Notos,
Sedas inæquales procellas
Arbiter Oceani tumentis.
Te poscit amplo prensus in æquore
Quicumque Eoum navita pervolat;
Tutela Francisci paventes
Eripuit pelago carinas:
Sub igni acuto vivere sæculo,
Spectatus extento integer, & rogo
Fragrans odorato renasci
Visus, uti Nabathæus ales.

Te

Te calce tectum, & sic melius situm
Pudor tuetur: te violaria
Rosaque mulcent, nariumque
Copia, vis & amica Pasti.
Candente saxo candida pectora
Refers, nec igni incanduit abdito
Decus; nec atra te cupido,
Aut solüit Libitina tæda.
Virtute nunquam scilicet invidam
Timente Lethen, fallere pulverem
Potes calentem funeratus,
Sorde carens graveolentis urnæ.
Notus pudicæ mentis, & integri
Decoris, ut tu cumque Cupidinis
Frangis sagittas, illecebræ
Nec furiant juveniles ignes.
Frustra soporem lusit amabili
Vesania nox; delet imaginem
Sudore sanguis, quem pudore
Pro vigili haud dubites pacisci.
Nunc excitandis molibus editis,
Templisque, & aris calce opus ignea,
Æternet hæc te gratum in usum,
Perdere quæ timuit sub urna.

Προσωποποιΐα clamantis; Sat est.

ODE II. *Hor. l. 1. od. 38.*

VEntilat Cœlo satis aura flammas,
Suscitat nostros satis Auster ignes,
Et rogus cordis nimis ardet acri
Vividus Ætna.

Scilicet

Scilicet vivo, pereoque, funus
Vna succendit mihi tæda Amoris,
Vna vitales animat pudico
Pectore flammas.
Iam sat incensum jecur hausit, & sat
Corda depastus populator ignis;
Parce Amor venis, Amor æstuosis
Parce medullis.
Pectus hoc impar, cor & hospitale
Magnus haud aquas Amor, haud latebra
Dignus angusti laris, ô ter amplo
Major Olympo.
Tela quid parvo meditaris ultra
Pectori, aurato pharetratus arcu?
Quid recrudescit recalens minoris
Vulnus amantis?
Præda jam forti cecidi sagitta,
Iam tenes auceps tibi destinatam,
Siste, flammarum satis, atque amorum,
Desine plaga.
Mitte venari, nihil adlabores
Vulneri tanto; neque te sagittæ
Provocent plures, neque me cicatrix
Aucta cruentet.
O Deo flagrans Amor, ô sodalis
Cœlitum, pridem tibi dedicavi
Corda juratus, mihi cumque flamma
Parce minori.

De admirandis ejus prodigiis.

ODE III.

Quæ forma vernis ridet honoribus
Certat ligustro, certat amaraco;
Artus recocti sub calente
Calce decus retulere majus.
Quin ipsa turpis abstinuit probri
Severa Clotho; mollibus ac genis
Pepercit; arcet damna, vitæ
Abscidit ut pretiosa fila;
Nec solvere audet pulvere fervido
Pignus pudici dulce Cupidinis,
Dulces amores; sic fefellit
Ille rogos, tacitamque flammam.
Dignus reponi sedibus igneis
Piorum, & astris; qui mare pervolans,
Et regna non tangenda Nerei
Memnonidas adiit latentes.
Non ille quondam debuit Africis
Ludum protervis, æquora deprimens
Nutu potenti; perque fluctus
Expediens, & acuta saxi
Suis onustam mercibus arborem
Hærentem adesis cautibus; ilicet
Defendit infamesque Syrtes,
Et scopulos, & operta fraudum.
Nunc Vaticani montis imagine
Laudes resultant; temperat abditus
Cratera sanguis cæde nulla,
Ritè Deo tegimusque liba.

De incorrupto ejus corpore post mortem.

ODE IV. *l.1.od.5.*

E Naviganda Tethyos insolens
Committis Euro carbasa, nec freta,
Syrtesve terrent, & natantum
Monstra mari, viridesque Phocæ.
Vltra repostas fert Amor impiger
Terras, Eoi & littora Iaponis;
Prægestit ardor tollere Orco
Memnonidas sine lege raptos.
Devote Cœlo, vix potis ebrio
Perferre Numen pectore, vix capit
Æstu fatigatum refusas
Delicias, nimiumque nectar.
Quod cæca nescis jura Cupidinis,
Fato superstes sub tumulo viges,
Nec livor oris, vel genarum
Purpureum violat decorem.
Sequuta frustra corripuit senem
Ætas; sub urna visa superstiti
Apponere annos; nec proterva
Te temeret Libitina: vives
Sepulte, quantum non Pylius, neque
Tithonus; oris sic specie nitens,
Ardensque, matutina ut Eos,
Serus agit vel ut astra Vesper.
Spirantis instar scilicet, & recens,
Potis sagacem fallere navitam,
Discrimen obscurum, haud soluto
In cineres, vegetoque vultu.

E calce

E calce quasi spirans educitur.

ODE V. *l.3.od.29.*

O *Magne custos Memnonidum, tibi*
Mactamus aras, & Cerealibus
Signis Deum libamus almum,
Indigetum ferimusque honores.
Tu fundis Orcum cum grege Manium,
Sacamque cæcum proteris; horridi
Tu signa Plutonis refringis
Fana ruens inimica fundo.
Tu barbarorum finibus inviis
Subis, saluti haud sollicitus tuæ;
Regnata Diti quondam Averno
Bactra petens, tacitasque Sinas.
Sed te, beatis functe laboribus,
Caliginosa nocte premi Deus
Haud sivit, & mortalis ultra
Iura viges, seriemque fati.
Stant membra certo vivida robore,
Vigor perennat; cetera languidi
Ritu ligustri, sive acanthi
More cadunt, breviore vita.
Mors inquinato læta cadavere,
Mortale corpus solvere pertinax
Transmutat incertum decorem,
Exiguum cinerem reponens.
Te falce sæva vix premit invida
Honoris; artus virgineos neque
Diffinxit, informesque solvit;
Quamquam anima fugiente terris,

Cha-

Charis remansit, non celeris fugit,
Nec tu resignas quæ dedit; at tuo
Candore te involvens, superstes
Calce diu, sine labe servas.

Periculis infractus dicitur.

ODE VI.

ORbem repostum finibus Indicis,
Sinasque sævas, acrem & Iapona,
Perquiris; oras barbarorum,
Et taciti penetrale mundi;
Nondum recluse claustraque Tethyos,
Periculosi per freta Nerei,
Perstringis incedens per hostes,
Et medias acies dolosas
Vitæ, Quirmæ nec dociles fidê.
Ah ne te acutis subde securibus,
Commite neu tantis procellis
Dulce caput, patiens perire:
Spectare sæu est telaque vertici
Intenta, iusto & sollicitos metu,
Cunctosque atrocem præter unum,
Et miseræ necis, & malorum
Te nil paventem; vis neque Thessala,
Nec peste crater exitiabilis,
Aut mucro districtus fugacem
Terret agens, revocatque mentem.
Orbis relicti præsidium unicè,
Et ultimorum Memnonidum salus,
Qui lumen Auroræ reducis,
Et tenebras Orientis arces.

Iam nunc Deorum signa cadentium
Cerno, & ruinas præcipitantium
Fanorum, ut aras, atque vittas
Deripis ex adytis revellens:
Chamus, Deorum & quisquis amicior
Indis, negata diffugit impotens
Tellure; vexillis triumphat
Relligio simul explicatis.
Quod littus? aut quis terminus invius,
Francisce, te non robore nobilem
Testatur? ereptasque cæco
Exuvias Orientis Orco?
Videre quondam Memnonidæ genas
Non indecorum, nec male sordidum
Artus, triumphatoque fato
Te tumuli nova jura dantem.
Te pulchra virtus, te pietas tua
Servat recentem, corporis integrum;
Ut calce mordaci latendo
Damna fugis propiora fati:
Suetus beati ducere nectaris
Rivos; ab alto nam tibi cõpia
Manabat ad plenum perennè
Deliciis opulenta Cœli.

De integro decore corporis diu post mortem.

ODE VII. *l.4 od 13.*

Spiravere decus sidereum tua
Post funus tumulo membra, & amabile
Os afflavit odores;
Nec Mors dum ferit impudens,

Fra-

Fractum comminuit; forma viget recens,
Nec dilapsus amor, molle virescit, &
Immortale superstes
Malis dulcibus excubat.
Non te, ceu virides decutit Africus
Quercus, expoliat Mors, neque livido
Quondam dente remordet
Deturpans decus aureum.
Qui tantus decor? ô, quivè color decens?
Quæ te vis animat calce sub ignea?
Quantos spirat amores
Expirans animam vigor?
Felix morte tua; quam rubet artium
Nullarum facies illita Gratiis?
Te vix Atropos urget,
Nec Clotho sibi surpuit.
Cunctos exiguo pulvere sordidos
Solvet sæva; tibi larga superstiti
Ævum, Parca aliis; dat
Servatura diu decus.
Viventem superes funere Nestorem;
Possint Memnonii visere ut integrum,
Sacro non sine cultu,
Haud lapsam in cineres facem.

De idololatria ab ipso destructa.

ODE VIII. *l.1.od.35.*

TU jure adauges Indigetum choros,
Potens tueri calce vel ignea
Immune corpus, nec sepulchro
Perdere purpureum decorem.

Te Flamen ambit thure pio recens,
Aramque libo mactat, & hostia
Vittatus, & sollemne votum
Rite facit precibus fatigans.
Te regna Bungi, Serica te plaga
Vrbesque gentesque, ac Thetis ultima,
Te gentium ora barbararum, &
Mente nova venerantur Indi.
Deliberato tu pede proruis
Chamumque, Sacamque; & Stygis obteris
Informe monstrum, concitaque
Frangis agens simulacra dextra.
Te candor ornat, te pudor integer,
Labisque purus; te sibi vendicat,
Quandoque pectus Numine implet,
Pulcher Amor face septiformi.
Praibat olim Relligio tibi
Clavos ahenos, atque Deum manu
Gestans cruentum, sive ferro,
Sive flagro, rigidoque vepre.
Quem non Deorum comminuis? quibus
Tu parcis aris? ardua culmina
Fragore proturbas acuto,
Instituens meliora; nudo
Mucrone quamvis, magnam animam voves,
Sacrasque telis; unicus edomas
Gentem reluctantem Quirini
Ritibus, indocilemque veri.
Serves Eoos Memnonidas tuo
Labore partos, ne soboles retro
Perjura cedat, dum secures
Fascibus expediunt Tyranni.

In-

Incorruptio ejus corporis commendatur.

ODE IX.

Francisce formans Memnona patrio
Cultu Quirini, diruis impia
Delubra, & umbrarum coërces
Agmen inane, levemque turbam.
Quin & superstes plurima funeri
Post lustra, leges temporis invidi
Impune rescindes; avara
Quam minimum nocuitque Clotho.
Non turpe debes opprobrium, neque
Morti tributum ignobile pulveris,
Levisque sordis; sed merenti
Fata Deus meliora duxit.
Calcis severa vim bene temperas,
Victor Chimaræ nobilis igneæ:
Non erubescendos solutum
In cineres Libitina perdet.
Tu jura cunctis debita, tu vices
Mortis superbas ludere fortior,
Condens reclinatum cadaver,
Floris uti redolent honores.
Sopitus altè pervigilas, prope
Exsomnis; oris mollior halitus
Qua desit, extinctus videri,
Cetera vivus adhuc, vigensque
Sub calcis igni pulchrior aspici
Vultus virescit; te sibi creditum
Servavit illibata virtus,
Et senior juvenescis urna.

De barbaris vera religione ab ipſo imbutis.

ODE X. *l.4.od.4.*

Qualem colonus nubibus uvidis
Suſpexit Irin contra Hyperionem
Curvantem odoratis in arvis
Cornua, & è face diſcolorem;
Videre Eoi nuper Iapones
Franciſcum, & Indi Memnonidæ, quibus
Deductus olim mos per ævum
Omne, Deûm ſimulacra thure
Vano vaporent, fanaque & impias
Aras; Averni monſtraque turpia
Ornent, ſed immutata ritè
Templa novum coluere Divum.
Hunc Roma cultum ſcilicet, hæc ſacra
Debes merenti, teſtis ab ultimis
Aurora terris, & fugatis
Pulchra dies Orientis umbris;
Quæ prima puro riſit Apolline
Felix; per urbes Relligio ſimul
Victrix Amazon, perque ſoſpes
Memnonias equitavit undas.
Cum rore puro fortis Iaponum
Piata pubes crevit, & impios
Regum tumultus luſit omnes,
Spiculaque, & chalybes acutos.
Vbi ille ritus, juraque promovet,
Vetuſta patrum deficiunt ſacra,
Moreſque avitos dedocendo
Corrigit, & male nata quondam.

Dixit

Dixitque Saca Numinis arrogans
Nequicquam Amidæ; ibimus, ibimus,
Vterque turpis, Roma ducet
Indecores Latio triumpho.
Tellure ut heros fortis ab Itala
Ad usque fines pertulit Indicos
Iactata ponto sacra Eoo,
Nil vacua timidus procella.
Luctantem in alto leniit Africum,
Eurique motus composuit, sali
Potens profundi, sospes usque
Damna per Oceani frementis.
Frustra colubris hydra nocentior
Concrescat illi, monstraque Colchica,
Thebana frustra; quem per ignes
Expediet, mala perque Virtus.

Per ipsum religio peragratur orbem terræ.

ODE XI. *l.4 od.15.*

FRancisce, quo te carmine Pieris
Dicet? Quirini subdita fascibus
Et regna, & urbes barbarorum
Edomitas? tua prompta virtus
Indum protervis Manibus abstulit?
Trophæa Ditis vis tua sustulit
Refixa delubris superbis,
Et vacuas labefecit aras.
Fratres sub imo clausit, & impulit
Regnis avitis; fræna vagantibus
Injecit; emovitque noctem,
Et veteres agitavit Vmbras.

Viget teramplum Numen, & imperI
Crevere vires Romulei; patet
Porrecta majestas beati
Flaminis, Oceani per alti
Vtrumque tractum; qui bibit aureum
Gangem, qui Hydaspem, Bungus & ultima,
Et regna Tithoni reposta,
Credulus & Nabathaeus audit.
Longas tenebras exigis aureo
Phoebo; nec arcet te gravis Eumenis,
Quae barbarum procudit ensem, &
Difficiles inimicat urbes.
Divis receptum nunc bene tibiis
Lydis remisso carmine dicimus,
Indosque, damnatosque caeco
Memnonidas Erebo cientem.

De simulacris fanisque ab ipso dejectis.

ODE XII.

O Fortis arces vertere funditus,
Arasque Ditis; signaque figere
Dei laborantis trabali
Robore, Romulidum tropheum.
Iam pridem Eois caeca refulserat
Aurora terris, nunc bene roscidam
Novere matrem, fonte lauti:
Itque dies meliore Phoebo.
Iam solvis Europe omine dextero,
Iam vela pandis, quidlibet acrior
Sperare, cui sanctus propinat
Nectar amor satis ebrioso.

Collapsa magno cum sonitu ruit
Moles Amidæ, signaque proruis,
Arasque, ceu molles adurget
Accipiter Paphiæ volucres,
Timendus Orco; quin generosius
Perire temnens, exitiabile
Nec virus horres, nec latentes
Sæpe dolos, chalybemque nudum.
Ausus cruentum visere Mauricum
Letho Parentum; tu potes asperas
Lenire gentes, constituta
Morte ferox, Latias daturus
Leges Eoo, scilicet impiè
Insanienti; per maria omnia
Iactata virtus usque sospes
Memnonias reparavit oras.

De generosa ad Indos expeditione.

ODE XIII. *l.3.od.24.*

Heros divitis Indiæ
Perscrutate sinus pauper, Iaponas
Extremos petis impiger.
Immetata tibi destinat æquora
Virtus; Romula gentibus
Sancis jura feris, & decus est mori.
Cedis non patiens brevis
Europæ, Latiique, Ausonii & soli,
Æstu te neque fervido
Pars mundi gravior, nec Borea gelu,
Duratumque solum nive
Decurrentem abigit; strenuus horridum

Vincis Nerea navitis
Invisum, pelagi nec mala territant
Quidvis & facere, & pati
Fortem; nil trepidus deseris ardui,
Seu Lojola Parens truces
Indos usque vocet, seu revocet potens
Nutu, certior obsequI.
Sed te post pelagi longa pericula
Defunctum usque laboribus
Vis intégra tenet sorte vicaria
Vitæ; nec male sordidos
Dilapsæ in cineres depereunt faces,
Flagrantesque Deo genæ;
Servat te metuens Cypridis improbæ
Numquam sordida castitas;
Illibata tuum Flora tuebitur
Clarum post genitis decus,
Sublatum ex oculis nec querimur Ducem.

Gratulatio de ejus apotheosi.

ODE XIV. *l.3.od.28.*

SAcris ritè recentibus
Francisco facimus; pelle age Lesbiam
Clio candida barbiton,
Et Divûm ordinibus par decus insere.
Terrarum nova gaudia
Sentis? ac velùti thura ferat recens
Flamen, libaque Numinis
Occulti, Indigetem nomine dedicans?
Æquam tu Thetin interim,
Et latum recines hospite nobili

Ponti regna per humida
Neptunum, & faciles Nereidum choros,
Indosque edomitos Duce,
Innanteſque mari cycladas, & ſacris
Mollem cedere Iaponem:
Dicetur miſeris mors ſine ſordibus,
Intactumque decus genæ,
Dulces exuviæ Palladis innubæ.

Ejus charitas & caſtimonia commendatur.

ODE XV. *l. 2. od. 16.*

Orbis invifi, per iniqua ponti,
Regna pervadis novus exul orbis;
Aſperum tangi trepidans adire
Memnona fortis.
Scandis æratam generoſus Argo;
Nec nova cautes, & inhoſpitales
Navibus Syrtes, tumidæque Phocæ
Vota morantur.
Scilicet ſollers Oriente toto
Quæris Auroræ ſobolem carentem
Luce; venali neque te per altum
Purpura merce
Traxit Eoa, neque ditis Indi
Evocant baccæ, nec avara Tethys
Iuſsit arcanas pelagi profundi
Verrere arenas.
Sordidus nunquam tenuit Cupido
Spiritum. candor ſine labe pulcher
Integro mentis dedit inquinatam
Spernere Cyprin.

Occupat frustra fera Mors retentum
Calce, non artus minuit remordens,
Nec decus formæ cinere indecoro
Turpe peredit.

Deorum cultum abolet.

ODE XVI. *l.1.od.29.*

Vrbes Eoas deripis invido
Plutoni, & Orco prælia concitas,
Signisque turbatis, & aris
Turpibus, horribilem Pagoden,
Frangisque Amidan: legibus insolens
Vt gens Latinis barbara serviat,
Puerque lustratus piante
Fontis aqua statuatur ara,
Doctus Penates perdere patrios,
Manesque avitos. quis neget impium
Plutona defecisse victum,
Inque lacus Stygios reversum?
Cum Bungus auro signa rigentia,
Et fana priscis edita molibus
Mutare sacris Vaticanis,
Concipiens meliora, tendat.

Æthiops ejus humeris visus insistere.

ODE XVII. *l.1.od.15.*

Vt cujus Latiis lumina surpuit
Franciscus, tacita nocte subhorruit
Insistens humeris decolor Æthiops;
Tum sic candida concipit

Vates

Vates fata niger: littora inhospita
Tendes Oceani, regnaque barbara
Lojolæ soboles, non sine Numine,
Conjurata revellere
Impermissa Deûm signa nocentium.
Diti quanta moves prælia? te tremunt
Manes solliciti, seu pede proteris,
Seu regno veteri fugas.
Nequicquam trepidum Tænara demovent
Certum præsidio Numinis; irrito
Vrgens exitio, spicula providus
Vitas, & tacitos dolos.
Nunc delubra para vertere patria;
ras ecce solo sternis, & extruis
Ritu Romuleo. corde quid excutis
Flammantem interea facem?
Lojoléa cohors proferet Indicis
Semotisque plagis Numen, & ultimus
Eous Latio munera principi
Post certas hyemes feret.
Iam jam Ignatiadæ te duce martio,
Pergunt, sive opus est ferre Aquilonias
Iras, seu superare æquor Atlanticum
Fortes, lucrum erit emori.
Parcat fœda tibi, qua licet, Atropos.
Intactus vigeas post quoque funera,
Mercedem referens quod sine Cypryde
Floris vixeris integer;
Lucratus domita nomen ab India,
Mirè corda potens flectere barbará,
Et cervice docens indocili jugum
Sacrum ferre Quititium.

Te caci regio Memnonis evocat
Europa; roseo lumine lætior
Te Matuta prait, non alium sua
Gentis dicit Apollinem.
Te, te sidereis civibus inserat
Cultus Roma potens, templaque dedicet,
Divinamque dapem Flamen, & integret
Libum, maxima munerum.

De corporis exanimis fragrantia.

ODE XVIII.

F*Rancisce fines Tethyos ultima*
Ingresse nutu Romulei Patris,
Amor redonet te recentem
Funere, Memnonioque Cælo
Viventis instar proferat ignea
De calce; quamquam nec balanus tibi
Artus odoratos inungit
Malobathro Syrio; neque acris
Myrrhæ liquores, aut opobalsama,
Nardumve fundit navita corpori,
Alumna virtus te vetabit
Vile solum tenuisse turpem.
Pudori amicum Sophrosyne pudens
Tuetur urna, nec male Mulciber
Abedit, aut tempus resorbens
Corripuit lapide æstuoso.
Ergo merenti reddimus & dapem,
Et nectar almum, delitias poli;
Votis fatigantes ad aras
Thura damus tibi dedicatas.

Fragrantiam corporis castimoniæ argumentum dicit.

ODE XIX.

QVo dives auri littore Sinicus,
Degatque Iapon dissociabili
Divisus Europa laboras
Quærere sollicitus tueri.
Sic tu perennas, stat tumulo diu
Intégra virtus, & decor enitens,
Mordente nec te calce quondam,
Nec roseas solüente malas.
Vincis Dianam, vincis & aureum
Titana vultu; floris honos viget
Non ungue secti, Eurovè fracti,
Vere recens; redolentem & usque
Afflabis Hyblam; nec tibi myrrhea
Vnguenta quisquam fudit, Achamenis
Opes; odoratos vel artus
Imbuit, Assyriaque nardò
Condivit aptans. digerit ocyus
Vi calx edaci corpora; quis tibi
Restrinxit ardentem lapillum?
Vimque rogi rapidam repressit,
Servans sub igni dulce caput? tui est
Hagnéa doni; tu potes integrum,
Et labis immunem tueri
Mundicia reparante lethum.

Ejus

Ejus animi magnitudo laudatur.

ODE XX. *l.2.od 13.*

TE pinus alba detulit alite
Quacunque Eoos appulit ad sinus,
Orbisque fines, in salutem
Memnonidum, decus atque gentis.
Quid, Dive, vites Oceano, satis
Cautum est eunti, nec male barbaras
Syrtes perhorrescis, neque alto
Cæca times sub Atlante fata.
Atrox Iapon, & jaculo levis
Maurus ferocem te neque terruit,
Nec prorsus importuna lethi
Vis rapuit; tenet urna sordis
Impunè tutum, vix scidit improba
Ferro decoram Persephone comam;
Et fila dirarum sororum
Nota colis tibi vix recisa.
Nunc vocem acutam temperat aureo
Canora plectro Calliope, decus
Mirata laudum; vince ponti,
Vince soli mala, vince lethi.
Tu fana vertis, signaque Tænari
Diffracta calcas, fortis & impias
Devolvere aras, viperinos
Eumenidum & resecare crines.
Iam thura Memnon dat pia Numini,
Nec inquinato decipitur Chamo,
Nec curat insanos Parentum
Manibus exhibuisse cultus.

In-

Insignem ejus castimoniam laudat.

ODE XXI. *l.4.od.9.*

HAud membra condes deperitura, quæ
Sensere nunquam fœda Cupidinem,
Tædamvè flammantem, vel ære
Vulnifico pharetram sonantem,
Non, si piorum corda quoque ac sinus,
Pertentat audax, crinigerum domans
Heroa, Iesſidenque vatem,
Ille tuum temeret pudorem.
Non sæva cordi spicula candido
Direxit arcu, non semel impudens
Miscere Naturæ procacis
Prælia, Acidalio furore.
Componere undas, regnaque Nerei
Potes citati; scilicet Indicas
Inter procellas, & frementis
Tute per Oceani tumultus.
Nec si sepulchro calx tegit igneo,
Peruret artus; spirat Amor recens,
Vivitque commissus pudicæ
Sophrosyne decor oris idem.
Nil inquinatum funere sordido,
Labemque nullam vestibus illitam
Miratur Eous, genasque
Murice purpureo calentes.
Vixere fortes, & sine Cypria
Vix pauci, & omnes in cinerem levem
Dilabimur, fœdoque turpat
Pulvere vis inimica fati.

O *Vin-*

Vindex sepulchri te tamen unicè
Pudor tuetur; te neque pallida
Sub urna inornatum recondi
Passus Amor; neque fas decorem
Deformis oris carpere sordidam
Necessitatem; nam tibi candidum
Pectus beatum Numen afflat
Interiore Deo fatigans.
Fortis Quirini subdere fascibus
Pervadis Indum haud ante domabilem,
Et promptus Europen reverti,
Te quoties revocaret auctor
Lojola, partis obsequium simul
Praeferret Indis, Oceanum jubens
Renavigari, non proterva
Mente redis, nisi fata sistant.
Virtute functum Roma recentibus
Appellat aris: Caelitus occupas
Nomen merendo, ritè nuper
Indigetum socians honores.

Immortale ejus decus commendatur.

ODE XXII.

O Surgens decus Hespero,
Quid, Francisce, Deum pectore saucio
Certas excutere impotens?
Dives cuncta poli dona recollige,
Est cordis tibi laxitas;
Fundat tota tibi candida se Charis;
Multi nectaris ebrius.

Duc cratera, Deum concipe prodigum.
Linguis mille loquacibus
Vatem, dum populis carmina dividis,
Emirabitur India.
Emense Oceani tot spatia, & sinus
Ingenti Oceano venis
Major; visa tibi vasta minus Thetis.
Longum Nerea præteris,
Arces Memnonias vis tua perculit,
Et Plutonia pergama;
Iam nemo superest ex Acherontiis;
Imos impulit inferos
Vis infracta malis; Tartara miscuit
Lugubri querimonia,
Vt turpes Erebi comminuis Deos.
Te, defuncte periculis,
Mors urget minimum corpore languido,
Aut ætas terit invida:
Manavit tepidus fons animæ cruor
Venis ductus hiantibus,
Quem votum fuerat fundere vivido;
Penè spiritus intimè
Visus purpureo corde recolligi,
Malis suave rubentibus.
Sic effata novum Relligio ducem
Quondam est: Tolle per æquora
Divorum effigies, tolle Quiritium
Ritus, & sacra devehe;
Iam te consequitur plurimus Italûm
Tubis robora martiæ.
Dicet Roma frequens Cælicolis parem;
Centum Famaque nobilis

Formas marmoribus finget Achaicis ;
Ac Divum Decus, aureus
Lambet purpureum Sol tibi verticem.

De ejus inter Indigetes numerati gloria.

ODE XXIII. *l.1.od.28.*

TE Superis Pater immiſcet Romanus, & ultro
Sollemnes tibi dedicat aras.
Nec tumulo cinis exiguus, nec pulvis inanis
Deficis, immortale ſuperſtes ;
Memnonios tentaſſe ſinus tibi profuit olim,
Percurriſſe orbemque repoſtum.
Templa tibi Eous voti reus ardua tollit,
Et votis te dulcibus ambit.
Ille olim vix immiti concedere morti
Te vidit miratus in urna.
Iamque novum Cœlo te ſidus nauta tuetur,
Poſthabuitque ducem Cynoſuram.
Sic ſtat certa ſalus, ſic Indis plurima merces
Ad plenum demanat Olympo,
Te duce, Memnoniaque plaga cuſtode beato,
Quiſquis opem depoſcere votis
Deproperat, nec ſaxa timet, fraudeſque latentes,
Nec brevibus freta Syrtibus arcent.

Animi

Animi præstantia, & corporis decor commendatur.

ODE XXIV.

O Lux Memnonidum, magnaque Principis
IgnatI soboles, & generis decus,
Oris præpositus divitis Indiæ
Intrasti latebras Memnonis ultimi,
Auroræque plagas luminis inscias,
Et regnata procul littora Sinico.
Immotis oculis monstra natantia
Aspexti, haud veritus Protea luridum;
Percurrisse vias irremeabiles
Ausus, nec metuens visere ditditas
Terras Oceano dissociabili.
Detraxti spolium nobile, Memnonem,
Ditis fana ruens ardua funditus.
Debellata vacant regna Proserpinæ,
Nec jactat trepidas Tisiphone faces.
Vt victor veteres exuvias rapis,
Prædator populorum, & pelagi potens.
Est merces operi; namque sonantibus
Pennis Fama vehit, fraudis & abstinens,
Nec veri vacua ludit imagine,
Te sub calce canit vixe superstitem.
Non ætas hominum clade superbiens
Integri speciem corporis abstulit,
Sed fas occiduo vivere longius.
Spirat frontis honos Vespere pulchrior;
Vix cessit profugo spiritus halitu:
Tempus cuncta teret, formaque nobilis
Vanescat spatio victa volubili;

 De-

Decussere Noti ceu breve lilium,
Oris purpurei sic decus effluit,
Et formæ subito fabula deficit.
Non hæc jura tibi tristia, nec malus
Dulces exuvias deripuit dies:
Te miretur Arabs, Indus & ultimus
Viventem tumulo; scilicet occidis
Eois oriens Phœbus Iaponum.

De Turcico myoparone capto ab Octavio Aragonio die Xaverio sacro.

ODE XXV. *l.4.od.4.*

QValem colúbrum Sole sub igneo,
Squamante tergo rusticus impulit
Viator Afer, providoque
Corripuit calamo tumentem,
Heroa sensere Odrysii; tuis
Octavius dum præsidiis ferox
Ingentem adurgens mole centaurum
Occupat, antevolans volúcrem.
Te quippe opem, te præsidium, & novas
Præbente vires; nam tibi quo die
Campana Siren vota supplex
Detulit, atque adolevit aras,
Classis citato remigio sequax
Pervasit hostem, signaque sustulit;
Laudemque Divo martiali,
Et meritum decus arrogavit.
Tu Thraca nullo Marte domabilem
Prædonem in undas præcipitem ruis
Turpes vomentem ex ore fluctus,
Cæcaque saxa manu tenentem.

Spectande Cœlo, Dive, volubili
Reluxti Orion, hostibus aureo
Mucrone formidatus, inque
Tela ratem jaciens, fugacem
Maurum fatigas. jam mediis furit
Vulcanus undis, jam tonat aneo
Fragore tempestas, triremem
Saberiis opibus refringens.
Tandem vaganti vincula Thracio
Injecta. qua non aquora divitis
Ignara prada? quave puppes
Exuviis caruere nostris?
Seu tentet Afer pralia: seu Scythes
Formidolosus, pars violentior
Ponti Adriani, nil paventes
Sollicitum metuemus hostem;
Custode rerum Saberio, rates
Nequicquam inerti remige concitat,
Durosque cogit Bosporanos
Classe cita celerans Tyrannus:
Non inquietis eximet otium
Depraliando; nil juvat asperos
Procudere enses, nil Cyclopas
Odrysium chalybem camino
Novare, & igni. Nunc Aragonius
Vexilla fano dedicet, impio
Direpta vati Machumeto,
Teque ducem Indigetem figuret.
Iani Kalendis agmen ovantium
Procedat aris, candida byssino
Pubes, io paean, ter edat,
Iraque ferens oleam virentem.

Nil non sequaces efficient rates,
Quas & benigno sidere respicit
Franciscus, & Thracas per hostes
Expedit insidiis dolosos.

De eadem victoria gratulatio.

ODE XXVI. *l. 3. od. 4.*

FRancisce, Thracum vulnere nobilis
Magnaque fortis subdere Iberia
Scythasque Dacosque & rebelles
Imperio domitare Mauros.
O macte fama, seu tibi laurea
Debetur, album seu mage lilium;
Quin & refulgens arce Cœli
Innumeris celebri triumphis
Cretæa virgo sidera porrigit.
Sic barbarorum corda minacium
Victor domabas quondam, opimas
Exuvias Orientis alto
Dicans Olympo; nunc quoque nobilis
Præda recenti scimus ut impium
Scythen, & excussas triremes
Impuleris jaculo tonante.
Vt pulvis ater mugiit igneis
Pulsus caminis, & micuit cavo
Siphone glans, jam pervicaces
Bosporidum posuere vires.
Nuper nocentes occupat Aragon,
Signumque fano Saberium sacrat:
Insigne virtutis trophæum,
Et domiti monumenta Thracis.

Frustra sinistro Marte vagamini
Invisa Divis, ac male Tanari
Damnata pubes; Machumeto
Dedicat indecori nepotes
Franciscus hostes, additus impiis
Vltor, furores frangere vividus
Inauspicatos, ac trecentis
Involüens humeros catenis.
Frustra Scytharum Mars agit impetus.
Et remigum vi per freta pertinax
Errare, prædando fatigat
Parthenopen, Italamque classem.
Testis triremis remigio levi
Direpta nuper, Lunaque Thracia
Minore vultu, ut signa fano
Explicuit bene grata virtus
Ducis; protervos namque ope contudit
Tua, & rapaces impulit. ô decus,
O gentis Eoæ renatus
Lucifer, & patriæ Hesperugo,
Fœcunde laudum; tu Latio solo
Cives reponis servitio gravi
Solvens, & Europen renides
Vsque novis decorare prædis.
Latè occupatum Nerea vidimus
Nuper Liburnis. occidit, occidit
Seu classe formidatus hostis,
Seu Scythico metuendus arcu.
Sed siste raucam Calliope tubam
Movere, & aptos quære modos lyræ;
Fer vota supplex, & recentes
Indigetem venerare ad aras.

Diis fractis integer à morte perseverat.

ODE XXVII. *Epod.* 1. & 2.

INtacta regna belluosæ Tethyos,
Francisce princeps pervolas,
Omnem subire promptus aleam mali,
Et quicdquid horret asperi,
Cultu profano dedocens uti Deum
Insanientem Memnona;
Iturus usque barbarorum ad ultimos,
Inhospitales & plagas.
Iter libenter arduum vorabitur
In spem Quirini nominis,
Fideque provehenda: ut extremos Getas,
Bungique tangat oppida.
Te non Eois intonata fluctibus
Hiems remetiri viam
Metu coëgit, horridi aut Phorci minæ,
Turpesque Cetorum greges.
Inter pericla hæc, ut juvat facto agmine
Videre properantes, aqua
Se tingere expiando, & insuetos jugo
Collo subire libero?
Videre prisca fana, & eversas solo
Aras Deorum Manium?
Fractosque Fratres Ditis, examen domus
Plutoniæ, & mæstos Lares?
Tandem decorum calce mordaci caput
Certans nitenti purpura
Pulcher reducis, oris integerrimus;
Sordisque purus lurida.


Non explicata frons, decorve deserit,
Non te verecundus color;
Viventiumque præter omnes vivido,
Vultus remansit, & Charis.
Obstupuit Indus insolens non ignibus
Arsisse te Cyclopeis.
Non delibutis membra donis providus
Arabs perunxit, illinens
Nardo efficaci fallere ætatis probrum,
Morsumque edacis temporis.
Sic usque fortis enatas periculis
Vivens, & urna fortior.

Triumphus de victa idololatria describitur.

ODE XXVIII. *Epod. od. 9.*

Nunc, nunc recurre fana, & aras vertere
Formidolosus inferis,
Vltus superbum Marte Plutonem novo,
Densas & adversum rue
Solus phalanges; Africanus ut leo
Feras minores atterit.
Eheu solutus hostis arcta compede,
Terrasque inultus ambulat;
Non usitatos callet & vafer dolos,
Damnis nec indormit malus.
At tu; secundum vota Lojolæ, impios
Muta pudicis ritibus,
Iäponasque nobiles centum urbibus
Tende ocyor ventis tuis.
Io triumphe; fabulosus haud parem
Bacchus reportat India.

Tibi super delubra, & aras dirutas
Virtus sepulcrum substruet.
O non pudendis obsolete sordibus
Vrnæ superstes fervida,
Pallore non tu luteo vultum notas
Ardentem amico murice,
Nec dulcè succus effluit malis tener,
Turpive tabescis situ.
Non hospes urna sordidus terram tenes,
Novendialis aut cinis;
In calce flamma tecta non cutem excoquit
Injuriosa corpori.
Hæc finis, hæc olim manent stipendia
Intaminatum Cypriæ:
Tibi hospitale pectus almo Numini,
Puræ fuerunt & manus;
Tu sidus atra nocte nautis emica,
Præsens & appare jubar.
Seu pervicacis Africi eludis minas,
Seu ponis iratum mare.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER XIII.

Distinctus in partes quatuor.

De Religiosorum Votis, & institutis.

Προαύλιον.



On sunt obruendi silentio, qui taciturnitatis studiosi à forensi strepitu sese in Religiosæ vitæ latebras abdiderunt, digni laude, qui fortissimas Naturæ machinas superarunt amorem patriæ, Parentum, fortunarum, rerum humanarum omnium, abjecta etiam ultro adipiscendi spe. quantum habet, ut quidam ait, ad expugnandum animum virium illa cogitatio? Patris cubile, Matris sinum, focos relinquam. hic in cunabulis infantiæ tempora peregi, hic primum appellavi Parentes, hic ex majorum imaginibus gloriam traxi:

quæ

quæ vis illa eſt niſi planè divina, quæ tantum vel amoris, vel pietatis exhauſit? propterea laude digni.

Quis nunc paupertatem quaſi præcipuum generis humani malum conviciis laceret? quæ, ut non abundantibus, ita fidis uberibus Antonios, Baſilios, Franciſcos, Ignatios, hiſque paria robora virtutis aluit. exurgant iſti avidiores animi, pecuniæque aſpectu debilitatos ſpiritus priſtini temporis memoria recreent. Sanè per illorum tuguria, perque rerum omnium inopiam jurare poſſis, nullas divitias paupertati talium virorum poſſe præferri.

Te vero firmamentum honeſtatis, inexpugnabilis Caſtitas, quo ſtudio invocem? tu nos Religione conſecratos melius quam Veſtales olim ignis æterni cuſtodes, non tamen æterni pudoris, tenes; tu ſanctiſſimam Lojolæ domum aſſidua ſtatione celebras; tuo præſidio noſtra munita ſunt vota; tui prope Numinis reſpectu ſyncerus ille mentis corporiſque flos perennat, te tuente non tam matronalis ſtola quam parata illa virginibus corolla cenſetur aurea; ades igitur, ac tuis laudibus tibi plaude.

Sed illa virtus carmen inchoet, quæ ceteras regit, ac moderatur Obedientia. Præferat vero facem obedientibus ille ipſe, qui juſſus immolare filium ...

tulit, religioſi agminis vere πυρφόρος. Ereptus eſt à Chaldæorū incendio Pater ſcilicet ut incenderet filiū. Diſtrinxit in prolem gladium, quo nō melius, aut glorioſius periret hoſtis; Præpoſuit ſecuri, ſive ſeceſpitæ gladium, quippe undiq; armatū acie, ne qua pars teli vacaret ictu. Ara tantum defuit ſacrificio, quia tanta magnitudine animi oblatam hoſtiā nulla capere ara poterat, nec alibi quā ſub Cœli templo litari. Vt Sacerdotē ſe præſtaret, patrem eſſe nō meminit. Cui nomē à riſu indiderat naſcenti, hunc putavit jugulandum ſibi eſſe, non modo ſine fletu, ſed etiam hilariter: dicam verius obliti ſunt paterni oculi effundere lacrymas toti in effundendo ſanguine occupati, atq; intenti. Victimā alligavit ad necem Lictor filii, nō Conſul generis. Eum obediendi ſtudiū prope abſtraxit à ſenſibus, nam cū ſperaret poſteros fore ſicut Stellas Cœli, ſpem poſteritatis luce privabat, ut nepotes creſcerent, mactabat unigenam, & pro baculo ad iter arripuit gladium. Qui conatus erat avertere ignē ab impuriſſimis inquilinis, hic cremare pudicam ſobolem eſt ipſe aggreſſus. Iucundum illi fuit depelli natum à maternis uberibus, jucundius abſtrahi etiam à complexu patris, atque ab oculis, quibus eum ferebat; lætus erat cum ille appeteret jam vitale pulmentum,

lætior:

lætior cum oppeteret mortem; quem noluit videre lactentem, voluit videre cruentum. Nequaquam sibi videbatur Dei beneficio parens effectus, nisi esset etiam parens dicto, neque pium se putavit, nisi esset victimarius filii, satelles sanguinis, suorum carnifex, generis parricida. Eam lanienam solus, ut ita dicam, horruit qui præcepit Deus, quia victimam commutavit. Mirum spectaculum. sub tanto metu non dicam humanitatis, sed Naturæ intrepidi erant ambo; jacebat Natura cum suis armis victa, perculsa, atque prostrata. Inclinaverat Filius, ac demiserat cervices, non animum. Stabat Pater erectus, ac telum alte librabat ad vulnus; Non stupuit manus, sed gladius mactatione suspensus, minister non jam sanguinis, sed salutis. Non expalluit vultus cæde perficienda, sed erubuit infecta; Si obsequendi impetum spectes, jam ille cruentaverat dexteram, jam in viscera filii immiserat cultrum, jam fibras rimatus inspexerat, execuerat, conciderat. Patiebatur abstrahi à sinu suo spirantem filium, quo sinu exteros etiam mortuos excipit hospitalis. Quem protulit in lucem, obtulit etiam flammis.

PARS PRIMA,

De Obedientiæ Voto.

AD S. IGNATIVM.

Obedientiam jure ab ipso commendatam dicit.

ODE I.

O Magne gentis legifer, ô potens
Lojola mentis; robore nam tuo
Regnata libertas jubenti
Arbitrii decus omne cessit;
Iugo coactum quem premis aureo,
Non ulla vis diducet amabili
Iugo. penates ille, multi
Nominis atque atavos remittet.
Tu jus volendi lege domabile
Non ante certa subjicis alteri
Prudens, fatigatumque jussis
Ingenium domitas rebelle;
Qualis magister Gallica temperat;
Cogitque frænis ora sonantibus
Nequicquam agentis spumam, & acrem
Cornipedem stimulo lacessit.
Cursu volentem ludere libero
Premis. protervum corripuit tua
Præscripta quondam lex, ne amicum
Protinus ingenium sequatur.
Superba mentis consilia haud semel
Lusere multos; tutius alteri

Committit, ut dux ille prait
Providus, & potiora suadet.
Tu dux honesti consilii, tuo
Stant cuncta nutu. pectoris intimi
Cacam latébram, & quisque ritè
Corda Patri patefecit ultro;
Nullasque morbi celat origines,
Obscura promens. dura vel imperI
Mollire doctum dedita te
Arbitrii veneramur arce.
Vincit ter auro regia servitus
Multo priores conditionibus
Crœsi; Parenti sponte reddis
Imperium, potiora danti.
Ferente leges te, simul auspice,
Non dissidentum seditionibus
Procudet iras mente discors
Relligio, indocilis duelli.

AD CLAVDIVM AQVAVIVAM Præpositum Gener. Soc. IESV.

Arbitrium ei offert suum.

ODE II.

D*Educte vivo fonte Parentium*
Claudi, qui opimos fertilis Adria,
Daunique campos temperarunt,
Ac Cereris tenuere regna.
Te magna vis, & consilii vigor
Profundioris, te pietas Patrem,
Ducemque fecit, nos & olim
Subdidit arbitrio volentis:

Quan-

Quandoque mentis tu bonus unice,
Cordiſque regnas, nitimur obſequi
Incontumaces, quoque duxti
Egit Amor beneſuadus ultro;
Seu tu tepentem ſanguine Iapona
Iubes adiri, ſeu mare Thracium,
Syrteſque mavis Boſporanas,
Ibimus auſpicio jubentis.
Quaſcunque Tethys Orcadas alluit,
Infracta virtus viſere geſtiet
Devota telis barbarorum,
Atque animam docilis paciſci.
Iam cæca Nereus littora detegit,
Orbemque lato gurgite diditum,
Longeque diſcretum, & ſub Indo
Regna tibi patefecit Euro,
Vt explicatis Relligio potens
Signis, & auctis te duce copiis,
Dementium ararum ruinas
Duceret, exuvias renidens
Inferre Cœlo: ſic tua lucidum
Ætas Eoum gentibus intulit,
Cultum & Quirinalem, nitoris
Principis & revocavit aurum.
Fortis tiaram temnere, nobiles
Vittas, virentes frontis & infulas
A te removiſti, nitentem
Haud cupide trabeam tuendo.
Te ritè Siren patria Principem
Poſcebat aris: magnus Aquinius
Sic notus olim ſpreto honoris
Sidere, ſplendidior videri.

AD EVNDEM.

Promptum se fatetur velut ad Dei jussa.

ODE III.

Claudi, decoræ Parthenopes decus,
Cui jus in omnes arbitrii Pater
Commisit haud ignarus altæ
Mentis, & ingenii benigni.
Est prompta nutu quidlibet aggredi
In prole virtus, nil putat ardui,
Paremus ultro, nam jubenti
Est decus, ambitioque subdi.
Sic sueta mundi fœdera subditi
Servire Divo; novimus, ut Ducis
Magni secundum jussa, quondam
Constiterint subito citatæ
Phœbi quadrigæ; substiterit soror
Cogens habenas: serva perhorruit
Natura, donec victor hostem
Vulnere comminuit supremo.
Me sponte dedo victor, adorea,
Palmaque dignus, motibus ingeni,
Vltro triumphatis, & altè
Emicui patiens gravari
Cervice prona. conde silentio
Obliviosо, clarior extuli
Caput; lacessas usque probris,
Fama venit potiore laude.
Arbitrii jam non ego pervicax
Tibi renitar, protinus aliger
Sequor volentem; vim refregi
Mentis, & ingenium revici.

Nil Claudii non efficit imperI
Vis magna, Patris nutus & unius:
Parebo fortis per Sicambri
Tela ferox, per acuta dura
Bipennis; auctor quippe tuebitur
Lojola certus, legifer obsequI
Qui jura præscripsit, piorum
More Patrum, veterumque norma.

AD MVCIVM VITELLESCVM Præpositum Gener. Soc. IESV.

Se pariturum in rebus etiam arduis dicit.

ODE IV.

SImplex obsequii me tibi dedico
Iuratum in tua jussa, & Latii Patris;
Prompti servitii me reus obligo.
Summitto arbitrium, juraque fascium,
Tu regnas animi sponte domabilis,
Motus ingenii tu moderabere,
Et mi quam minimum credulus auditam
Patris consilium fallere nescii.
Votiva facies me simul hostia,
Nec ferrum renuo, nec timeo gradum
Vllum mortis, amans cuncta facessere;
Quo mecumque vocas, corripio viam,
Nec vito trepidus fortia; seu jubes
Nostris ire plagis dissociabiles
Auroræ ad populos, seu mage Thracio
Devotum chalybi mittis in aleam

Vitæ, subjicio colla securibus:
Edura haud fugio jussa, superbius
Detestata aliis cum querimonia.
Parebo facilis; non adamantini
Stat vis arbitrii; non jecur intumet
Fervens difficili bile mihi, ac notans
Vultum; nullaque fastidia macerant:
Virtus cuncta mihi dulcior imbuit
Multo nectare; Amor mella mala & lavit.

AD CAROLVM SANGRIVM

Provinciæ Neap. Præpositum.

Ejus jussis obniti nefas putat.

ODE V.

Indicte nostra non Polyhymnia
Abibis, almæ Palladis, & sacri
Decus Lycéi, quo juventas
Culta mihi docilis magistro.
Te mentis ornat lumen, & ingenI
Vis acris, ac te Parthenope sibi
Praeſſe gaudet; Roma & olim
Paruit, Euganeûmque tellus.
Tu temperabis cuncta potentibus
Prudens habenis; tu bene libero
Dux imperabis; regna dedo
Mentis, & arbitrium volendi.
Nec jura diffringam mihi fœdere
Firmata certo, non revocabili
Voto; nec ultra fas, quid ipse
Constituas tacitus, requiro.

Non

Non est meum, si vertere nobilem
Serena tendas urbibus infimis,
Decurrere ad molles querelas,
Atque moram posuisse rebus.
Seu cornipes me mentis in ardua
Quondam, biremis seu tulerit scapha,
Loiola certus ducet auctor
Auspicio metuente falli.

AD MARANUM Rectorem Collegii Neap.

Se ei regendum tradit.

ODE VI.

PLerumque prudens plus nimio cadit,
Quandoque Patris consilium sui
Delibrat, & causam jubendi
Sepositam temere intueri
Lynceus ardet; tum querimoniis
Irritat iras turbidus, Aufidi
Torrentis instar, saxa, inertem
Atque gregem rapientis unà:
Ni pervicacem strenuus edomet
Mentem ferendo; differet illius
Acutus unguis cor, remordens
Et dolor irrequietus anget.
Curis acerbis pectora suppetent,
Vitamque ducet, (prô nimium miser)
Dies & ingratos, Promethei
Alitibus velut obligatus;
Sic consilI expers mente furit levi
Frenos terendo; se quoque macerat

Mærens , in altum sed jacentem
Provehit obsequiosa virtus.
Seu tu severo jura negotio
Edura sancis , non ego pervicax
Mentis reluctabor; benigne
Sive mones , soliiisque risum
Iubere lenis , sic quoque gestio
Parere. quicquid pauperies mea
Parvi reliquit, jam resigno ,
Et penitum sine fraude pectus.

AD CARACCIOLVM.

Obedientiam ei fore decori dicit.

ODE VII *Hor. l.4.od.9.*

NE regna credas mentis, & arbitrI
Natale jus , amissaque libera
Sortis gubernacla ; explicabis
Imperii nova signa victor.
Non, Sinicus tot temperat urbium
Si frena Princeps , tu , famulum genus ,
Iacebis illaudatus, actus
Sub juga , nunquam operum solutus.
Vltro ferentem jussa vocaverim
Impune regem ; dignius occupat
Nomenque,fasces atque Regis,
Arbitrium sapienter uni
Qui subdidit , qui libera pratulit
Consulta dictis alterius volens ?
Non ille, quo fert cunque præsul ,
Difficilis, vel acerbus ire.
Amans Paternæ vocis , & abstinens
Tristis querela ; mollia perfici

Non hic, secundum vota, laudat,
Sed quoties gravis, atque prudens.
Subire princeps quidlibet ardui
Iussit, Trionum vel petere asperas
Vrbes, vel Indos, & Quirini
Pro titulis animam pacisci.

AD BOVINENSIVM DVCEM. & Præfectum domus Regiæ in Societat. IESV adscriptum.

Laudat religiosum ejus consilium.

ODE VIII

QVem Numen ultro dulce vocaverit
Eblandiendo, nulla morabitur
Cæca illecebræ vis, & altè
Spernet opes fugiente penna.
Cedet coëmptis protinus oppidis,
Aulaque cedit divite, ditior
Heros neglectæ; atque insolenti
Colla jugo docilis gravare,
Onus grauari nesciet. hoc decens
Mirata nuper Parthenope Ducum
Fœcunda nutrix; hoc Quirites
Purpurei stupuere; cum te
Vltro paratum ponere nobiles
Fasces, viderent immemorem & satus,
Et gentis addici paterno
Obsequio alterius jubentis.
Ergo superbo jure penatium,
Heroum ab alta stirpe Ducem juvat
Mecum severas ferre leges?
Tollicitum Domini minoris

Parere jussis? ô ubi plurima
Nuper per urbem pompa satellitum,
Currusque, inauratique frenis
Cornipedes; trabeaque textum?
Iam non Iberi Regia Caesaris
Commissa curis implicat; arduus
Te poscit aether expeditum;
Aula tibi Superûm renidet.

Iussa non esse discutienda sagacius.

ODE IX.

Quemcumque prudens Mucius arbitrum
Dixit volendi, protinus audiam
Proclive jussis temperantem
Ingenium, famulamque mentem.
Vis mira legum: nam potis ilicet
Movere nutu cuncta supercilI,
Regnoque natali potiri
Arbitrii, dominique juris.
Patris voluntas quo vocat, emico
Parere doctus; quid paret inscius,
Frustraque odorari remittens,
Nec vetitam trepidans in artem
Cognosse; prudens ille silentia
Caliginoso conteget abdita
Arcana; nequicquam futuri
Sollicitus nimium fatigo,
Vexoque mentem; simplicis obsequI
Amans, quid ultra est quaerere distuli,
Solvente curas lege amica,
Et facilem revocante somnum.

AD IO. IACOBVM AB ALEX Provinciæ Neapol. Præpositum.

Obedire idem esse dicit ac imperare.

ODE X.

Te nostra primum Pieris auspice
Prodire gestit; Parthenope audiit
Olim Lycéo quem frequenti
Ingenii haud sine laude civem.
Dat jura mundi legifer aspici
Obscurus; illum tu refer arduo
Nutu potens, & fræna tractans
Imperii tibi dedicati.
Nec turpis, ultro servitii reus,
Vivam; probrosum haud obsequium est mihi.
Repensa libertas quiete
Sic fruitur bene feriata.
Si non Parenti subditur impotens
Sui, catena mens adamantina
Devincta parebit Tyranno
Indecori, dominoque Diti.
Illum reponet, te duce, liberum
Iurata virtus, quem semel obtulit
Lojolæ, & intégro magistro
Credidit haud animi protervum.
Vis illa victrix proteret arduam
Cervicem, & altè colla jugo teret,
Lorisque restringet lacertos
Sponte; minor licet ille juris,
Sic imperabit, credulus unice
Vt cumque Patri se dabit. O nova

Ignatiæ vis legis, altum
Ingenium tenuante nutu.

Pervicaciam deponit ingenii.

ODE XI.

VLtro emancipor alteri,
Sic juris dominus liberior mei.
Durabo imperiosius
Iussum, nec patrias clarus imagines
Per fastos veteres petam,
Quamvis Assaraci sanguis, & Inachi,
Alta aut stirpe Quiritium;
Infractam edomui mitè superbiam.
Egit jussa Parentium
Divûm sponte sator; cui polus arduus
Servit, jure perhorrui
Obniti oppositi motibus ingenI,
Dura mente proterviens.
Qui jus arbitrii nobile cesserit,
Regni jura merebitur
Regnantem imperio ditis Iberia
Prait sorte beatior,
Prudens consilii cui Pater imperat.

AD BRANCIVM.

De conscientia aperienda ei, qui præest.

ODE XII.

NOn te catenis illaqueat Scythes,
Nec barbarorum compede servies
Sonante vinctus: sponte nexu
Liberior sine fraude vives.

Quid

Quid peccet ultro cæcus Amor sui
Securus unus cedere nescia
Obstat voluntas? pervicacis
Multa feres mala mentis exlex.
Simplex fateri prome recondita
Cordis latebra. nil vafer artibus
Obtende tectis; quicquid angit
Sollicitum, laceratque pectus,
Profer; fatendo cura resolvitur;
Pudor reluctans, & taciturnitas
Sæpe obfuit, cæcumque vulnus
Misit in exitium silentem.
Ille obligabit vulnera sedulus,
Curaque sollers; his Venus artibus
Delusa cedet, sic triformi
Expedies animum Chimæra.
Non ille prodet perfidus auribus
Commissa tutis, nec rapiet malus
Sub divûm iniquo jure patri
Credita, & arbitrio tacenti.
Committe mentem credulus alteri,
Et consilI causam fuge quærere;
Quod ille nutu cumque amico
Iusserit, aggredere haud moranda.
Nec te gubernes; hic melior reget;
Dei verendum finge vicarium,
Sic callidas vitabis artes,
Ditis & insidias dolosi.

Obedien-

Obedientia, quæ dicitur cæca, laudatur.

ODE XIII.

Consulta Patrum nulla jubentium
Scrutabor audax, seditionibus
Et cuncta permiscens, sed otI
Dulce fruar potiore fructu.
Est ut quietem fluctibus Adriæ
Ignoret alter sævior, ardua
Nunc jura culpans, nunc iniquum,
Aut senis imperium Parentis
Fastidiosum. non mihi ferrea
Mens est; acerbo non ego præsuli
Crudus renitar, nec moratus
Aggrediar pede jussa claudo.
Lenis voluntas non inamabilem
Fastidit iram principis, asperet
Natura, seu tristis senecta,
Sive humiles referat penates,
Genusque vulgi; quisquis erit, Dei
Nutum tuebor, leniter obsequi
Promptus, jubentem praque vertens,
Robur & ingenii refringens.
Vltro, benignus quod Genitor dedit,
Mentis redonabo arbitrium, neque
Inglorius parere, sensus,
Meque regam meliore clavo.
Regnare discam subdere fortior
Fasces superbos mentis, & infulas,
Potens triumphataque jura
Sponte dare, ac tenuare fastum.

Hac norma quondam fixa sodalibus
Lojolæ, acuti ne nimium sibi
Impunè fidant, obtueri
Neu trepident placitum Parentis.

De illustri sui ipsius victoria.

ODE XIV.

Parere simplex nil sapientia
Fidit, protervi consilii haud tenax,
Jugoque mutat sponte fasces
Ingenium attenuans superbum,
Et jus volendi; lenior opprobrI
Perferre voces, jussaque principis
Severa Patris; si periclum
Forte facit, feret ille fortis.
Vltro obligari compede libera
Sinet; lacertos, & dabit aureis
Collum catenis, seque ducet
Victor, io! proprio triumpho.
Ducumnè quondam stirpe satus, genus
Illustre jactet, sortis an infima,
Dijudicare haud ille curat
Ingenii potiore laude.
Cervice prona sustineam jugum,
Vtcumque adæquans munia pauperis
Davi, nec impositam recusem
Terga super tolerare molem.
Circa labores est animus graves,
Et quicquid altè parturit ardui
Patris voluntas; aut Triones
Destinet, aut Nabathæa regna,

Pra-

Prægestio jam tendere, concitus
Quantum nec ales; sic celer obsequi,
Nubes per auras qualis, & per
Alta equitat freta victor Eurus.

AD SPINELLUM
Provinciæ Neap. Præpositum.

Obedientiæ triumphus, & generositas.
ODE XV. *l.2.od.16. l.4.od.11.*

LEnè jam frænos patitur, nec ultra
Ludet exultim sine lege, inaudax
Ire libertas, ut honesta sese
Subdidit ultro.
Serviam quamvis calidus juventa,
Principum sanguis licet; & remitto
ImperI jus omne; juvat revinctam
Dedere dextram
Alteri. Dux ipse trahes ferocem
Arduus curru, domitum & catena
Aurea, ducesque novo triumpho
Sponte sequentem.
Pronus in Patrem trepido subire
Iussa, tu nutu facili jubebis
Arbiter regni posuisse viles
Sub pede fasces:
Scilicet prudens ubicumque malis
Siste, non usquam timidum perire;
Palleam nec jura severa, fortis
Frangere mentem.
Mater at frustra vetet ire fines
Orbis extremos, & Eoa regna;

Nôsco quid possit lacrymans, quid illa
Peccet amando;
Sæpe consultum revocare patrum
Ausa; nil voces moror inquietas,
Me mea dux mentis ages citatum
I[illegible]ua vota.
Temnit insanas Genitoris iras,
Temnit & Virtus lacrymas decoræ
Matris, amplexu properantem & alto
Summovet ore.
Vivitur tuto mihi, qui Parenti
Cuncta commisi sine fraude, simplex
Mentis; ut curis vacat expeditis
Libera Virtus.
Integer juris simul obligavi
Lege devotum caput, imperavi
Clarior multo, & mage liber actus
Sub juga legum.
Non, premas si me gravis atterendo,
Suscitem rixas male concitato
Pectore; & virtus sapienter acres
Contrahet iras.
Terret audaces animos refracta
Vis, & exemplum grave præbet exul
Plurimus, quem Relligio gravata
Expulit ultra,
Mitis, & nutu celer ut facessam,
Quicquid ingrati repulit protervus:
Hac tenet Lojola suos amica
Compede vinctos.

AD CAPYCIVM.

Parendum etiam asperius jubenti.

ODE XVI.

DEvota Patri victima Cantabro
Tinges secures jam capitis minor
Iugo sueti; haud ulla major
Hostia Pontificis Quirini
Sacravit aras. non tibi pervicax
Est ira, mentis nulla protervitas,
Non muniit natura duro
Robore, non adamante pectus.
Quamquam vetusto nobilis ab Capy
Denominatus diceris, urbium,
Regnique Campani Tyranno,
Non Amor indecorem revincit.
Luctere vinclis? impedies caput
Reti doloso. jus tibi patrium
Male arrogando, derogabis
Imperio, domineque menti.
Parere caecum te nihil atttinet
Tentare Patris consilium tui,
Gressu laborantem irretorto
Pergere, quo citat ille prudens.
Seu blandus accit, sive supercilI
Nutu severo, torvus & aspici,
Nil interest, accurre tantum
Perficere, & rapere ore jussa.
Non ille, quamquam territat horridus
Iubere, voti perculit integrum;

Nar-

Narrantur & prisci severos
Sæpe tulisse Patres, senesque
Asperos juventæ; læta sed incitat
Virtus volentes, mentibus intulit
Vt lene tormentum, & protervum
Ingenium sibi destinavit.
Ne temne Patri credere pectoris
Curas: mederi callidus anxium
Levabit, arcanum fide si
Consilium reteges amica.
Nec fallet augur te sine Numine
Maturus avi; dux fuerit Deus,
Tu liberum regnum benigno
Dede modo arbitrii Tyranno.

AD MORMILIVM.

Promptitudo ad jussa vel ardua laudatur.

ODE XVII. *l.3.od.5.*

QVi se minorem subdidit, imperat.
Regnum pacisci servitio decet,
Iugumque libertas amicum
Sponte tulit, positura fasces.
Vim contumacem contudit ingenI
Regina virtus, legibus & vetat
Negata, & impermissa tangi,
Subdere & arbitrium renidet.
His institutis providus imbuit
Lojola prolem, non sine conscio
Parente, quicquid mente versem
Consilii, tacitusque condam.

Fœcunda laudis, par ſoboles Patri,
Franciſce teſtis; te Pater evocat
Nutu tot emenſum labores,
Difficilis per iniqua Nerei;
Atqui videbas, diſſociabilem
Qui finis Indum ſcindat ab Italo,
Quantis fatigatus procellis
Regna petas Nabathæa, & urbes
Ante irrepertas; non aliter tamen
Viam vorabis, quam propè ſi vocet
Altrice Cajeta, Quirites
Viſere, nil reditus morantem.

AD OBEDIENTIAM.

Regia ejus poteſtas oſtenditur.

ODE XVIII.

VIs magna nutu pectora temperans,
Superbientis qua potis ingenI
Fregiſſe vires, & protervum
Vertere conſilium, benignæ
Regina mentis: ſe ſibi pervicax
Subiecit ultro ſenſus, & imperI
Clavum remiſit; ſola præfers
Sceptra manu, dominoſque faſces.
Vltro coërces brachia libera,
Cura & ſolutum protinus evocas,
Greſſus retorquentem citatos
Patris ad arbitrium jubentis:
Regnum volenti vis tua ſurpuit
Non indecoro ſervitio premens;

Vt ære Campano ciere
Signa dabis facilè efficaci,
Curtum soporem frangimus impigri;
Non ulli virtuti mora, prosilit,
Notæque cœpta nil retardant,
Et calamum, atque elementa damnat.
Pudet reniti rebus in arduis
Impune, quamvis me jubêat grave
Seu trima, seu quadrima Pallas
Ferre jugum, puerumque inertes
Formare mentes; tendere fervidas
Dauni paratum, seu gelidas magis
Sammitium oras, sive magni
Panthoidæ Calabrum Lycéum.

AD PAPPACODAM.

Ad obediendum exemplis eum acuit.

ODE XIX.

NOn sat paterni te laris exulem
Fugisse, quin & te fuge barbare;
Quanto negaris sponte plura
Ipse tibi, potiora tanto,
Et plura Cœlo divite deferes:
Est tanta merces simplicis obsequI,
Servæque mentis; fas minora
Regna tibi reparare regnis.
Testis severis Isacis hostia
Devota flammis: ecce furit Pater
Vibrante ferro. torvus ora
Fixit humi, tenuitque atrocem

Vultum. Parentis scilicet horridi
Spectata Virtus postgenitos docet,
Mucrone districto parati
Vindicis, obsequiique noti.
Ergo volucres aliger incita
Pennas, Amoris remigium, Pater
Sive ore promet jussa, solo
Sive supercilio movebit.
Discernet aquis omnia legibus
Prudens, & aquo jure tuebitur
Imos & insignes, habenas
Imperii bene temperando:
Ceu quondam inerrantes loca inhospita
Columna densi praiit aëris
Nusquam paventes, lacte puro, &
Melle solum liquidum redonans.
Non astuosi damna Caphari
Soluta cymbe sentiet, aut gravem
Nautis Charybdim, si sequacis
Arbitrii reget ille clavum.
Plerumque fallit callidus artium
Satelles Orci, & ludit imagine
Discrimen anceps, lucis auro,
Candidus, Alituumque vultu.
Sunt evaganti vectibus aneis
Metata certa claustra decempeda,
Licentia frenum. latebis
Limitibus, spatiisque fixis.
Hac jura quondam providus addidit
Pater coërcens aquora finibus,
Intraque prascriptum frementes
Oceanum glomerare fluctus

Iubens,

Iubens, severa lege domabilem,
Brevesque arenas septaque littoris
Gementem. ut infantem revinxit
Nerea, convolüitque; cunis
Nunc ille vagit parvulus uvidis,
Paretque jussis Oceanus minor
Teramplus, immensus; nec actam
Transilit ulterior refixam.



PARS SECVNDA,

De Castitatis Voto.

AD CAPANVM TIRONEM SOC.

S. Thomam Aquin. exemplar castimoniæ proponit.

ODE I. *l.3.od.4.*

O Flore mentis pulcher, amabili
Pudore pulcher, disce ferociam
Virtute dignam Martiali,
Iamque tener metuaris Orco.
Illa ô genarum purpura scilicet
Cruentet hostem. te Pudor agide
Obarmat acrem; sculpit auro
Scuta novis Amor officinis.
Te, te tuendo callida subdola
Fraudis pudicum Tyndaris horreat
Spartana, dementum procorum
Blanda leves rapuisse sensus
Molli süada; sed timet asperum
Vitro leonem tangere, protinus
Morsu reluctantem feroci,
Quem celeri movet ira flamma
Vltrix pudoris: scimus ut igneo
Quondam puellam torre fugaverit
Aquinius, terrens & acri
Fulmine depulerit protervam.
Magnum illa tormentum ingenio admovens
Erupit auro crinibus illito

Fidens

Fidens, Dionaas & artes
Docta, Cupidineasque fraudes.
Sed quid pudici floris, & integra
Custos juventa posset Amor, fuga
Sensit. minaces illa vultus
Horruit, illecebraque atroces.
Dixitque lapsus concolor Hespero
Formosus ales; macte nova puer
Virtute, zonam Martialem
Cinge potens, tibi quam nitenti
Discrevit auro Soprosyne pudens;
Quin pace parta, jam potis otio
Frui beato, namque bellum
Compositis residebit armis,
Posthac nec ullo Marte superbiet
Cognatus hostis, nec male contumax
Regnum quietum concitabit,
Me duce, me cohibente motus.

AD CARAFAM.

Ad Societatem Iesu invitat, ut pudice vivat.

ODE II. *l. 3. od. 19.*

Lojola casti fœderis integrum
Te poscit astris; eripe Cypria
Immune pectus, mitte vulgus,
Et socios sapiens adauge.
Iam mente curas excute libera
Cœlebs. quietum non aget improbus
Tumultus, olim feriata
Mente dies referente primos.

Cum sæva nondum dextera tangeret
Fatale lignum, pelliciens virum
Vxorium nec dum noverca
Fata (nefas) traheret nepotum.
Illos perenni scilicet otio
Pater bearat colle sub herbido,
Vmbraque Silvani, carente
Vepre sole, & paliuro acuto.
Nunc inquieta conjugis omnia
Tonant querelis. sic Notus impotens
Exercet undas, sic per altum
Ignis it nemus actus Euro,
Sævitque tædis. connubium Deus
Prudens remiscet sollicitudine,
Ridetque si vir posse retur
Iure frui potioris otI.
Brevi sed ambos dura necessitas
Sortitur urna, non sine lugubri
Clamore Natorum, atque nigris
Sordibus, indomitoque luctu.
Ille explicata fronte beatior
Deget, Cytheren irrevocabilĩ
Qui reppulit voto pudicus,
Et pueri sine labe turpis
Vitavit artes providus. irritum,
Quodcumque vovit, non faciet, neque
Immota pervertet statuti,
Quod niveo semel ore sanxit.

De vigili custodia sensuum.

ODE III.

CUstos pudici pectoris improbam
Damni reliqui materiem; omnia
Mihi & negavi, quæ puderem
Sollicitent, capiantque sensus.
Quodcumque cerni vel male lubricum,
Vel turpe tangi, vel bene candidas
Irritat aures, fraudulenta
Quas liquido tenet ore Siren.
Cratera pinguis ducere Cæcubi
Parco, Diones, & pueri timens
Fomenta cæci; mensa paucis
Parca frui dabit, & paratis.
Omnisque desit copia narium,
Myrtusque, flos & Cyprius Atticis
Fragrans, odoratique Pæsti
Collibus, Assyriæque merces.
Sic mens carendo libera fervidos
Excludet ictus, vimque Cupidinis:
Parentis ut præscriptum Iberi
Auspiciis, stabilique norma.
Severus illi cultus erat; sibi
Atrox, severis pendere lancibus
Quacumque suevit; fortuitum
Linquere suppliciis inultum
Haud crimen ausus; frena recolligens
Mentis vagantis, nec male digredi
Passus, jubebat constituto
Fine suos equitare sensus.

Ca-

Castitas vitæ asperitare servatur.

ODE IV.

O Di quietus regna Cupidinis
Infesta bello, fœdera non prius
Sancita priscis castus ici
Virgineum me ditans decorem,
Aptumque sertum; qui nitet integer,
Purusque labis, non aciem fugit
Cervice, districtumque ferrum;
Estque mori pretium, decusque.
Diverberato corpore sæviunt
Plagæ cruentæ; pectus & aspero
Thorace, inhorrescitque setis;
Scilicet admoveant pudico
Frustra sorores Gorgoneæ faces;
Nec vox canoræ virginis heu nocens
Audiri, & os fatale cerni
Mente levem malè demovebit.
Proclivè ducit sæpe licentia,
Pudore quondam lumina libera
Culpante, cæcum vel sodalis
Consilium, & malesuada verba:
Pudor latebra clausus, & æneo
Sub vecte degit; dissociabile
Vulgusque, damnatosque cœtus
Reppulit, ac trepidante penna
Evadit altis nubibus arduus
Pudor; vetabo, qui Veneris furit
Vesania, mecum remistus
Ducat agens geminam ruinam:

Vt inquinavit purpureum decus
Incestus olim, tabidus inficit
Sodalem; & exuctis medullis
Advena utrumque lues perédit.

AD SOCIOS.

Castitatis triumphus.

ODE V.

NOn tu beatis mentibus invides
Iurata pubes fœdere candido.
Impune devictis pudoris
Hostibus, edomitaque matre.
Nectis catenas ritè Cupidini
Contaminato: jam mihi servient
Artus rebelles, jam corusco
Visa polo levior relabi
Hagnéa terris, frangere fortior
Arcumque, tadamque, & pharetram gravem
Telis; quieta jamque sensus
Pace silet taciturnus ultro.
Non ante certa lege domabilis,
Scensve frani; quippe procacior
Martemque consundens iniquis
Motibus, & venerem marinam.
Integra mentis nunc precor, & mihi,
Lojola, dones candida pectoris,
Nec me juventa pervicaci
Fervere, nec nimium proterva.

AD IUVENEM PROCACEM.

Infelicem ejus statum ostendit.

ODE VI. *l.1.od.27.*

NE labe turpa pectus, & hospitis
Cubile Amoris; coge licentiæ
Frænos verecundus, premique
Difficilem cohibe juventam.
Ah ne severum tu quoque sentias
Olim Tonantem: monstra Typhoëa
Insana dicant, qua resorpti
Diluvio pereant, monente
Titanas acres in Venerem sene
Bifronte frustra. Mulciber oppida
Exorbuit quondam caducis
Ignibus, horribilemque vertit
In pulverem. quanta miser æstuas
Flamma Chimaræ? dignior ætheris
Flamma, sodali (cernis?) astra
Lumine purpureo renident.
Quæ sæva Circe pocula miscuit
Tingens venenis? nunc age, Thessalas
Artes resolvat pura labis
Sophrosyne expediens Dione.

Castitati se dedicat.

ODE VII. *l.3.od.4.*

DEscende Cælo candida mentium
Regina certo fœdere Castitas,

Seu lilio gaudes comante,
Seu niveis adoperta vittis.
Ne cæca mentem vertat, & impotens
Vesania, acris ne catus aucupI
Puer sagittam perque pectus
Trajiciat, per & ima cordis.
Serves clientem: tutus ab artibus,
Teloque degam; cingar & innuba
Lauroque, collatoque flore
Integer Aonidum sacerdos.
Castis amicum, labe procul, choris
Tæda nec olim me puer Aliger
Fœdabit atra; nec Cythere
Sæva fretis, metuenda flammis.
Spernam pudicus prælia civica,
Martemque natalem, & patriam facem
Spernam, pharetratumque Amorem,
Et tacitum inviolatus arcum.
Tecti latebra me simul abdidi
Acuta vitans spicula luminum,
Tuebor impermissa nunquam,
Omne nefas oculo movente.
Eheu revictum testor adulterum
Heroa, & atris arma cruoribus
Inuncta, vix deleta vatis
Tot lacrymis, gemituque longo;
Sic expiari difficilem lavit
Labem, severus flagitio additus
Vindex, se amatoremque sævum
Tristibus exagitat querelis;
Semperque mærens immeritum virum
Demissum ad Orci limina, Bersabes

Ten-

Tentator; & quondam sequutà
Progenies vitiosa Patrem,
Patrique dispar, scilicet improbo
Inarsit igni; thuraque Manibus
Vxorius turpi in senecta,
Et vetitas adolevit aras.

Castum cœlestibus fieri similem.

ODE VIII. *l.2.od.19.*

FAs me pudicum dissociabiles
Referre Divos corpore languido;
Legesque mortales, & ultra
Iura hominum, trepido beatas
Æquare mentes: sic juvat addere
Stellis honorem, lactis & uberem
Subire callem, semitamque
Virgineis pedibus terendam.
Nunc separatis candidus ædibus,
Tutusque degam, fallere providus,
Vitare & artes viperinas
Eumenidum, & prohibere turpes.
Procul choréis sedulus, & jocis,
Ludoque vulgi; jam sat idoneus
Pugnæ puer, Ditis cohortes
Edomui sine labe cordis.
Iam tum decora gymnade nobilis,
Cupido, te, audax edomui; & Venus
Aggressa nequicquam es pudori
Sollicitum, illecebræque purum.

Quies,

Quies, & felicitas casti ostenditur.

ODE IX.

CVras mariti fœderis arceo
Sodalis otI; nec metuam procos
Solutus uxoris dolosæ,
Et Paphias agitantis artes;
Sat nota fraudis forma tuentibus,
Casumque ducit lubrica plurimum
Tangi voluptas, heu juventæ
Dulce malum medicans veneno.
Hagneïa custos me bene candidis
Tuetur ulnis; mî pudor usque erit
Cordi, nec obtutum Lacanæ
Purpureæ mihi fas tueri;
Clauso latebra. quin thalami quoque
Expers honesti, spernere destino
Iugo laborantes sub uno,
Materiem facilem ducti.
Sic mî benigno profluet ubere
Diviniorum copia munerum;
Cupidinis non tela tingam
Victima; non adolebit igni
Immune pectus; pulchrior altera
Amor fovebit me face, pulchrius
Ardebo, juratumque votum
Hesperio solüam Parenti.

De vi insiti fomitis edomanda.

ODE X.

Hagnéa, Cressa virgine pulchrior
Cui cura casti cordis & integræ
Mentis, pudici vis amoris,
Huc ades, & meliore pectus
Flamma resorbe, ne male provida
Fervor juventæ mittat in igneam
Chimæram, & insana furentem
Cypride devolüat sub Orcum.
Deducta quondam semine patrio
Innata labes inficit, inficit
Prolem, & Parentis criminosi
Vim penito inseruere cordi
Contaminatam. sic furit intima
Vulcanus Ætna, quæque bivertice
Arsit Vesevo flamma quondam,
Ejaculans liquefacta saxa.
Sic Adriani gurgitis arbiter,
Ferves Iapyx, sic Cybeleïum
Vocale debacchatur agmen
Sistra manu quatiens acuta.
Tu Diva fravos coge volubilis
Auriga mentis; tu mareotico
Compesce lymphatam protervo,
Sobria, restituens quietum,
Regnum Parentis. prisca fer otia;
Neu pectus imis seditionibus
Confundat æstus, cæca neu vis
Cuncta ruat labefacta motu.

da.

Cupidinis superati querelæ.

ODE XI. *l.4.od.4.*

FRustra juventa vividus impetus
Deliberantem vivere Virginum
Vitam, lacessivit, vigorque
Propulit in Paphios amores.
Vltro reluctantem. ubere Cantabro
Nutrita virtus pectora roborat,
Quandoque constantem pudorem
Inserit, abstineo Diones,
Fœdaque labis; diffugit ocyus
Cupido tangi sordidus, & leves
Fundens habenas, ferre suetus
Indomitam sine lege mentem.
Iam jam refectis viribus acrior
Pudor reflorescit, neque turbido
Sensus renituntur tumultu,
Sponte regi faciles magistro.
Querente vanas Cypride concipi
Fraudes. Quid ultra, Nate sagittifer,
Tradam fatigas persequendo?
Marte novo fugiens triumphat
Iterata pubes: Parthus uti ferox
Fuga revictis hostibus emicat,
Fuga decora, nec retrorsum
Terga dare opprobrium est volenti.
Gens quæ pudici propositi tenax
Vinci dolentem me simul unicè
Odit, remisit conjugale
Connubium levior, torique:

Immunis: illi retia praepares,
Caecasque fraudes? ludet, & ocyor
Evadet integro pudore,
Aucupii haud patiens dolosi.
Ignatii jam non ego candidam
Tentabo prolem turpibus ignibus,
Taedaque natali; per acres
Expediet Pater ipse flammas.

AD SODALEM, qui se à vitæ licentia revocaverat.

Castum ejus consilium tribuit divinæ dapi.

ODE XII. *l.4.od.15.*

Parum severum nuper, & ingenI
Procacem abhorrens increpuit Pudor,
Vetans te inerrantem vagari
Liberius, triplicique habena
Auriga prudens rite coercuit.
Plagis dolosis extulit, extulit;
Infregit arcum, tela fregit
Comminuens pueri nocentis.
Pudore amico, non vetus otium
Civile bellum pectoris eximet;
Cupido nec quondam tibi te
Per tacitas inimicet artes.
Libare suetus munera Numinis
Dapalis, aras inter amabilis
Conviva, foedi vimque Amoris,
Armaque quam minimum timebis:

Qu

Quid liba poßint, donaque victimæ
Diviniris, plus vice simplici
Si pure labis criminosæ
Deproperes, sine fraude, disces.
Qualem leonem dama fugacior,
Lepusque vidit saltibus horridis
Hircaniæ, videre Manes
Solliciti, trepidique sacræ
Mensæ ferocem; sic domui gravem
Pudoris hostem haud ante domabilem.
Sic monstra detestata Lethes,
Praque cavens Acheronta fugi,
Vires & altum consilium Deo
Præbente, vix jam prælia commovet,
Rixamque natalem Cupido;
Et jecoris tepuere flammæ.

AD PROFANVM POETAM.

Hortatur ad castè canendum.

ODE XIII.

Stant vota quondam candida Cantabro
Edicta Patri: compede nobili
Amor revinxit sponte, nulla
Vincla die solüenda nectens:
Non me priores Hippolytus tenet
Sedes, novercæ fraudibus impiæ
Objectus, integræque Vestæ
Pro studio patiens necari.
Quicquid canendo lusit Anacreon,
Quicquid procaci Naiadum choro

Lusere vates turpe nuper,
Aut memorent Parin, aut Adonin,
Odi severus; desine turpium
Tandem Camœnarum, & chelys absona;
Odéa Phœbi personabit
Castus Amor potiore cantu.
Frustra Cupido spicula plumbeo
Intendet arcu, non semel ignibus
Procusa; nec vatis pudici
Pectus aget, vel operta cordis
Subibit audax: Musa licentiæ
Nocentis ultrix carmine garrulam
Sirena turpi vicit, aptans
Serta sibi leviore penna.

Pro castitate vitam devovet.

ODE XIV. *l.4.od.9.*

VIxere multi robore Martio
Fortes; Diones sed puer acrior
Evicit armis, & pudoris
Laude carent sine flore mentis.
Nihil reciso flore rosæ pudor
Distat subactus; non ego lurida
Contaminari labe pectus
Immeritum, aut patiar pudorem
Impune lædi, conscius improbæ,
Cautusque fraudis, turpis & abstinens
Locique, cœtus & nocentis,
Donaque rejiciens retorto
Vultu, molesta pauperie, & nece
Pejus timebo flagitium, neque

Pro mentis integræ nitore
Purpuream metuam securim
Cervice prona tingere: Cæcilis
Quirina virgo sic bene concidit,
Quamque olim Alexandrea vidit
Damna per incolumem rotarum.

AD CARACCIOLVM.

Hortatur, ut pudorem illibatum servet.

ODE XV. *l.1.od.4.*

FElix, nitescit qui nive candida
Prior, nec illum cura Parentium
Vrget laborando, sed alta
Nil trepidans potitur quiete.
Compesce curas, fœderis inscius
Vxorii, te dedicat innuba
Hagnéa, Cœlestum & remiscet
Ordinibus, Gnydiaque puris.
Huic crede castus pectora, quæ simul
Sensus repressit corpore fervido
Deprœliantes, nec Cupido,
Nec faciles agitantur æstus;
Quod Cypris offert, heu fuge tangere,
Quod illecebræ cumque parat, ferox
Remitte, nec turpes amores
Concipe in opprobrium pudoris.
Ne tu nitentem perde pueritiæ
Florem, pavendo pervigil excubæ
Pudoris acer tutor, acer
Dedecorum, scelerumque lictor.

Latet Cupido proditor intime
Sub corde, telo figere pertinax,
Et fronte direptam corollam
Tollere amat nimium pudico.

Fomes innatus describitur, ut reprimatur.

ODE XVI. *l. 3. od. 3.*

VIrum tenacem cœlibis otii
Non æstuosi cura Cupidinis
Mordet, nec instantes puellæ
Proposito quatient pudico.
Non inquieti turbida pectoris
Procella motu concita civico,
Demissa tempestas & imis
Sensibus ancipiti duello.
Ex quo Parentes fœdera principes
Rupere quondam, fomitis improbi,
Flammaque damnati nocentes,
Sæpe animum furiare suetæ.
Hinc acta sævis seditionibus
Nunquam resedit pugna, sed asperis
Rixis, & invisi nepotes
Perpetuis agitamur armis.
Vis tauriformis, cæcus & impetus
Erumpit exlex, indocilis pati
Frænum, Diones & protervæ
Indomitos cohibere motus.
Non ille candor splendet amabilis
Vultus, & astro forma nitentior;
Obnixa sed vim pervicacem
Mens opibus Superûm refringet:

In-

Integra puro Numine Castitas
Reponis auro sæcula, candidos
Mores reducens; meque dulci
Posse frui patriæ quiete.
Ne fracta virtus concidat, usque opem
Fer Martialem, vincere strenuam
Hostem; triumphatis licebit,
Ac domitis dare jura membris.
Infracta mens vim Cypridis insitam
Domare tendet, mens bene provida,
Ne corde debacchetur ignis,
Tisyphone stimulante pectus.
Semper dolosi retia palleam
Cupidinis, venabula callidi
Armare, maternas & artes
Per tacitas agitare fraudes.
Sic explicatis nexibus unice
Evasit ales, sic lepus emicat,
Plagis & extricatus infert
Se tacito siliüa cubili.

AD ALBERTUM TIRONEM Carmel.

Laudat ejus consilium, & castum esse jubet.

ODE XVII.

PRudens remittis pectore candido
Ruentem in ignes turpe Cupidinem.
Non usque splendebit juventas
Purpureæ similis Dianæ.

Diffingit ætas irrevocabilem
Formam; nec annos, quos semel eripit,
Ulli reponet, mox soluto
In cineres, sine amore, vultu.
Te, te beatos tollit Amor supra
Colles Olympi, ruraque patria
Castas agentem jam choréas,
Cumque choris Superûm morari
Prægestientem. jam tibi candidum
De flore sertum, munera Virginum,
Componitur; sed cautus omnem
Materiem fugies malorum,
Damnique semen; scilicet arduum est
Servare mentem, non secus artuum
Expers Olympi pulcher ales
Lumine virgineo renidet.
Perusté flagro terga, Cupidinem
Domabis acer; comprimet ænea
Catena vinctum, ferro acuta
Zonaque, setigerumque textum.
Hæc prima gentis vulnera, criminis
Hæc prima labes. æstuat, æstuat
Haud igne puro cor, jecurque
Intumet, & sanie ulcus horret.
Tot ferre casus Terrigenas, malis
Subire tantis heu Pater impulit,
Pater; cruentavit suorum
Cæde manum gravis ille lictor.

AD MACEDONIVM.

Castitatem nuptiis præfert.

ODE XVIII. *l.2.od.11.*

NE junge amorum fœdera; connubI
Quandoque cura pectore sæviunt,
Vt Caspii fluctus quietem
Sustulerunt, facilemque somnum.
Cur non beatis te Socium choris
Prudens remisces? floris honos ubi
Sertis odoratis perennat
Pulcher, Acidalio invidendus.
Fas est Amori pectora candido
Sacrare tandem consiliis novis,
Votoque constrictum triformi,
Te laqueis Erebi expedire.
Amor pudicus sollicitudines
Parentum edaces dissipat ocyus,
Natisque distinctoque temnit
Cogere divitias nepoti.
Quis te Sodalem fœdere Cantabro
Iunget, paternaque eliciet domo?
Iam perge, maturaque liber
Tergemino religande nodo.

Caute pudorem servandum dicit.

ODE XIX.

PEriculosa versor in alea
Mortale gestans corpus, & additum
Menti. male ah subjectus ignis
Delituit cineri doloso.

Quot

Quot excitavit flamma tragœdias?
Quot damna castis Mulciber intulit?
Subegit & fortes Cupido
Sæpe, & atrocem animum revicit.
Quis inquieti prælia pectoris
Non sensit? aut quæ mens genitabilis
Ignara belli? quisve cæco
Marte caret, patriaque flamma?
Ergo nocentem jure perhorrui
Percautus hostem, mille vafrum modis,
Artisque materna peritum.
Consului trepido pudori.
Lojola certum præsidium modo
Præstes, pudicis semper amicior;
Tu palmam, & æternos honores
Mi Cyprio paries triumpho.

Propositum stabile castè vivendi.

ODE XX. *l.2.od.7.*

Lojola magnæ progenie Parens,
Et dux honesti, fœdere candido
Redonat almæ me quieti
More patrum bene feriatum.
Damnosa frustra me Venus illicit;
Cæcum remisi corde cupidinem
Oblivioso. nunc pudico
Flore mihi properare sertum
Curate, & auro. nobile Virginum
Insigne quæro. non ego Cypria
Vesania bacchabor amens,
Connubii vacuis amicus

Me more Cycni sustulit aëre
Pudica virtus; nec Iovis armiger
Rostro paventem pertinaci,
Vnguibus aut male carpit uncis.
Quamquam citatam corripio fugam,
Non turpe dicar linquere parmulam;
Sed tela vito sæva, & arcum
Effugio pueri Diones.
Reddo obligatam nunc reus hostiam;
Torique curas, & thalami graves
Depono; & astris totus alta
Mente feror mihi destinatis.

AD CRISPANVM SACERDOTEM.

Sacerdotem in primis decet esse castū.

ODE XXI.

Litabis aris munera proferens,
Non inquinata libaque dextera;
Castusque placabis Tonantem
Virgineis operate sacris.
Te fœda castum Bellerophonta, te
Chimæra formidet. preme cuspide
Informe monstrum; nec tibi atro
Ore vomet nocitura flammas.
Non admovebit mentibus integris
Cupido tormentum, & Venus impotens
Vexare mentem. tutus ipse
Cum sociis thalami solutis
Deges. pudicum vis quoque terreat
Incesta damnis; inficies magis

Mucronem, & immites bipennes
Sanguine, non timidus perire:
Nescit Cupido tangere vulnere
Immune pectus; candor amabilis
Vel fronte collucet serena,
Et decorat bene nata pulcher.
Fies pudicus rite sodalium
Integriorum; Cantaber ut parens
Sacravit; & juratum adegit
In tria verba, triplexque fœdus.

Quam acriter Deus puniat incestos.

ODE XXII.

LUet procacis fœda Cupidinis
Commissa, quisquis candida pectora
Coinquinavit nata in usum
Hospitii, placitamque Sancti
Amoris adem. Cypria naufragum
Delevit orbem, Cypria fumidas
Evertit urbes; cum tonantes,
Ceu pluviæ, cecidere flammæ.
Damnosa pergunt secula turpium
Inire patrum; par veteri genus
Renascitur nullo pudore,
Notaque dedecorum propago.
Infecit ipsam labe puertiam
Turpis Cupido; mentis & improbè
Tyrannus, & mollis juventæ,
Matris ad arbitrium Cytheres.
Tædas & arcum, telaque corripit.
Inter calentis munera Liberi,
Inter dolosas & latebras,
Luminibus, sociisque tectas;

At me remotis nil juvat arbitris
Fecisse; coram non sine conscio
Degam sodali; cautus olim
Cantaber hæc Genitor monebat.

De vigilantia in pudore tuendo.

ODE XXIII. *l.3.od.5.*

HAgnea puri sedula corporis,
Mentisque custos usque tuebitur,
Puer Diones me timebit
Sponte supercilio severum.
Pudoris exlex sub duce Cantabro,
Turpisque vivam? nominis immemor
Lojolidûm? æternique juris,
Fœderis & sine laude sancti?
Prius decoro vulnere barbaras
Tingam secure, purpureæ minor
Cervicis, exemplo pudici
Propositi erudiens nepotes.
Integra virtus scilicet, aureæ
Decorque formæ deterior velit.
Vulgo notari? vel recidi
Sophrosyne sinet alma florem?
Non ille rursus Vere renascitur,
Quem Cypris ungui messuit invido;
Narcisse sic langues, odoras,
Tuque comas, Hyacinthe, ponis.
Doctius sagittas ludere, & igneos
Arcus, periclo proxima pervigil,
Prudensque vitabo, & virili
Torvus Acidalios amores
Vultu obtuebor. casta protervitas
Iuvat pudicum; nec faciles fores,

Por-

Portasque non clausas resignem,
Frena vagis moderans ocellis.
Quid fraudulentus possit imagine
Picta Cupido, gnarus, & aucupI
Timens; memor Trojæ cadentis,
Et Lacedæmoniæ puellæ.

Eximium castitatis decus ostenditur.

ODE XXIV. *l.2.od.20.*

Candore pulcher nubila divido
Non usitato; jam novus aliger
Fastidio terras inertes,
Et patrios repeto penates
Divûm sodalis. non onus addidit
Mortale corpus; non ego sordidus
Exul morabor, sed biformis
Per liquidas bene cautus auras
Evado. poscit me polus, igneo
Præfertque Olori; purius extuli
Et luce fulgentes, & auro,
Non sine honore pudicus alas;
Cæloque degam corporis unicè
Obliviosus: me nihil attinet
Curare quæ vitem procaces
Arte dolos Cypriæ solutum,
Ægraque curæ; non mihi nubilis
Dotanda virgo; sollicitas opes
Non elaborabo, colonus
Cum bove ceu vacat otioso.

AD ROBERTVM Carthus:
Qua arte pudor servetur, ostendit.

ODE XXV. *l.2.od.14.*

FRustra fugacem persequitur virum
Cupido, quamvis penniger explicet
Alas, citatum haud assequetur,
Eminus ut geris acre bellum.
Non, si trilici tegmine cominus
Luctere, cedet; qui lacrymabilem
Vatemque Regemque, ac terampla
Ingenio sobolem revicit;
Fugisse præstat. scilicet (heu pudor)
Quicumque turpem ducimus impii
Originem, civile bellum
Vi rapida penitus movente,
Non inquieto Marte carebimus,
Non æstuosi motibus Adriæ.
Vitæ superstes semper ignem
Virginibus metues nocentem,
Puræque menti; ne Veneris genus.
Infame telo vulneret aspero,
Flammæque damnatumque cæci
Fomitis, ac tacitæ Chimæræ.
Te jure custos vectibus æneis
Pudor tuetur, parca Ceres quoque,
Parcusque Liber, suetum & artus
Pellere liberiore flagro.

Corolla castitati contexitur.

ODE XXVI. *l.1.od.26.*

PVris amicus mentibus, alites
Iungens beatus, Cyprin in æquora

Fluctusque natales procellis
Æoliis agitare tradam.
Quicquid Cupido suadeat, unicè
Neglector. ô qua labe carentibus
Gaudes, pudico necte flores
Necte mihi haud humilem corollam
Hagnéa virgo. tu mihi candidos
Servas honores; fœdere tu jubes,
Meque integro sacrare voto,
Virgineisque choris remisces.
Regina priscum jam Ratio decus
Per te resumit; membraque temperat
Dans jura regnatis, quieto
Imperio, dominoque nutu.

Castitatis decus, & libidinis dedecus.

ODE XXVII. *l.1.od.35.*

D*Ecora virtus ex humili gradu*
Mortalem Olympo sustulit altius,
Mutans beatorum choreis,
Mentibus & sine labe puris.
Olim pudico rite Cupidinem
Lojola voto perculit, & gravi
Cessare bello vi coëgit,
Sacra pati docuitque frana.
Illum colubris vipereis prait
Megara. flagrat tada nocentior
Vtrique, gestat sed pharetram
Hic jaculis, gravidamque plumbo.
Hagnea poscit me comitem sibi
Velata vitta tempora candida.
Vtcumque connubI, torique
Iura volens inimica fugit.

Infida nunquam cesserit, editi
Perjura voti; nescia turpium;
Iugumque detrectans subire
Comparis, & geminum laborem.
Saecli nocentis prô pudet, & pudet
Libidinum: quem non Venus integrum
Infecit olim? quem Megara
Non Cyprio furiavit igni,
Vis saeva amantum? flebilium heu nimis
Tragœdiarum testis acerbior
Tot casus heroum, & pudendis
Opprobriis temerata Virtus.

Pro pudore servando devovet caput.

ODE XXVIII. *l.1.od.37.*

F*Oecunda damni Cypria perdidit*
Mortale corpus, ducere gentium
Parata dementes ruinas,
Dicta Venus Libitina jure.
Contaminato pectore sordidus
Stat ponè natus, quemlibet impotens
Fœdare, cognataque flamma
Vrere. vix animi pudici
Constans, & atris cautus ab ignibus
Evasit ut pectus penetrabili
Cupido telo vicit auceps
Corda petens violentus arcu,
Plagasque densas, caecaque retia
Tendens; sed artes ludere callidus
Pudor Dionaeas revicit:
Haemoniae leporem fugacem,

Cervamve frustra ceu trepidam Lacon
Venator urget: sic generosior
Fuga, latentes usque fraudes
Pertimui, tacitumque Martem;
Natale monstrum vincere pertinax
Voto pudico, proterere ac pede
Anguemque turpem, & pervicacem
Fundere tabificum venenum.
Deliberata morte Cupidinem
Odi; nec ensem, nec jugulo graves.
Pavebo Lictorum secures;
Damna ferox animi lacesso.
Vitam paciscar (quid moror?) ocyus
Pro mente pura. scilicet haud ero
De gente Lojola, triumphi
Præda Cupidinei superba.

AD TORALDVM.

Vt pudori consulat, hortatur:

ODE XXIX. *l. 1. od. 13.*

TVi si me satis audies,
Vitabis laqueos, collaque candida
Subduces Veneris jugo,
Quæ spumante salo fluctuat, igneum
Quæ pascens jecur, æstuat,
Impressit generi sæpius & notam.
Illibata Cupidine
Virtus illecebræ nescia sordidæ
Pravos excutit, excutit
Fœtus, quos male mens provida parturit.
Felix ô nimium, tori
Quem non ulla tenent vincula, nec facit

Lr

Infractæ fidei reum
Impermissus amor fœdere nubili.

Quantæ sit sibi curæ pudor, ostendit.

ODE XXX. *l.2.od.17.*

SYrtes iniquas littore commodo
Mutare juvit; Bosporon improbum
Fugi, procellosæque damna
Tethyos, & Venerem marinam
Fugi prope olim naufragus; enato
Sospes periclis, fluctibus enato;
Vitoque detestata castis
Saxa, doli trepidus latentis.
Amara rerum non Venus eluet
Enata ponto; desine mollior
Adoni dulcem te fateri,
Matre puer generate myrrha.
Ter fungar ævo; semper amabilem
Florem tuebor, non Aquilonibus
Metetur, aut languebit æstu
Damna per inviolatus Hyblæ.
Præceps libido cum temere incitat
Insanientem partem animæ, ferox
Obnitor, afflet ne Chimæræ
Spiritus, & male nata mecum
Vis cæca flammæ perdat, ut intimè
Vulcanus arsit. scilicet integrum
Veri sacramentum Parenti
Hesperia sine fraude dixi.
Me casta Mater cum duce Cantabro
Tuebitur, me Sophrosyne pudens,
Amoris ultrix, impotenti
Eripiet, volucresque ferro

Incidet alas, telaque noxia
Retundet, arcum franget & aneum.
Forsan juventas me calentem
Perdiderat, bona Virgo flammam
Ni temperasset, ritè voventium
Custos virorum; nunc ego victimam
Me reddo votivam, & volentem
Rursus ovem ferio pudicus.

Supplicia incestis illata commemorat.

ODE XXXI. L.I.od.2.

IMpotens olim nimium Cupido
Perdidit terras male feriatas:
Nunc & incedens pharetratus arcu
Regnat amantum.
Saela bifrontis redeunt Parentis,
Cum furor, quondam in Venerem gigantum
Turpe proclivis rueret, tonanti haud
Credulus iræ.
Scilicet late pelago procaces
Innatant, altis rapiuntur undis
Et Mimas, & Porphyrion resorpti,
Atque Typhœus.
Vlta tum fœdos gravis est amores
Doris, exultim vaga cum libido
Serperet terris, nihil & minarum
Aspera curans.
Sive cum quinæ periere telis
Igneis urbes, pluvioque nimbo,
Deque flagravit vitio Diones
Cæca juventus.

Quis teget tutor trepidum pudorem?
Matre natales stimulante flammas,
Et venenatas acuente Nato
Cote sagittas.
Mater, & Virgo, tibi cura casti
Pectoris; votis ades alma nostris,
Cantaber custos quoque, tu paventes
Instrue bello
Arduo fortis: duce te refringam
Spicula, & saevos animosus arcus,
Acer & memet feriam protervum
Non semel hostem.
Ipse mortalis licet, & superbo
Patre neglectum genus, & remissum,
Simplices mentes imitabor ales
Pulcher, & omnis
Labis immunis; patiens meique
Ultor, & judex furere inquietos
Haud sinam sensus, domitare membra
Libera fortis.

De victo Cupidine sibi gratulatur.

ODE XXXII.

Iam princeps animi, potens
Regnabit Ratio, motibus arctius
Pressis, arbitra jam sui.
Vincet vis animae pars melior mea
Saevi bella Cupidinis;
Non arcum, jaculis nec pharetram gravem
Intactus metuam. Pudor
Loricam triplicem pectore candido

Præcinxit sibi dedicans,
Iunoni penitus dissociabilem?
Constans propositi Pudor
Non jungenda tori fœdera respuit;
Perjurus neque Hymen mihi
Nectet fraude mala vincula connubI:
Tennis sic bene candidis
Evadam Superis junctus oloribus.

AD CASTITATEM.

Ejus virtutis decus, & præmia ostendit.

ODE XXXIII. *l.1.od.1.*

HVc ô Virginei dulce decus chori
Adsis, mater amans pectoris integri.
Tu mentem rapidam, cordaque perditè
Deflagrata novis fontibus eluis,
Turpari metuens pulvere sordido
Mortalem ad Superos evehis alites.
Illum si stabili fœdere vinxeris
Iuratum thalamos temnere nubiles,
Frustra sollicitet dote Quiritium
Importuna Venus, seu Veneris puer,
Vt cervice jugum ducat aheneum;
Detestata sibi damna Cupidinis
Vitat, nostra volens commodus otia,
Evaditque plagis expediens caput,
Nunc thorace premens horridus aspero
Corpus, nunc feriens grandine verberum.
Sic me serta manent, præmia candidæ
Mentis, sic niveos jungere Cœlites,
Castarumque licet ducere Virginum
Impubes choreas, dum thalamo Pudor

Secre-

Secernat; Ratio vimque regat sibi
Adversam cohibens, frænaque temperet.

Quies, quæ domitos consequitur sensus.

ODE XXXIV. *l. 1. od. 8.*

Candida vis amoris
Reddit immunem Veneris, quæ malesanum pectus
Sævit in ulcerosum.
Non ferox telis equitat, nec strepitante penna
Natus inerrat audax,
Concitans sensus animo plus nimio rebelles.
Iuris amans pudici
Reppuli cœlebs thalami vincula; nubilemque
Cernere fœderatos
Haud sino prudens oculos; sic caput involutis
Retibus expedivi,
Lubricum casũ reputans, & lacrymosa Vatis
Carmina criminosi,
In nefas ne cæcus agens me rapiat Cupido.

AD CRISPUM, qui se à vitæ licentia revocaverat.

Modum ostendit, quo deinceps caste vivat.

ODE XXXV. *Epod. 15.*

IO, procacis ingenI victor domans
Te bene Marte novo
Furere cæcum Cyprio,

Furore qui levem juventam concitat,
Demovet atque loco
Mentem minus jam sobriam.
Prudens nocenti desinis Cupidine,
Et Paphia furere,
Quæ macerat cor ignibus,
Florem pudoris quæ proterva decutit,
Inquinat atque decus.
Simul Cupido suscitat
Tædam inverecundus, vel incestus malis
Pascit imaginibus
Obliviosum te poli.
Cave; igneis inæstuat præcordiis,
Flammaque congenita
Pectus male heu depascitur.
Severus in te sævies tortor tui,
Non inhians epulum
Dapale, non ardens merum.
Vt ignem, ut acre Bacchus irritat malum
Non adeunda trahit
In lustra inexpleta lupa.
Vnde amovere vix Avernales queant
Atque minæ, atque faces,
Fulmen Tonantis aut atrox.
Sic gliscit ardor, sic marina Matris, &
Vis agitat Pueri
Telum retorquentis grave.

Tranquillitatem indicat castè viventis.

ODE XXXVI. *Epod. 5.*

F*Regi pudicus improbi Cupidinis*
Telumque, & arcum ferreum,

Im-

Immune pectus ille nec flammis edet,
Iecurque, & urens ilia,
Non saeviens tumescet in praecordiis
Iaculi venenum noxii,
Cruore viperino quod sciens doli
Armavit olim, & imbuit,
Tractare saeva philtra, felle & spicula
Inungere atro callidus,
Et illigare mollibus praedam plagis;
Fuga sed evasi alite,
Virtute dia, & efficaci robore.
Nunc improbo Cupidini
Iuratus hostis respuam atrox, obtulit
Quod ille cumque blandior.

Corporis cruciatu pudorem servari dicit.

ODE XXXVII. *Epod.* 4.

Quandoque discors bella menti commovet,
Animique pars minor furit
Insaniendo, lictor ipse tum mei
Humeros peruro funibus
Sectus flagello, & pervicaci verbere
Cruoris ad rivos mei;
Versisque flagris huc, & huc inaestuat
Vltro pia indignatio.
Motus rebelles, atque servilem manum
Parere Reginae decet:
Sic Indus heros crura suetus carnifex
Torquere dura compede,
Versare doctus orbibus motus leves,
Et artubus fingi puer.

PARS TERTIA,

De Paupertatis Voto.

Negat eam esse probrosam.

ODE I. *l. 3. od. 21.*

Mater piorum Pauperies ades
Decora, seu tu dives opum venis
Diviniorum, seu soporem
Haud trepido facilem reducis.
Despecta vulgo sis licet, & probris
Inter labores & querimonias
Iactere, te Lojola grato
Excipit hospitio merentem.
Non ille, quanquam clarus Iberiæ
Penatibus, te reppulit horridam;
Narratur & vili lacerna,
Advena cum Solymen adiret,
Mutasse loricas adamantinas,
Sagumque Martis nobile: sic poli
Gonsaga regnat, sic propago
Borgiadûm, puer & Polona
De gente, sanguis regius, abstinens.
Opum. paternum me nihil attinet
Tractare censum, dedicatum
Sponte tibi meliore voto.
Tu spes redonas largior æthere,
Tu destituti provida pauperis
Alumna, post te non trementis
Dura famis mala, dura brumæ.

Tu pectus expers sollicitudinum.
Quiete mulces, cordis & eluis
Curas, & insanos tumultus
Consilio potiore sedas.

AD NOBILEM VIRVM.

Se paucis esse contentum dicit.

ODE II. *l. 3. od. 19.*

PRisco ducis ab Inacho
Nequicquam genus, & gentis imagines
Fumosas, vacuum decus:
Me clarat Superis pauperies mea
Spreto jure penatium.
Insanire juvat, sed bene sobrium.
Da tecto tenui larem,
Da fontis latices, da Cererem brevem,
Parvo commodus, otii
Sat dives moveo materiem metus.
Qui curis amat exedi
Thesauros Arabum sollicitus petat.
Ponit libera mens opum
Pondus, dote carens, sic habilis Deo:
Supra me prohibet stipem
Perjuri metuens cogere Cantaber
Auctor, dum reparet famem
Tempestiva Ceres, mundaque parcitas.
Te ditem patrio lare
Curta cura rei conficit, & coquit.

AD MIRABALLVM.
De instabilitate divitiarum.
ODE III.

Non me superbus Pyramidum situs
Æternat; ultro pauper opum, tamen
Regnabo terrarum; potens'que
Ex humili mihi cuncta subdam.
Fortuna quicquid mobilis obtulit,
Iam jam resigno; me pietas mea
Teget, nec ultra humana quæro,
Pauperie docilis ferendæ:
Alterna semper gaudet honoribus
Fortuna, celsa vertere pertinax
De sede, fataliqué ludo
Læta venit, fugitiva cedit.
Cum se proterve credidit Africo
Mercator, auget divitiis mare
Avarum. eodem pectus æstu
Intumuit. caruit sopore
Votis pacisci fuctus, inhospita
Ne Syrtis, aut ne Scylla resorbeat;
Perque Adriæ cavos tumultus
Perdat opes violens Iapyx.
Securus ipse & turbinis, & Noti,
Lætus'que deges sub duce Cantabro,
Nec pinum onustam scandet unà
Cura & acuta, Pavorque lictor.
Non quid vetustis alter in horreis
Condat, laborans; sollicitus nimis,
Ne vota frustretur colonûm
Parca Ceres, minimumque fœnus.

Iam mitte luxus, eripe te malis.
Ne semper udi pocula Liberi,
Collesque piscosique late
Pausilypi meditere littus.
Aulaea temnens, & Babylonias
Artes, recumbes stramine rustico;
Sic explicata fronte carpes
Nocte soporifera quietem.

AD DIVITEM QVENDAM.

Divitiarum molestias commemorat.

ODE IV.

AVara quicquid Persis, & aureo
Fert amne Lydus, jam pede proruit
Terens superbo, sed rei nunc
Splendidior dominus relicta.
Auri libido praelia suscitat,
Gratumque terris eximit otium,
Et barbaros procudit enses,
Perque graves inimicat iras
Fratresque Natosque, heu quoties opes
Stetere causa, cur male divites
Vrbes perirent, & ruinam
Duceret ambitiosa Clotho.
Lucrum refraenans, jura Cupidini
Praescripsit, aequum & rettulit ordinem,
Luxumque Paupertas removit,
Et nitidum revocavit aurum
Aevi prioris. quid trepidas miser
Tam multa in usum? scilicet ignium

Oblite

Oblite nigrorum, laboras
Stultitia, moriture, inani.
Trahat Lacænas ars tibi purpuras
Baccaque torques ardeat Indica,
Dies volucris cuncta fastis
Vna teget vacua sub urna.
Inane nomen divitis occupas
Frustra beatus; rectius abstine
Pecuniæ damnum trahentis,
Atque Erebo grave deprimentis.
Prudens futuri mitte Cupidinem
Non profuturum, donaque rejice
Incerta Fortunæ, benignæ
Vt lubet, aut nimium severæ.
Non, si carebo conditionibus
Crassi, superbis aut laquearibus
Neronum, inornatus jacebo,
Ditior exiguo cubili.
Odi Phraatæ divitis, ac Midæ
Opes ministras sollicitudinum;
Pactolum & odi fabulosum
Ocia agens vacuus quieta.

AD TORALDVM.

Paupertas quietis parens dicitur.

ODE V. *l. 3. od. 1.*

NVtrix abundè Pauperies alit;
Si non propinat vina madentium
Mimallonum, libare Divûm
Ambrosiam, liquidumque nectar

Dat illa dives ducere. scilicet
Tagus medullas expleat igneas?
Auro vel insanos calores
Vnda levet resonantis Hebri?
Leves Erythra purpurea sitim
Frustra; sed imis viscera sensibus
Efferbuere; aurique venis
Plus avida sitiere venæ.
Non elaborat fœmina liquidæ
Baccæ saporem, pocula divitum;
Nec dedaleæ cura cœnæ
Vsque novas meditatur artes.
Desiderantem pauca neque arida
Languente culmo sollicitat seges,
Nec Massicæ rubigo vitis
Pleiades, Hyadesque iniquas,
Solemve culpat. te timor occupat
Tyrannus auri; te neque jugerum
Regina latè Dauniorum
Alma Ceres, neque marmorum;
Beant penates postibus aureis,
Celsoque tecto: non ego pauperum
Fastidiam, nil invidenda
Sorte, lares humiles videri:
Fœcundus oti non metuam necem,
Suspensum & ensem, telaque verticis;
Nec simplici mutem salino
Delicias Siculi tyranni.

AD ARAGONIVM.

Opibus neminem beatum fieri.

ODE VI.

Quid occupatum Nerea molibus
Vltra coerces? jam capiti imprimet
Necessitas edura, figet
Et stabiles adamante clavos.
Quamquam superbo clarus avo nepos
Stirpis vetustæ ducis originem
Interminatam, nil superbum
Aut genus, aut potuere fasti.
Te sæva Clotho, te Lachesis petet
Avara, & urna condet inutili.
Vdoque ceu manans ab Austro
Diluvies sine lege sævit,
Sic sternet urgens; te male temporis
Fefellit augur, nec Babylonius
Interpres astrorum moratur
Indomitam Nemesis securim.
Minus nocebit sollicitudinum, &
Curæ soluto; sat tumulo brevi
Curare compostum cadaver,
Diluere & lacryma favillas.
Nil lævigato marmore proficit
Incisa Memphis, cadua nil Paros.
Pilæque, Mausolique quondam
Pyramides operosiores;
Funebre cœnæ munus, & impios
Remitte ludos; desine naniæ,
Pompæque manis; pulverique
Exiguo nihil adlabora.

Nulla securitas in divitiis.

ODE VII.

SVperba damnans sæcula, pauperum
In verba juro: quod satis est manu
Altrice donabit suorum
Usque memor Genitor, daturus
Æterna, largus scilicet & potens
Divitiorum. non ego pinguium
Regnabo camporum, tibi alveo
Nectar opes Siculæ reponant.
Non sylva frondet Pontica jugerum
Multorum; opima pascua Dauniæ
Non tondet armentum, nec auro
Turpureum laquear superbit;
Latebra munit me satis, æneos
Damnoque vectes, nec penetrabile
Cubile; Paupertas resignat
Omnia splendidior videri.
Dejecit Orco cura pecuniæ
Dei sodalem; jure perhorrui
Tractare lucrum turpe, venali
(Heu scelus) ob pretium Tonante.
Incerta Bacchi, seu Cereris fides
Ludit colonum: nec cupientium
Secura damni mens fruetur
Deliciis potioris oti.
Me castra poscunt, signaque pauperum
Beatiorem sorte Quiritium,
Et Mygdonum Regum; neganti
Multa mihi, meliora Divi,
Et destinarunt plura, Cupidinis
Injuriosi, fraudis & inscio.

Nudum resorbet Martialis
Pauperies Erebi in ruinas.

AD PINELLVM.

Avocat ejus animum ab opum studio.

ODE VIII.

Sensim senectam sed sine sensibus
Adesse sentis, ac velut alterum
Diem premendo trudat alter,
Mitte supervacuo nepotes
Augere lucro providus; improba
Cupido confundit male prælia,
Mentes & irritat quietas
Marte novas referente prædas.
Quid peccet aurum novimus, & fames
Avara, fraudis nullius abstinens,
Cæcoque permiscens tumultu
Omnia, non sine cæde victrix.
Lares avitos, juraque patria
Prudens reliqui, atque omne Britanniæ
Compendium, quà belluosi
Oceani scatet unda Phocis.
Rogare fruges mî melius fuit.
Et fortuiti munera Liberi;
Pellucidi vel fontis ultro
Dulce sitim prohibere rivo:
Tu conde acervos, divitis Attali
Sodalis amens, non sine barbaro
Cultu; carentem sed me inani
Murice Pauperies habebit
Alumna Lojolæ; libet Indico
Subtegmen auro ponere, divitem &

Cervice torquem, fulgurantem
Et digitis adamanta clausunt.
Immunis auri si manus abstinet,
Parvo beatus dicar, & innocens,
Et Mercuri purus dolosi
Ritè Deo faciam annuenti.

AD PRINCIPEM VIRUM.

Divitiarum demonstrat incommoda.

ODE IX.

FRustra superbis divitis Indiæ
Lucrate merces, nec Tagus aurifer
Amara curarum, nec Hebrus
Eluet, aut rutilans Hydaspes.
Non tu carebis sollicitudine
Formidolosa, non animum malis
Levabis, aut mortis securi
Expedies caput inquietum.
Me rite voti pauperies reum
Solvet carentem jure penatium,
Tyrique luxu, & sumptuosæ
Mempheos, haud humilem videri.
Procul veneno, cædis & unicè
Securus, arvis non metuam gravem
Insomnis Eurum, Dauniaque
Sæpe Notum Cereri nocentem.
Fœnus teramplum est indiga nullius
Virtus, & auri mens minus appetens,
Soloque duratum sine ostro
Corpus, & asperior lacerna.
O quisquis omnem materiem mali
Vitare quæris, proterere audeas

Aurumque & argenti nitorem
Posthgenitis bene clarus hæres.
Quid Pressa Tethys molibus arduis
Gemit? quid altum proficit adium
Arte elaboratum lacunar?
Si neque sollicitæ recedunt
Curæ, & minori semper abest rei
Quiddam, nec explet se sitis alveo
Sonante Pactoli; usque anhelæ
Crevit, opum magis aucta potu.
Nos institutis asperioribus
Lojola format, dedecorat neque
Trebrosa paupertas, Olympum
Sed properat domino merenti.

IN AVARVM.

Fraudem non impune abituram dicit.

ODE X.

Tonantis aures judicis occupat
Pauper querelis; damna refeceris
Donec laborantis, vicesque
Reddideris minimum dolosus.
Auri libido sæcula perdidit
Fœcunda fraudis: sic Deus occidit
Repensus argento; inde clades
In Solymen, populumque fluxit.
Tranare fluctus gaudet Atlanticos
Navis magister, spe vorat aureum
Avara Hydaspen, nempe curæ
Sollicitæ malesanus emptor.
Damnosa quid non turpe pecunia
Audet, maligni materies doli?

Fœnus-

Fœnusque tractat fraudulentum,
Et nocuas meditatur artes;
Versare mentem callida, desecans
Mercede, & impermissa recolligens
Opum, paternis addidisse
Relliquias inopum rependet.
Dolos avaræ fraudis at eluet
Nereus doloso tangier æquore,
Puppimque diffringens procella
Divitias domino negabit.

AD CAIETANVM PRINCIPEM.

Dei sponte pauperis memoriā revocat.

ODE XI.

FRuctu beatum pauperis otii
Non inquieta cura pecuniæ,
Avara non auri libido
Sollicitat; sapiens remisi
Immane lucrum quærere, ditior
Multò carendo: scilicet obtuens
Argentum, acervos & nitentes
Memnonidum, haud hebetes ocellos
Victus retorsi. Paupere sub Deo
Divesne vulgus vivet? & appetens
(Mortalium prô cura demens)
Assyriæ, Tyriæque mercis?
Natalis antri scilicet immemor,
Parvæque Bethles, atque sodalium
Brutorum, & oblitus severæ
Noctis, hyperboreæque brumæ.

Olim Quiritum conditionibus
Dissentientem novimus editum
Tonantem, & aulæis, & ostro
Pauperiem bene præferentem.
Sub rupe nudus scilicet aspera
Flevit; jacentem Tityrus & Mycon
Videre, gentes atque Eoæ,
Purpureique Arabum Tyranni.
Par ille Patri delituit cavo
Quondam sub antro vilior. ô Tyros,
O magna Memphis, barbaraque
Pyramides, Pariæque moles.
Mentes avaro consilio Deus
Abduxit auctor; sceptraque & infulas
A sè triumphales removit,
Parvus humi posuitque membra.

AD DIVITEM QVENDAM.

Quietem ex paupertate gigni ait.

ODE XII. *l. 1. od. 17.*

N*On invidebo Persidis aureæ*
Gazis, nec Euro carbaso perfido
Credam recollectis Sabæis
Mercibus; aut Libyes aristas,
Et læta quicquid Mœsia messuit
Mutare curem sedulus institor
Auro, vel argento. remisi
Sollicitum haud sine fraude quæstum.
Impune tutum pauperies mea
Sat me tuetur, nec mihi copiæ
Desit benigno plena cornu,
Divitiis opulenta cœli.

Sic fas anheli pectoris unicè
Vitare curas, te simul improbæ
Vexant laborantem sub auri
Fasce gravi, tumidoque acervo.
Hic sub latebra criminis innocens
Ducam soporem, nec malus asperas
Confundet aut Centaurus iras
Aut Lapitha nimium protervi;
Suffulta furem nec domus arceat,
Incontinentes ne tacitus manus
Intendat, arcas nevè avitas,
Et patrios spoliet penates.
Tu ni doloso Mercurio lares
Opesque debes, mitte Cupidinem
Compendiosum, disce curas
Temnere Pauperie magistra.

AD CRISPANUM.

Ne nimio luxu diffluat, monet.

ODE XIII. *l.1.od.31.*

QVid obligatam Pauperiem decet?
Quid parva poscit? non Halyattici,
Cyrique regnum, non Phraatæ,
Aut Lacedæmonii Phalanti.
Sodalis auri plus nimio metus
Brevem sub ostro somnum adimit, neque
Decedit aurato cubili,
Et miserum coquit atra cura.
Vtcunque avaro denatat Adria
Eoa merces, ludibrium Noti,
Romana vel mendax, Ceresve
Culpat aquas vacuo colono.

Absit Cupido credula mobili
Fortunæ, & omnis copia Mempheos;
Compesce curas inquietas,
Mitte supervacuumque lucrum.
Altum lacunar jam Babylonias
Evicit arces, pergamaque Attica;
Decempedis metata longis
Atria continuant nepotes,
Et largus hæres. irrevocabilis
Sed currit ætas, mox cinere oblines
Vrnam colonus, seu vetustum
Tu genus, Alcinoique-sanguis,
Damnatus urnæ turpis, & exill.
Nec flectet ætas illacrymabilem
Clotho, juventa nec decora
Cæsarie, roseisque malis.
Frustra carebis pauperie malis
Dura, beatus divite copia,
Frustra nocentem perque brumas,
Perque hyemes fugies pruinam,
Aulæa tendens barbara, Punico
Ostroque fultus; quid trabeæ juvant?
Te syrma nigrum, te pheretri
Pompa manet Dominum pudendum.

Nullius opibus se pauperem invidere dicit.

ODE XIV.

S*Ancita quondam fœdera Cantabro*
Duce haud resolvam; juraque pauperum,
Normamque servans non acerbo
Condidici bene ferre sensu.


Est invidendum te vir ut efferat,
Luculle, latum carcere Nerei,
Vivariisque inter beata
Otia Pausilypi supini.
Potentiorum non ego copiam
Requiro, spectans ardua sidera.
Hinc alma Virtus sueta amanti
Promere delitias Olympi.
Prudens habendi pauperiem arbitram
Lojola dixit: me decet illius
In jussa juratum supellex
Nulla, reum sine fraude voti.
Iuvat superbas linquere divitum
Partes. honestus transfuga Cantabri
Ad signa tendo, merce dives
Pauperie haud generi probrosa.

De aditu ad honores Sociis intercluso.
Laudatur Ignatii mens atq;consilium.

ODE XV.

NOn indecora Pauperies tegit
Corpus lacerna, nescia sordium;
Clavum Quirini, purpuramque
Posthabuit generosa. noster
Hac arte quondam Borgiades poli
Adivit arces; hac generosior
Propago Lojolea vittas,
Romuleaeque decus tiarae
Iurata temnis, principe Cantabro
Sic eloquuto. jura sodalibus
Legesque decerno severus
Consilii, atque adamante firmo,

Ne Vaticanis conditionibus
Vltro trahantur; protinus abnuant
Ostri Quirinales honores
Induere, & decus infularum.
Virtus operta, & sic melius nitens
Clarabit ortum, spernere fortior
Quam murices ambire, frustra
Ingenio trepidante multa.
Ter si merentem purpura provocet,
Auctore Romæ principe, ter neges
Obnixus; acres ille donec
Imperii moveat querelas.
Dum nulla captent præmia, qualibet
Ex parte opimas exuvias ferant,
Ducente me fortes catervas
Oceani per utrumque tractum.
Sic irrepertos ibit Iāponas
Parata pubes, sic cadet impius
Pluto; triumphatis & olim
Roma dabit nova jura terris.



PARS

PARS QVARTA,

De Religiosis institutis.

AD SOCIOS.

De vera religione per ipsos strenuè propagata.

ODE I.

Lojolæ alumnos strenua suscitat
Virtus, ut aras, fanaque diruant
Antiqua dementum Deorum, &
Fœda nigri simulacra Ditis;
Verumque cultum Numinis unius
Ferant, terampli Numinis; abluant
Vt fonte puros, atque abuti
Dedoceant studiis avorum.
Donanda pubes fortis adorea
Victrice, Manes frangere pertinax
Signis superbos; nec Tyranni
Tela movent acuenda letho
Fœcunda amoris pectora, barbaro
Devota ferro. vividus emicat
Franciscus ignotas in oras
Memnonidum, penitasque Sinas,
Inire fortis Nerea perfidum,
Terræque fines irremeabiles.
Vnius inflammata virtus
Corripuit generosa multos.
Iam martiorum Ignatiadûm manus
Vires Averni contudit imperI;

Adjungere & prae[...]s renidet
Usque novas spoliis vetustis.
Virtus Parentum evecta nepotibus
Tinxit secures sanguine libero;
Sed caede Plutonem subegit,
Et socias acies rebelles:
Veretur Indus jam bene credulus,
Pronusque Iäpon jura Quiritium.
Quisquis sub Aurora rubente
Luce diu caruit, coruscum
Diem revisit: dedere gestiunt
Se regna, gentesque ac Thetis ultima,
Cacisque fines orbis, olim &
Difficiles populi domari.

AD SODALEM PHILOSOPHUM.

Hortatur, ut Deo se dedicet apud Æglen Tyronum sedem.

ODE II. *l. 2. od 3.*

O *Docte mecum, Pancratii pugil,*
Contentiosae vim sapientiae,
Quin patrio praescripte caelo
Temnis humum fugiente penna?
Te casta Siren, quà plaga Tethyos
Piscosa tendit littora, te levis
Invitat aura, & colle aprico
Excipiet genialis Ægle;
Priscam memento, quam Pater indidit,
Servare mentem, quae mora detinet.

Diu

Diu bibentem stagna Lethes?
Vota Deo soluenda redde.
Tum lætus omni tempore vixeris,
Cum te in remoto culmine candida
Ægle reclinatum inter aras
Interiore Deo bearit.
Oblivioso nectare Cælitum
Remitte curas; sæpe Amor hic dabit
Frui elaborato sapore
Haud Superûm Ambrosia invidenda.
Huc tende felix, & nimium breves
Depone luxus; cede domo, & novo
Saltu coëmpto, quà FavonI
Pausilypus recreatur aura.
Cœlo beati cogimur arduo,
Mortale quamvis, & genus infimum;
Virtus Olympo nos in æternum
Imperium impositura sistet.
O quis suada te mihi nobilem
Iungat Sodalem? tunc bene sobrius
Bacchabor aris, teque adauctus
Dulce Deum bonus apprecabor.

AD CARACCIOLVM,

è paterna domo evocat ad tyrocinium Ægles.

ODE III. *l.3.od.24.*

AEgle candida te diu
Desponsum repetit, te fidei reum.
Quin tantis animum malis,
Et mortis laqueis ocyor expedis?

Tè Virtus adamantino
Clavo figet agens irrevocabilem.
Illîc libera vinciet
Te nexu triplici ritè necessitas.
Crassi conditionibus
Splendet Pauperies ditior indiga,
Et quicquid docilis pati.
Hac virtutis iter carpimus arduum.
Illic Cypridis ignibus
Hagnéa, ac thalamo divite temperat.
Nec vesana Cupidinis
Sentit tela Pudor, fœderis integer.
O quisquis Socium choros
Annectis, veterem coge licentiam
Freno. mobilis ingenI
Est auriga Pater, quo te aget, incita
Cursum, credulus alteri.
Leges sanxit Amor, juraque candida.
Non commissa protervia;
Damnata exilii culpa reciditur.
Acres ibimus, ibimus
Quo fert imperium Romulei Patris;
Seu nos in mare Thracium,
Insanique vocet littora Bospori;
Seu sævos in Iäponas,
Aut oras Arabas, aut Garamantides.
Nullo limite claudimur,
Immetata patent curricula incitæ
Virtuti; neque fervida
Pars mundi revocat; nec celerem gradum
Duratæ impediunt nives:
Vincunt sæva pii cærula navitæ.

Romanum ut decus evocat
Ignati sobolem robore Martiam.

AD VENATVM.

Societatem Iesu ingredienti benè ominatur.

ODE IV. *l. 1. od. 3.*

AEglen irremeabilem
Auctor consilii fac, Amor occupet
Iurata Iuvenis fide.
Ignati, socium, qui tibi principi
Totum se bene credidit,
Serves ingenio non revocabili.
Illi vis generosior,
Et Virtus animi cedere nescii,
Qui prisci generis decus
Sprevit, qui veterum jura penatium.
Non annosa Parens movet,
Qua non major adest pectoris arbitra
Molli vincere lacryma
Nati propositum si velit. impii
Non artes quatiunt Patris
Decertantis; Amor, seu dolor incitet.
O mentis bene pertinax
Qui siccis oculis turgida lumina
Fletu vidit, & integer
Certi consilii perstitit. ah cave
Perjurus revoces gradum;
Æglen namque domo dissociabili
Discrevit Pater, improbis
Non tangenda iterum limina perfugis.

Harens obsequio Patris,
Subdes ingenium mente domabili,
Duris, seu mage mollibus
Iussis ille regat, pendere differens.
Cœlum Relligio tibi
Heredi properat, lætaque nobilem
Heroëm Superis dabit
Misceri, & rutilum tollere verticem.

AD CARAFAM.

Hortatur, ut quamprimum Societati det nomen.

ODE V.

IAm terna tandem lustra volubilis
Conclusit ætas, solve moram pius,
Castæque tempestivus Æglæ
Iunge pares alacer sodales.
Decurre, magnus quò citat impetus
Cœli, juventas dum viget, integer
Ævique sanguis; neu labori
Parce pio, trepidæque curæ.
Redde obligatam pauperiem Deo,
Floremque puræ mentis, & imperi
Frenos: Olympi civis, exul
Egregius patriæ, ac Parentum.
Non invidendæ lumina purpuræ
Mirabere, Eoæ aut magis Hespero
Certantis, ardentem Quirini
Murice non apicem galeri.
Altum recludens Relligio Polum
Spopondit uni sidera pauperi,

Remittit & tellurem inertem
Post humeros, & inane vulgus.
Immunis atræ sollicitudinis
Sublime pennas explicat alites,
Ludumque Fortunæ, vicesque
Nil metuens, meditatur astra;
Nec clauda quondam deseret integrum;
Scandetque eodem strenua, quo cliens.
Tandem; supremis nec recedens
Officiis, Superis reponet.
Circa nitentes nunc tibi siderum
Sedes, & arces mens erit ardua;
Illum perennem frangere orbem
Nulla fugax trepidabit ætas.
At te labantem propositi Deus
Firmabit auctor. nunc Amor evocat,
Iubens superba culmen Vrbis
Spernere, marmoreamque Memphin.
Ne tende stirpem ducere Dardano,
Et usque prisco Cecrope, nec levem
Imaginum fumum tueri,
Et veterum simulacra Patrum.
Probanda Virtus illacrymabilis
Matris querelis, nec gemitu Soror
Decora, passis aut movebit
Crinibus, & lacera ungue malas.
Aversus arce. quisquis amicior
Cessit secundum vota Parentium,
Plerumque pœnas pejerati
Propositi soliiit severas:
Iuvat tenacem consilii ferox
Vultus, pia olim sævities juvat;

Per Matris altum perge vulnus,
Per vacuas Genitoris iras.

AD CARAFAM.

In S. Benedicti familiam adſcriptum.

Felicitatem ejus ſtatus oſtendit.

ODE VI.

O Invidendæ pacis, & otii
Capture fructum, jam tibi plurimum
Demanat alto nectar, ultro
Immemori patriæ, ac tuorum.
Spectare Cœlum fas erit arduum,
Imamque terram ſpernere. divitis
Cenſum Parentis mitte, & hæres
Orbis, inops ſine Marte regna.
Vt obligabis te reus integri
Voti, eniteſces pulchrior unice;
Iugumque dum cervice prona
Fert humilis, ferit aſtra vertex.
Æterna cura ſedulus; improbè
Quid urbe turbetur, fuge quærere, &
Lucrare Cœlo quos dierum
Cumque Pater tibi deſtinavit
Deum ſequenti. quo rapit, evola.
Hic vota Divis redde merentibus;
Noctemque franges, & canorem
Ritè ſtatis revocabis horis.

AD NOBILEM ADOLESCENTEM à Patre exagitatum, ne se Deo dicaret.

Ejus constantiam laudat.

ODE VII.

Experta te in certamine patrio
Sat Martialem Relligio Parens.
Spectatus in molli juventa es
Robore non tenui minacem
Ducem refringens. optima consilI
Frustra laborāt vertere pertinax ,
Nec demovent vultus , & ira
Propositi stabilis tenacem.
Sic inquieto non semel Africo
Immota cautes restitit; obstitit
Monstris & Alcides, minorem
Sed generose puer, recenti
Labore vincis ; quamquam Erymanthium
Aprum fatigavit, Nemeen quoque ,
Clavaque Lernen belluosam ,
Et Scythico tremefecit arcu.
Macte ô triumpho , macte ferocia ,
Non ulla vis , non abstulit otium
Acerba confundens minarum,
Et Genitor scelerans amores.
Virtute functum nunc Erato decens
Æternat , urgens barbiton auream ,
Et aureos mores ad astra
Ducit agens , vetat & sileri

Chartis inornatum; ô decus, ô Ducum
Sanguis, vetusto clarus imaginum
Fumo; superbo sive honore,
Grandibus ac titulis merentes
Evexit altè dives Iberia,
Turove certans purpura sideri
Ornavit insignes, & ostro
Roma potens Latio sacravit.
Quid jura poscant patria, quid decus
Gentis, remittis quærere, quidve amet
Levis juventas; sponte mutas
Et chlamydem tenui lacerna
Hæres relictæ splendidior rei.
Nihil refractæ perficient minæ;
Aduersa per, rerumque iniqua
Expediet sine fraude Virtus.
Videre quondam nil generosius
Quicumque fulgent murice Romulo;
Et qui teramplum jus sacrorum
Rector habet, stupuit ferocem.
Vt nondum adulto robore mobilis
Ævi, teneres irrevocabilem
Mentem, per insanas procellas
Non sine patre animose Ibero
Sic eloquuto, strenuus indole
O macte pulchra; sic meus impiger
Gonsaga notus, sic Polona
Progenies Superos adauget.
Fratris protervas contudit acrior
Minas, & iras; axe volubiles
Sistens quadrigas, & citatos
Cornipedes prece demoratus.

Sic te merentem robore fratribus
Castis redonabo, ut breve Patrium
Bellum residit, nec Megara
Difficiles agitabit iras.

AD GERMANAM Deo dicatam.

Parthenonis pietas, & felicitas describitur.

ODE VIII.

TV nunc pudici fœdera connubI
Germana jungis virgo habilis Deo;
Clarasque tædas pulcher auspex
Tendit Amor thalamis, & idem
Tutor pudoris. te sibi destinat
Divus; nitores ille pueritiæ
Amat, canoram te pudico
Gutture amat. sociare Divis
Ter nocte vocalis simul aurea
Effulsit Eos, cumque adoleverit
Dies, recedet cumque, Olympum
Claudere jam trepidatque Vesper.
Divina Vatis Carmina dividens,
Vittata frontem, fingi & idonea
Vultu verecundo, maritum
Ritè Deum meditare cantu.
Te purus ardet; te face nobili
Torret pudicam. diliget horridam;
Auro renodare haud capillos
Ille sinet similem Lacanæ.
Rescinde ferro materiam malæ
Pestis, resecto vertice sidera

Sublimè tanges; pinget astris
Purpureis Ariadna sertum.
Non te solutum ferrre pedem choris,
Dare aut in orbem brachia cerea
Iuvat, Dionais carentem
Artibus, & pueri nocentis.
Sonos eburni pectinis, & modos
Dedisce dulces. voce superbiit
Quæ virgo acuta, sæpe acutis
Exacuit stimulis juventam.
Tellure bruta, nupta Deo, premi
Nolis, sed albi more cycni levis
Te tolle Cœlo, fraudulentis
Iam laqueis caput expedita.
Nunc puriores pectoris albicent
Nives. honorem floris Hymettii
Serva, procorum surda votis,
Dura Cupidineis querelis.
Nil prænitebit Numine pulchrius,
Cælebis unis ignibus integri
Amantis; æternamque Vestam
Proposito vigili tuere.
Pervince Ditem, vimque Cupidinis
Virtute Amazon strenua Mascula,
Simplex puellari decore,
Grata polo, atque Erebo timenda.

AD TYRONEM,

Qui religiosam vitam abjecerat.

Perfidiæ Deum dicit ultorem.

ODE IX. *l.4.od.13.*

E Xpleture sitim face Cupidinis,
Ægles dulce tuæ deseris otium
Curæ haud providus emptor,
Fleturum caput aspera.
Quid te, quicquid opum fudit Achæmenes,
Quid Crœsi veteris regia juverit?
Claudet te simul urna
Deformem volucris dies.
Eheu vana tibi defluet artium
Gratarum facies; formaque defluet
Spiratura mephitim,
Quæ nunc spirat amabilem
Auram; liberior damna merebere;
Iam Mors antevolans occupat. ut jaces
Busto turpis inani?
Debentur cineri faces.
Lojoléa fugis signaque, & agmina
Expers consilii, perfide fœderis;
Vindex te petet Ægle
Servatura suos Deo.
Vltrix jam Nemesis supplicium parat,
Possint ut juvenes visere territi
Raptum præcoce fato,
Et pœnam celerem sequi.

AD SOCIOS,
De expeditione ad Indos.
ODE X.

Fines repostæ Tethyos ibitis;
Terrasque cæcis syrtibus invias,
Vrbesque Regum barbarorum,
Et taciti latebras Eoi.
Iam fana, & aras vertitis impias,
Per tela fortes; culmen & imperI
Ditis fatigatis ruina
Liberiore: velut coruscum
Fulmen per auras, perque volubile
Silvas cupressum perculit arduam,
Ingentem & ornum; tauriformis
Aut rapitur sine lege torrens
Stirpes revellens cum sonitu; & ferens
Cautes adesas, saxaque montibus;
Sic Tanari jurata damnis
Fœda Deûm simulacra vertet
Obnixa pubes; exacuat licet
Iam cote ferrum, cudat Iäponum
Enses, & Alecto renitens
Memnonias inimicet oras.
Sic Vaticani claviger imperI
Perennat, ingens famaque nominis
Per tela vires, perque cædes
Relligio capit usque vitam.
Languere molli nescit inertia
Contenta Virtus finibus Italis,
Victrix Eoas, perque latè
Hesperias equitabit undas.

Cal-

Calletque Nerei ferre pericula,
Cernitque Protei monstra natantia
Ridente vultu, pro Quirini
Legibus & facilis perire.
Effractum Amidan jam faber ignibus
Diffinxit; aras nec cruor imbuit,
Et barbaro frustra fremente
Flamine, procubuit Pagodes.

AD QVENDAM E SOC.
De expeditione in Hæreticos.
ODE XI.

Roma quid magnos Latio coërcet
Spiritus, claudi breviore septo
Nescios? latus vocat orbis acrem
Orchadas ultra.
Temperat stratum Thetis aqua pontum,
Non iter sistunt Hyades iniquæ,
Dux Amor; fratres Helenæ Lacanæ
Mitte tueri.
Fallor? an multo socium cruore
Decolor Nereus rubet? hostis iras
Senties, hostis, celeremque classem
In tua fata.
Fortis Ignati manus impotentes
Belluas experta, trucesque Phocas
Credidit puppim pelago, furori ob-
jecta protervo.
Illa praclaræ studiosa cædis
Inficit tabo maria, atque partis
Laureis, letho potiore, victrix
Rite triumphat.

Nulla te fati quatiat procella;
Ire quid cessas? potes hoc cruore
Spiritus, & vim capere, & soluto
Pectore robur.
Antequam te tarda premat senecta
Occupans vires, subeantque morbi,
Aggredi certes speciosa rerum
Integer ævi:
Sive perjuros adeas Sicambros,
*Saxonum & fines; age te pericl*o
Crede felici, minor & cruenti
Verticis ultro
Iungere Ignatî comes: ô Quiritum
Nobilis sanguis, patrium remitte
Tybrin, & pulchro pelagus cruore
Imbue victor.

DE VOTIS RITE REPETITIS.

ODE XII. *l. 3. od. 5.*

Augusta Cœli templa volubilis,
Et astra testor. me sibi Cantaber
Conscribit heros ritè census
Ordinibus superis piorum.
Turpi veterno non ego degener
Vivam, paterni nominis immemor,
Oblitus integraque flamma,
Qua veteres caluere patres.
Infracta Virtus non semel excidit
Antiqua mutans deterioribus,
Et jura, collapsique mores
Sæpe ruunt vitio nepotum;

Hos

Hoc ille cavit providus, & ſuis
Voto recenti reſtituit decus
Informe, ſopitumque rurſus
Arte nova reparavit ignem.
Ne Ditis aſtu, fraudibus & malis
Periret orbis, vos, ait, impigras
Legi cohortes, caſtra legi
Tanarium domitura Regem.
Ille inquieto Marte Melancthona,
Ille Oecolampon ſuſcitat impium;
O mœſta Virtus, ô probroſis
Illacrymans Pietas ruinis.
Nunc illa vis, ille emicet, emicet
Vigor, juventas obviaque hoſtibus
Nunc imbuat cervice ferrum
Purpurea, Scythicumque telum.
Nec abnuetis, quicquid Iäpones
Duri parabunt, regnaque Sinica;
Fortes per inſanas procellas
Orbis iter ſuperare utrumque.
Vos ite clauſas Oceano vias,
Nuper reperta clauſtraque Tethyos:
Conferte ſigna, & regna Ditis
Marte cadant populata veſtro.
Nunc excitatis viribus acrior
Miles recurrat, quo vocat impetus
Belli; vetuſtas atque vires
Expediat reparata Virtus.

DE

DE VOTIS PROFESSOR. Societat. IESV.

ODE XIII. *l.2.od.6.*

Vota persolvam benefidus; ibo
Thracas eduros Latium fateri
Numen, ac ritus, nec amica Patri
Regna Quirino.
Tendo juratus: caput hoc securi, &
Pectus ensi devoveo sacroque
Prodigus vitæ, atque animæ cruentæ
Fata lacesso.
Seu plaga Auroræ Nabathæa poscit,
Barbaras urbes & Atlanta lustrans;
Ibo, qua semper Thetis æstuoso
Dissidet Euro.
Indus extremo latitans Eoo
Meta quæ mundi, pariter laborum
Meta sit cultus patrios ruenti, ac
Signa Deorum.
Scilicet claret me Oriens; Eoæ
Dedicent urbes; ibi colla ferro
Induam spargens animam, tenacis
Quæ rea voti.
Sive sacrorum jubeat magister
Ire dejectum gelidi Trionis
Pergama, & regnata diu protervo
Castra Sicambro;
Illa me tellus malesana mentis
Explicet votis, ubi sævus arma
Hostis iracunda movens Latina
Invidet arci;

Voce

Voce mollibo pius, aut refringam
Saxones vindex gravis; hic triumphos
Spondet, & pulchris operosa Virtus
Destinat ausis.

DE EXPEDITIONE INDICA.

ODE XIV. Epod. 16.

DIdita Neptuno tellus patet altera, caco
Sinu repósta belluosæ Tethyos,
Quo neque Magnesis valuit pervadere navis,
Laboriosos navis heroas ferens;
Nec domuit patrio Romanus Marte superbus,
Lateque gentibus triumphatis ferox.
Lojoléa manus devoti sanguinis ibit,
Ignotum & occupabit antea solum,
Oceano qua regna latent, nautæque sagaci
Nefas videre, ritè lustrabit frequens.
Ire juvat, quo jussa ferunt, quocumque per undas
Solo Quirinus acciet nutu Pater.
Sic duce Cantabro præscriptum; ergo alite dextra
Plagam occupare quid moramur Indicam?
Europæ fines, angustaque regna remittat
Cohors inertes execrata terminos,
Et juratâ Patris Latii in decreta; jubebit
Vt ille, magnum sit nefas inobsequi.
Macte piis ausis IgnatI exercitus acer,
Eoa præter & volemus æquora.
Oceanus circumvagus omnis obibitur, Indus
Petetur, Indus nostri avarus sanguinis;
Tristis ubi ignara gentis nunc regnat Enyo,
Et viperinis intumescit horrida.

Mon-

Monstris terra: ruemus Amida turpia fana
Fortes, & aras proruemus impias.
Nos Memnon felix mirabitur, ut neque longo
Oppresserit mari protervus Africus,
Nec Notus insultans; Neptunia regna, tumentes
Fluctusque Rege temperante Cœlitum.
Scilicet hæc nostræ secrevit littora genti;
Merces & ampla est immori laboribus.
Barbarus at frustra chalybem, sævamq; securim,
Telumque dura cote procudit novum.




IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV

LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER XIV.

De SS. Fœminis.

Περσαύλιον.



Ectene à Thucydide dictum putemus, eas tantum dignas esse laude feminas, quæ non modo male non audiant, sed de quibus nihil quispiã neq; boni audierit, quæ ita in obscuro sint, ut etiam si quid præclari gesserint, ignorentur? equidem Gorgiæ potius subscribo, qui mulierum non famam, sed formam latere dicebat oportere; Romanamque legem maximè probo, quæ de spectatis feminis, perinde ac de viris, post mortem haberi panegyrin, easque pro dignitate laudari jubebat; quo virtutis præmio aliæ commoverentur. Sane
10 prudens Homerus citharœdũ sive Poëtã tamquam custodem, ac monitorem Cly-

temneſtræ relictum ab Agamemnone fuiſſe narrat; qui mulierum laudes percurrens earum, quæ viris abſentibus temperanter, caſteque vixerant, cupiditatem honoris ejuſdem acueret. nobis vero quantum materiæ ſuppeditant præclariſſimæ Chriſtianæ Reip. feminæ? ſileantur Phocides, Argivæ, Meliæ, Lacænæ; non commemorentur Amazones; non admiretur tuos Roma caſtos ignes Porcia Catonis filia. majora ſive conſtantiæ ſive pudicitiæ monumenta nobis ſuppetunt.

In primis Alexandrina Virgo carmen inibis, illa humanæ, divinæq; ſapientiæ antiſtita, illa victrix Athenarum, magiſtra Græciæ. inſtabat tibi torvo vultu minas profundes Tyrannus: horrenda moles aculeis ad dilacerandum præfixis ante oculos conſtituebatur; alligatam rotæ frangi, comminuiq; oportebat; tu admirabile virtutis dediſti ſpectaculum, ut quod olim inconſtantiæ ſimulacrũ fuit inſiſtens rotæ mulier, Fortuna videlicet, hoc nunc eſſet conſtantiæ, virgo in rotæ volubilitate ſtabilis, atq; firma propoſito. negabant qui erant ex Epicuri diſciplina in rotam aſcendere poſſe beatam vitam, etiam ſi ceteræ virtutes poſſent, quod nullo modo affirmaſſent, ſi te tanta cum alacritate in rotam aſcendentem vidiſſent.

IN

IN S. CATHARINAM.

De ejus corpore in montem à Cœlitibus evecto.

ODE I.

Magistra magnæ Palladis, ac tui
Præses Lycei, verticis ardui
Regina tangis jam cacumen,
Teque vigor celerat citatam.
Ut ima terrarum sola despicis
Sublimè tendens? visa volubiles
Tranare nubes, perque inanes
Aëris emicuisse campos.
Non fabuloso tu Iovis alite
Subvecta Cælo nubila dividis
Culmen sub altum, sed te Amores
Sustulerunt volucres ministri;
Mirum colonis quod foret omnibus,
Quicumque Nilum, vel Pharium tenent
Canopum; Alexandrea mirans
Substitit, & Marcotis ora;
Ut non soluto corpore degeres,
Claroque Olympo proxima: siderum
Plausere victrici chorea,
Parte poli & meliore poscunt.
Spectata Virgo Pallade nobili
Chrysippon urges, Democritum & levem;
Doctrina te, Regum superba
Stirpe satam, & pietas adauget.
Hac vi in cacumen tolleris, editos
Superque montes; hoc quoque funeri

Devota non extinxit olim
Machina praesidio ferocem.
Sic acre robur consilii tenax
Herois auges, damna per aspera,
Volubilesque orbes rotarum,
Et chalybis per acuta duri.
Sic dedicato colle laboribus
Defuncta sistis: scilicet hic nova
Sanxit Parentis foedera Heros
Legifer, Isacidumque ductor.
Formidolosum culmen inhorruit,
Cum rauca longe concrepuit tuba,
Et flamma montem pervoluta
Corripuit; tremuere latè
Querceta Silvani, & nemus invium,
Faunique inertes; ut patuit Deus,
Rupitque nubes, & tonantem
Volvit agens per inane currum.
Flagrante dextra scilicet igneam
Deferre legem visus; cum chorus
Stipat beatorum obligantem
Foedera non soluenda genti:
Sub Mose magno fluminis immemor
Arente saxo, & nectaris, & dapum,
Et nubis, aeternaque flamma
Exagitat nova jura vulgus.

IN S. CATHARINAM.

Admirabilem ejus ſapientiam commendat.

ODE II.

QVæ vis volucris te potis ingenI
Sequi ? ſororum quævè Heliconidum
Æquet canendo facta, magnos
Cecropidas ſine vi domantem ?
Cedit Gradivi cœtus, & horrida
Subſellia, amens atque Academia,
Cedit Lycéum, ac te ſevera
Porticus haud dubiè veretur.
Edura mentis Græcia flectitur,
Ortuſque priſca Panthoidés Samo,
Et legis expertes Quirinæ
Socratici didicere tandem
Quid ſola poſſes ingenii ferox,
Munita Cœlo ; tu revocabilis
Iam conſilI mentes tenaces
Vertis agens ; & inane Numen,
Araſque fortis dejicis impio
Cruore turpes ; ſignaque Manium
Diffringis, immanemque Ditem
Deprimis auſpiciis ſecundis ;
Roburque, & altum conſilium tibi
Præbente Cœlo concipis, impigra
Laceſſere hoſtem, Tanarique
Exitium meditata Regno.
Minerva te non ante domabilis
Superba vidit culmina Græciæ

Altis fatigantem ruinis
Marte novo, & sine clade ovantem.
Plaudente festo Plëiadum choro,
Te, te choréa Vesper amabili
Stipat; te inaurato Bootes
Axe tulit, rapuitque terris.
Prospexit olim collis in ardua
Mirata vadentem, & cava nubila
Supplex Alexandréa; docti
Nosque tuam veneramur artem.
Non mî laborum, te sine, inertium
Pallas secundos expedit exitus:
O ingens tutela nostri,
Et pavida Cynosura mentis.

IN S. AGATHAM.

Invehitur in Quinctianum necis auctorem.

ODE III. *Hor. l. 4. od. 9.*

Ne rere demens ubere debilem
Secto, triumphis haud fore idoneam,
Pugnaque cessuram minorem
Roboris, atque animi. fatigas
Frustra, resumit vim generosior
Sicana Magnessa Hippolyte acrior,
Pugnax Amazon, ac resectis
Uberibus levior moveri.
Non si recidis forcipe barbara
Molles papillas, vim quoque Martiam
Tollis; sed intendet remotis
Objicibus melior sagittas.

Nil non solutæ jam efficient manus :
Quales ad undas Thermodoontias
Amazones pugnant; lacertos
Excutiunt simul expeditos
Mammis inustis rite, nec aureo
Vinctæ monili, munera barbara
Mirantur, insignemque cultum;
Et Parin ingenio feroci,
Odere comptum ; lucida callida
Intendere arcu spicula Serico,
Et mittere obstantes per hostes
Cornipedem jaculo priores.
Peltamque doctæ obtendere Deliæ
Bicornis instar : non semel obvius
Excepit ictus hostis acres,
Fœminea ceciditque dextra.
Talis lacessit nunc agitabili
Manu protervum Sicelis, & premit
Hostem fatigans. mira Virtus
Lacte carens adolevit uni.

IN S. LVCIAM.

Firmitatem animi, corporisque commendat.

ODE IV.

O Diva magna Trinacriæ decus
Præsens carentem munere candidæ
Donare lucis, vel tenebris
Præcipites hebetare fontes.
Te mille votis, te prece supplici
Ambit potentem lucis, amabili

Quicumque visu contueri
Astra cupit, nitidumque Cœlum.
Cervice telum condis eburnea;
Ferrumque flammamque, & rapidum rogum
Impunè temnis purpurati
Principis exitium minantis.
Sed ille inani luditur impetu
Stantem columnam vertere pertinax
Bobus fatigatis trahendo;
Nec validi removent rudentes.
Te namque Virtus strenua muniit;
Ingens cupressus ceu Nemees jugis
Noto reluctatur resistens
Damna per, Æoliasque vires.

IN S. AGNETEM.

Προσωποποιΐα ad Parentes.

ODE V.

PRolem sepultam ne miserabili
Vrgete questu; mittite nanias,
Lenite clamorem, Parentes,
Immeritum & cohibete luctum.
Non fabulosus me tenet impia
Cocytus unda, stagnaque tristia
Regnata Plutoni, sed astro
Andromedes potiore Cœlum
Accendo; cedit Cassiope minor,
Et Pleias ardens; sertaque Virginis
Cretæa; librataque lances
Sponte mihi Erigone reponit.

Desponsa casto fœdere Numini,
Intacta dicor cum tetigi pudens;
Et vernat illibata floris
Gratia, cum thalamo jugali
Soluta jungor; non humili toro
Arsere tædæ; mi cruor illius
Ornat genas, & discolores
Murice purpureo relevit.
Baccata cinxit colla monilibus,
Et margarito divite prægravat
Aures; pyropumque, & nitentem
Per digitos adamanta nectit.
Amore nupsi candida pronubo,
Divoque nupsi; Sole prior nitet
Sponsus, Parentis magna imago,
Et specimen geniale mentis.

IN S. CÆCILIAM.

AD SFONDRATVM CARDINALEM,

Sepulchro recens invento.

ODE VI.

Decore Princeps murice Romulo,
Tandem latebra candida Cæcilia
Emersit altè, teque fani
Auspice promicuit sub auras:
Vt spirat oris pulcher adhuc amor?
Vt colla flexit lactea vulneri?
Vt pingit illam non caduca
Flora rosa, & bene olente caltha!

Virtus sepulchri nescia sordidi
Intaminato flore nitet; neque
Diu recondi caca in umbra,
Virgineos latitare & artus
Sivit. pudicam non teget Atropos
Pallentis urnæ pulvere. Amor vetat
Oblivioſæ stagna Lethes
Mergere relliquias inertes.
Hanc Roma quondam robore Martio
Mirata ferrum temnere barbarum,
Minacis & vultum Tyranni, &
Fascibus expositas secures.
Vt inquinatas sanguine proruit
Aras Deorum, brutaque Numina;
Acuta quamvis tela, acutas
Ira novet capiti bipennes,
Terrore mentem frangere pertinax;
At illa firmi consilii haud retro
Perjura cedit, nec dolosa
Ferre necem trepidat sub ictu:
Sat vulnerum jam Roma; sat impia
Cadis; quid atas non prior intulit
Pœnæ? dolorum quid reliquit?
Vnde manus, chalybemque lictor
Iussu Neronum continuit? quibus
Mucro pepercit? concidit, ictibus
Acerba virgo, & strinxit acris
Tela manus ter acuta ferro.

IN S. IRENEN.

Supplicia ſtrenuè ſuperata deſcribit.

ODE VII.

LVſpiæ gentis decus, atque cuſtos,
Lucidum Cœli jubar, ô tuorum
Dulce tutamen, tibi cumque pello
Barbiton, adſis.
Quæ prius ſurgent monumenta rerum?
Prima quæ tangam? dubium fatigas,
Diva, quæ ducis potioris otI
Nomen, & omen;
Sive tu Thracas repetas Tyrannos,
Sanguis heroum; ſeriemque Regum
Fama percurrens memoret feracem
Germine ſilvam.
Seu tibi dives Tagus, & rubentem
Lydus accendat capiti coronam;
Reppulit Virtus operoſiori
Sæcula luxu.
O quis Argoo referet cothurno
Bella victrici properata dextra?
Mille cui virtus peperit triumphis
Laudis honores.
Nulla mordaces acuit moloſſos
Ira, latratum cohibent trifauces;
Te vel Hircanæ coluere tigres,
Hydraque Lernes.
Protulit duros Erymanthus apros,
Et juba fulvum Nemee leonem;

Quotquot effoßis latuere monstra
Hospita lustris.
Prodiit longam maculosus alvum
Anguis, & latè sinuavit orbes
Orbibus centum, micuitquè vibrans
Ora trilinguis;
Sed pedes juxta teneros resedit
Dira tempestas; venerantur Afræ
Dypsades, seps, & Pharius cerastes
Oscula lambunt.
Ter lates intra vacuum bisontem,
Ter cavam molem populatus ignis
Languet, & vires animata cæca
Redderis alvo.
Conferat tecum veterum trophæa
Fama miratrix, licet illa magnum
Iactet Alciden, duodena vincis
Serta laborum.

IN S. MARGARITAM.

De larvato dracone protrito.

ODE VIII. *l.1.od.37.*

MVsæ canoram pellite barbiton,
Vinci puellam dicite nesciam:
Frustra nocenti fraude Pluton
Aggreditur, laqueo domandus.
Contaminatum subdere pertinax
Virus, draconem finxit, & aureo
Squalente dorso destinabat
Margarin; at pede Diva preßit

Alte

Alte tumentem; non muliebriter
Expavit immanem, ausa manu quoque
Arcere squamantem colubrum,
Virgineo & religare cestο
Deforme monstrum, fundere dum parat
Atrum venenum; longa volumina,
Spirasque nequicquam retorquet
Proluviem sinuatus alvi:
Ausa & Tyrannum frangere barbarum
Voce incitata fortis, & impios
Sprevisse fasces, & secures,
Digna novo mulier triumpho.

IN S. VRSVLAM.

Cœlesti ursæ præfertur.

ODE IX. *l. 3. od. 21.*

HAud pares olim comitum choréas
Iunxit Eurotæ per opaca, festos
Instruens Diana choros, jugalis
Nescia tædæ.
I, ratem portu bona solve Virgo,
Sic juvet Nereus, & amica Tethys,
Te nec infestum vetet ire nautæ
Sidus Orion.
Fallor, heu fallor, pelagus redundat
Virginum tabo, natat en cruento
Turba Neptuno, rubuitque Erythræ
Concolor unda.
Tela dum cervice premuntur, una
Palluit perjura necem latendo,

Impie mendax, pia mox sorores
Cade secuta.
Quæ minor tandem capitis securim
Tinxit, & forti speciosa letho
Concidit, claudens modo multum amatæ
Lumina vitæ.
Te simul Cœlo glacialis Vrsa
Vidit, exarsit miserans dolore,
Et pudens sedem tibi nec Minori,
Vrsula, cedit.
Te decet stellis potiore, dixit,
Inseri luce, & meliore flamma:
Tu potes nostrum magis auspicatè
Ducere nomen.
Vrsa quid dicor fera, quam fatigat
Ira Iunonis? quid inane jacto
Sideris nomen nemorum latebra
Sueta recondi?
Me serens merces opulenta Sidon
Spectat incertæ Thetidos magistram,
Et procellosum duce me recurrit
Navita pontum.
Tu premes motus magis Adrianos,
Et Notum franges pelagi tyrannum,
Tu regens puppim Cynosura condes
Littore amico.
Sæviit flamma jecur olim amantis,
Et procos arsi malesana turpes,
Qualis Hircanis furit, aut Libyssis
Horrida silvis.
Silva me lustris tegat indecoram;
Ah pudet Cœlo patuisse tanti

Nobi-

Nobilem probri. latuisse cæcis
Expedit antris.
Si Iovis pellex vocor, ô quid astra
Et polum frustra teneo? quid unda
Obrui turpis metuo? inquinatam
Eluet unda.
Vrsulæ cedam, juvat ire mersum
Me, juvat fundo, latebraque Nerei.
Labis immunis mea signa Virgo
Occupet astro.

IN S. M. MAGDALENAM.

Revocat eam à vitæ licentia.

ODE X. *l.1.od.16.*

Debes amores Magdalis alteri;
Eheu pudendæ Cypridis abstine,
Flammæque cordis criminosæ;
Mitte Cupidineum furorem.
Non Syrtis æque barbara debiles
Frangit carinas, Trinacris ac Thetis
Latrante Scylla, nec procellis
Adria sic fremit inquietis:
Non Mænas acri concita Libero
Bacchatur æquè, non Corybas furit
Silvas per altas Dindymenes
Sistra manu quatiens acuta:
Vt cæca fertur Cypris, & impotens
Mentis libido; quam neque Numinis
Deterret ultrix ira, Cælum
Nec jaculo revocat trisulco.

Libi-

Libido demens; heu generi male
Cognata nostro; quidlibet impudens
Audere; oor, vecorsque pectus,
Et penitus populata venas.
Qualis Promethei Caucasei jecur
Immitis ales distrahit unguibus
Hians inexpletum renatis
Visceribus, reparante pœna;
Vel quale monstrum Lerna nocentior
Laborioso parturit Herculi;
Contaminatas vel rapaci
Ore dapes violans Celeno:
Trojana testor pergama dirutos
Testor penates, ac cinerem Ilium;
Sepulta tellus horret altè
Illecebris Helenæ Lacanæ.
Libido quinis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur pluvialibus
Flammis perirent deflagratæ
Funditus, injiceretque tectis
Vulcanus ignem, sulphuream & facem,
Vertens ministris tecta Cyclopibus.
Vastos adhuc squalent per agros
(Mira fides) cineres tepentes;
Adhuc acerbo versa riget sale,
Immane figmentum, illacrymabilis
Matrona maturare cæcas
Iussa fugas oculo irretorto.
Cypris marinis edita fluctibus
Demersit olim terrigenum genus,
Paucasque adegit perditi orbis
Relliquias subiisse cymbæ:

Cum regna Nereus humida protulit
Latè resorbens Pelion, atque Athon;
Superque montes glauca narunt
Monstra sali, pecus omne Protei.
Refusa nullis cærula legibus
Rupere fines; præda natantium
Iacent gigantes belluarum
Æquoreo pecori sagina;
Infestus alis Eurus inhorruit,
Cæcus procellis; sæviit aspero
Mucrone Orion, perque fregit
Imbriferam puer udus urnam
Vltus pudorem; quare age, Magdali,
Compesce mentem, nec male pectoris
Attentet in dulci juventa
Fervor, & in vetitos amores
Agat furentem; nunc bene candidis
Mutare tempus turpia, jam vocat
Divus recantatis pudoris
Opprobiis, lacrymaque tersis.

IN S. MAGDALENAM.

De ejus lacrymis apud Christum.

ODE XI. *l.1.od.27.*

CRateras inter nectaris amove
Amara fletus; desine tristium
Nunc lacrymarum, nevè amantem
Lætitia prohibe sodalem.
Hoc fonte miscens pocula temperas?
Compesce ocellos interea graves,

Dum suave convivam reponit
Mensa Deûm, Geniale munus.
Turgent perenni lumina lacryma?
Nunc siste paullum, mox dabis uberes,
Suspensus alte cum rigebit
Vulnere purpureus cruento.
Num tu liquenti flumine Cyprios
Restinguis ignes non bene lucidos?
Vt te inverecundus Cupido
Vsit, Acidalio resorbens
Furore mentem. sic age, lacryma
Quacumque mordet cura, levabitur.
Hic solvet ardenti Chimara,
Quem croceo religas capillo.

IN S. M. MAGDALENAM.

Transfert eam ab incesto amore ad castum.

ODE XII. *l.3.od.15.*

Caeci prada Cupidinis,
Pradatrix juvenum, tendere retia
Flavo crine superbiens,
Et captare procos callida desine.
Non, si quid Paphius puer
Suasit, te decet; ah rectius edoma
Lymphatam male Cypriam,
Qua mentem furiat; te face nobili
Alter jungit Amor Deo:
Torret pulcher Amor purpureum Deum,
Te casto repetit toro
Cur Pluto tibi, cur pranituit niger?

At

At nunc Magdalis aureo
Divum necte coma collacrymans, Syra
Et nardo caput illine.
Nunc imbuta licet nectare plurimo
Plantis oscula figere,
Mox lictor rapiet vulnera barbare
Figens, & male candidos
Deturpans humeros verbere livido;
Sed pœna comitem neque
Supremis solvet mors violens malis.

IN S. M. MAGDALENAM.

Christo desponsæ Amorem pronubum facit.

ODE XIII. *l.3.od.11.*

Sancte Amor (nam te facilis ciente
Magdalin movit pietas protervam)
Magne Amor, Cœlo bene large septem
Volvere fontes:
Nec pudens olim, neque grata, nunc flet:
Inter & mensas, & amica Iaccho
Munera; & cordis prius obstinatas
Applicat aures.
Tu potes sævos animi volendo
Vincere, & mentes male contumaces
Frangere; infracto tibi cedit arcu
Cyprius ales,
Nobilis junges Hymenæon auspex.
Te decet castis sociare vinclis
Pectus, & Cœli meliore dignum
Vrere flamma,

Surge, qui dixti, miseranda pellex,
Surge, sat sævum tibi vulnus auceps
Intulit cordi; sobolem procacis
Falle Diones.
I, bonus quo te sine fraude duco,
Dum sedet mensa Deus, i solutis
Crinibus, mœsti & memorem sepulchri
Illine nardum.

DE S. M. MAGDALENA
ad Christum.

Vt resipiscentem amanter excipiat.

ODE XIV. *l. 2. od. 4.*

NE, precor, flentis, pudeatve amantis
Fecerit quamvis Erycina turpem;
Nupsit & dux Isacidum, sororis
Non sine questu:
Nigrior conjux nituit, videri
Turpior forma, Æthiopumque sanguis.
Arsit & servam laqueo revinci
Nescius Heros,
Antequam fortes cecidere crines
Fraude detonsi, subita ut ruina
Tradidit magna labefacta dextra
Pergama labi.
Sit licet mentem maculata quondam,
At soror virgo decorat, tegitque
Frater haud frustra pius, & sororis
Crimina mœret.

Iunge

Iunge non illam tibi de scelesta
Stirpe delectam, fore mox fidelem
Noris, aversam neque defuturam
Morte pudenda.
Dulce te Nardo relinet cruentum,
Et lavet tristis lacryma tepenti.
Quin & amissum trepidat sagaci
Quærere cura.

IN S. M. MAGDALENAM.

De unguento, quo Christum perfudit.

ODE XV. *l.1.od.5.*

MEnsæ deliciis sub Cerealibus
Nectis crine Deum non sine lacryma,
Et nardo caput urges
Perfundens nitidum Syra
Sollers officii. sed placitum brevi,
Formosumque Deum flebis, & aspero
Ferro membra cruentum
Emirabere, Magdali;
Quem nunc malobathro perluis aureum,
Quem flavente coma nectis amabilem,
Liventes lacerum artus
Mœrens illacrymabere.
At tu sospes amans æquore Cyprio
Crines purpureos, & lacrymam Deo
Conviva rea debes,
Castis ebria amoribus.

IN S. M. MAGDALENAM.

Dum ad Christi sepulchrum opplorat.

ODE XVI. *l.2.od.9.*

Quid pertinacem dicere naniam
Iuvat dolendo? quid vacuo super
Sepulchro inhares, & querelis
Sollicitis animum fatigas?
Quid usque fletu lumina denatant,
Dum rapta poscis Numina, rustico?
Suspiriis ne tende corda
Usque gemens, lacrymamque siste.
Ne mœsta muto marmore murmurans
Assíde, inani funere carmina
Cantare cessa; conquerendi
Mitte supervacuum laborem.
Nunc temperando tristia mitibus
Fas est ovantem dicere principem,
Prædasque raptas, & subactum
Imperium trepidantis Orci.
Fas & receptas exuvias Patrum
Caliginoso cernere Tanaro,
Ditemque pallentesque Manes
Iam vacuis ululare campis.

SS. M.

SS. M. MAGDALENA, AC MARTHA,

Ad Christum de fratre ægro.

ODE XVII.

Parente Divo, Dive sate unice;
Tu nunc malorum conscius hic abes
Diu, nec ærumnas amantum,
Pollicitus meliora, curas.
Succurre damnis. ah tuus, ah perit
Noster, nec ultra noster, amabilis
Germanus, acri quem fatigat
Dente lues prope funeratum.
Illum pudicum pectora mutuo
Amore torrebat, sociare amans;
Dieque fregit sæpe tecum
Ille moras dapibus sodalis,
Et innocenti parcior Euhyo.
Pars magna nostri, pars melior perit;
Imbelle vulgus quid moramur
Fœmineum, sine fratre, vulgus.
Insigne amanti præsidium tuo
Adsis; Amoris nunc opus alite
Penna; sub aspris nempe rebus
Promptus iter trepidum vorabis.
Debes Amori si tibi creditum
Cientem, amicus ne fuge dexteram
Porrexe sublimem jacenti;
Credulus, ut bene fœderatum
Sperabat hic te semper amabilem.
Dissolve morbum, prome benignior

Salubre nectar; gramen Hybla,
Pæonii valeantque ſucci;
Inanis abſit cura Machaonis,
Et cura Phœbi; tu bonus annue,
Qui temperas humana nutu;
Qui ſimul imperio coërces,
Vis ægra nulla lege domabilis
Decedit; ira pectoris ignei
Nec præliantur, Marte agente
Diſsidiis elementa prima.
Ne temne juſtos illacrymabilis
Queſtus ſororum; difficilem haud parit
Intégra virgo; nec tu amantem
Sperne pium, neque tu dolentes.
Quo cura noſtri ceſsit, amantium
Iniqua culpis? en ades ingenI
Notus benigni, & fratre longas
Advigila pereunte noctes.
Ne conde Lethe tot ſtudia invicem
Oblite quondam; ſis memor obſequI,
Gratique cultus; æſtuoſi
Vimque mali preme, vimque fati.
Non muta reddent laudis imaginem
Sepulchra, nullus mortis erit canor
Oblivioſa, nec ſilentum
Egelidi cineres loquentur.
Miranda rerum poſtgenitis canet
Qui lucis aura veſcitur; expedis
Quandoque per vicina Ditis
Limina, perque Acherontis undas.
Fefellit æger non ſemel, auſpice
Te, ſæva morbi, nigraque funera;

Fe-

Fefellit Orcum, nec capillum
Perſephone violens recidit.
O pelle venis, nam potes, igneam
Chimæram, & acrem, qui furit, edoma
Vulcanum; adeſis hæret ignis
Oſsibus, & recoquit medullas.
Donec morantur fata ſuperſtitem
Brevi, nec umbris triſtibus occubat,
Obſigna ocellos nunc natantes
Morte; vel exacuens reſigna
Phœbo redonans: ſi tibi principis
Effićta limi forma, reponere
Potes caducam, mirus auctor
Terrigenûm, Genitorque magnus.
Aut ille noſtrûm flebilis occidet
Vtrique, multo flebilior tibi
Paternè amanti, ac ſponte ſueto
Ingemere alterius ruinis.
Ergo citatum transfer amantium
Notas te in ædes; affer opem malis;
Suſpendet inſignem tabellam
Ille reus miſerûm potenti.

IN S. FELICITATEM.

Ejus, & filiorum conſtantia commendatur.

ODE XVIII.

O Martiali prole ferocior
Matrona, natos ſtrenua ſuſcitas
Ad bella dux, & pectus ære
Inſtruis, atque adamante munis.

Te voce nota, te genitabili
Mulcente suada, & consilium pium
Firmante, vanis arsit iris
Tisiphone quatiens colubros.
Te lictor inter spicula lucida,
Te prolis inter vulnera livida
Siccis ocellis, atque atrocem
Vidit, & obstupuit; tremente
Dextraque ferrum pressit eburneis
Cervicibus: (mirum) illacrymabili
Parente flevit lictor, unda
Vvidus, ac tepido cruore;
Sensitque tandem barbarus, ubere
Nutrita casto, nobilis indoles
Quid posset, emiratus acre
Propositum. Vranie renidens
Misceret ultro Pleiadum choro,
Septemque Natos, jure, Trionibus;
Ni flamma vibrans vos citaret,
Hos hyemes premerent inertes.

IN S. APOLLONIAM.

Mira ejus generositas laudatur.

ODE XIX.

DEvota flamma numine libero
Dicêre Virgo, quam generosius
Perire quarentem pudicus
Egit Amor medios in ignes.
Vt occupavit fœderis integer
Amor; tenacem vis neque barbara

Divellet, & frustra retusum
Ira novans chalybem coruscat.
Vultu sereno tempora nubila
Videbis. ungui differat aneo
Artus, cruentum fixa cernes
Carnificem; tumidasque temnes
Iras Tyrannorum; neque lividas
Virgas acuto fasce verebere,
Perusta flagris, & minaces
Virgineo capiti secures.
Non purpurati nobile Cæsaris
Pallebis ostrum, telaque sanguine
Imbuta, & immanem videri
Scorpion, & nocuum ferire.
Tinctura ferrum candida subditur
Cervix, & udo murice collines
Ebur decorum; Nulla Divûm
Excutiet tibi vis amicum.
Nec si Thalanti, regnaque divitis
Quondam Phraatæ destinet, aut Phrygum
Pingues acervos, vertat alti
Consilii bene pertinacem.
Tu, tu coruscans igne tuo, Deum
Delubra perdes, monstraque turpia,
Formasque brutas; non inaudax
Bella Iovi Stygio movebis
Ferox videri femina, nullius
Timens, fateri certa Deum. fremat
Alecto, acerbos quæ Tyrannos
Romuleis inimicat aris.
Terras inertes ardua despicis,
Venale Cælum sanguine promerens,

Sponso & necato cade gestis
Iungier, & decus est perire.
Ludis Virago mascula flammeam
Chimaram, & artis damma Cyclopea,
Mirante Vulcano, sed ultro
Robora, magnanimamque mentem
Prabente Divo; firmior obvios
Pellente fluctus caute Ceraunia
Resistis, ictus perque savos,
Perque rogi volitantis Ætnam.
Repente in acrem vividus impetus
Demisit ignem, & carnificis manus
Elaberis, clarante flamma
Sidus, Apollineumque nomen.

IN S. TERESIAM.

Alludit ad illud, Mulierem fortem.

ODE XX.

Quis regna currens Tethyos, ultimi
Scrutatus orbis littora, fœminam
Visisse narret Martialem,
Pectoris haud trepidi ferocem?
Non illa multa merce rependitur
Æquè, nec Indi divitis alveo,
Nitente bacca non Eoi
Gurgitis, aut reparetur auro.
Nullas dolosi vir metuet tori
Suspensus artes, raptaque gaudia;
Amoris incesti nitebit
Purior; & fidei jugalis

Sat nota conjux. bella per horrida
Virum sequetur; ducere barbaras
Tradas, & antiquos penates
Induere exuviis renidet.
Seu Marte duro, seu mage rustico
Labore lassum restituet virum,
Viresque reddet; cortice ignem
Extruet, atque epulas salino.
Ducet trahendo lina volubili
Fuso, Minerva non operum rudis.
Sive asperas mollire lanas,
Seu levibus tenuare filis.
Ceu merce pingui non semel institor
Dives, secundis credidit arborem
Favoniis, venalem & auro
Sidonio Cererem reportat.
Illi soporem cura penatium
Demit; laborât promere provida
Dapes paratas, innocentem
Et Bromium, trepidans in usum
Fruenda mensæ. colle sub edito
Coëmit agrum, docta ligonibus
Glebas, & exercere rastris
Rustica non sine laude cultrix.
Perusta acutis Solibus, aridas
Fruges opimo condidit horreo;
Premetque vitem falce adunca,
Quercubus arboreis maritans;
Decerpet uvæ munera purpuræ
Certantis; alta dein trabe lividos
Vrgens racemos, pingue nectar
Duxit, & interius notavit.

Edera

Edura quævis frangere brachio
Fortis, lacertos robore vivido
Torquens, & acrem tendere arcum
Sueta levi melior Diana.
Corusca ferro, pugnæ & idonea
Hostem cruentum torva lacessiit
Et fudit Heroina telo,
Seu gladio metuenda nudo.
Illam minaces exacuunt tubæ,
Vt Martis iras æmula suscitat
Virtus; paratam præque cinxit
Expediit celeremque Pallas.
Secura ponti vidit Atlanticas
Impune cautes, callida Mercurî
Compendiosi; sæpe lucro
Apposuit veteri recentes
Aurique lamnas, & nitidum decus
Argenti; Erythræ munera colliget
Rubentis, & structos acervos
Vsque novis cumulare gaudet.
Lar omnis ardet lucidus, aureis
Pendente lychno de laquearibus;
Et noctis illunis tenebras
Discutiunt vigiles lucernæ.
Fœcunda laudum, rebus in arduis
Molita quondam fortia dextera;
Vt Mars quievit, fila eadem
Nevit agens glomerata pensis:
Argentum at illi non male conditum
Splendebit usu; munifica manu
Porrexit ultro dona, & arcæ
Ditis opes inopi resignat.

Non

Non bruma inerti, non Aquilonibus
Torpent penates, vernaque pigrior;
Vestit bis Afro tincta aheno
Lana, bis ardet amictus ostro
Arcente acutum frigus, & improbum
Sidus Capellæ; sic penetrabilem
Sibi usque defendunt clientæ
Vim Boreæ, glaciemque pellunt.
Splendet nitenti candida carbaso.
Incedit ardens murice Punico
Regina; ut illam non quieta
Pars animi dominam veretur.
Prudens, & æqui vir bonus arbiter
Compescet iras, damnaque litium;
Reget senatum purpuratus
Consilii potioris auctor.
Mutare & auro splendida lintea.
Zonamque bacca divite lucidam
Sueta, elaboratumque mira
Arte decus reparare sollers
Majore lucro. se quoque vestiit
Decora honesto, strenua propria
Virtute se involvit, tegitque
Ære magis rutilam trilici.
Mundi ruentis funera viderit
Siccis ocellis, illacrymabilis
Impune damnis: temperabit
Certa sui graviora risu.
Consulta Suadæ, ac Palladis Atticæ
Tenebit aures, gutture dividens
Neleïum mel, sic loquentis
Purpureo fluet ore nectar.

Illam

Illam reclinant otia languidam
Labore nunquam; non operum sedet
Immunis; in partem juvabit
Prompta lares agitante cura.
At læta proles ducet ovantium
Choros, Parentem carmine consecrans,
Regumque matres ter beatam,
Virque suam sine fraude dicet.
Est ut tumentis jactet opes viri
Matrona; cunctis, Diva, superbiam
Tu sume major, te ambit amplo
Copia devenerata cornu.
Dolosa fallit, qua Charis incubat
Genis; acerbas in cineres face
Labente, turpi seu senecta,
Seu gelida subeunte morte;
Intégra casti fœderis, ac tori
Nomen superstes postgenitis feret,
Et turpe culpari timentem
Fama dabit nuribus loquendam.
Hac te merentem laude, Teresia,
Virtus Olympo dedicat arduo,
Catusque Divûm miscet inter,
Patre decus Latio approbante.

IN S. TERESIAM.

Gratulatur de ejus apotheosi.

ODE XXI.

PRinceps Iberam Roma Teresiam
Cœlo sacravit; rite superbiat

Conſcripta faſtis Vaticanis
Non humilis mulier videri:
Appellat aris thure calentibus
Cortina Patris, nomina dedicans;
Hunc arbitrum dixit ſacrandi
Indigetes Genitor merentem.
Reponit altè ſedibus atheris
Doctam choreas ducere Virginum,
Matremque caſtrorum ſcientem
Militis, atque acie inſtruenda.
Dum ſava miſces pralia Tanaro,
Referre poſſis robore Amazona,
Ni præferas mater piorum
Vbera, ni ſoboles relambat.
Statuta ſancis, juraque temperas
Non uſitata dux ſapientia,
Morumque Princeps, & magiſtra
Conſilii, potior ſevero
Quondam Lycurgo fœmina, mitior
Dracone, tinxit cui calamum cruor,
Solone major, Pompilique
Iura tibi haud ſine fraude cedunt.
Audes nocentes tendere barbaros,
Adire Mauros ſtrenua, neſcium
Genus fateri, deque primo
Prompta necem meditaris ungui.
Te certa Virtus ponere deſtinat
Sub faſce ſævo; torvus inhorruit
Cum lictor immiti bipenni,
Haud teneris genibus tremiſcas.
Iam parva magni prodiga ſpiritus,
Amoris uno præſidio ferox;

Ignatiorum, fortiumque
Æmula Romulidum virago.
Hostem lacessis trimula, acinacem
Seu lacte fortis tingere, seu novo
Cruore, nudans præparatum
In chalybes, aciemque pectus.
Nil molle fingis, nil humili modo
Mortale versas, sordida pulveris;
Ab usque cunis jam perennes
Mente moves jaculata curas.
Non tu venenis illita Cypriis
Pudore pulchro picta decentius;
Canore nec Siren acuto
Exacuis juvenum furores.
Nunquam decoris tu bene candidi,
Minorve forma principis, unicè
Integra vita; nec notavit
Fœda Venus bene nata quondam.
Culpante honesto nunc male fervidam
Mentis juventam, nunc facilem rapi,
Malasve dulces parte multa
Mellis Acidalii fluentes.
Impunè sancti tela Cupidinis,
Castaque flamma incendia sustines;
Te deflagratam pectus avo
Vnus Amor soluit supremo.
Potes pudicam pectore saucio
Perferre plagam; dic age flammeum
Experta Numen, quo beatam
Vulnere, qua subiit medullas
Amor sagitta, callidus artium?
Quo te ille telo cumque lacessiit,

Non erubescenda cicatrix
Vsta nota tumuit superstes.
Amoris ictu concidis; aucupis
O præda magni; quam bene pectori
Venabulum nitens adegit?
Viscera corripuitque flamma?
Vt ille totam te sibi surpuit
Mucrone adurgens cuspidis aureæ?
Resorbuit cor; perque fibras,
Perque jecur jaculum coruscans.
Ergo sodales ultimâ Virgines
Auge, sed ausis prima ferocibus;
Ornare tempestiva Cœlum
Iunge choros, age, duc choreas.

IN S. TERESIAM.

De S. Angelo, qui in ignea specie ejus cor jaculo premebat.

ODE XXII. *Epod. 5.*

O Vo tendit ales pulcher ardentes genas,
Vultumque Amori concolor?
Pharetram sonantem, & aureis telis gravem
Cervice fert eburnea.
O quantum amoris Virgo concepit sinu,
Vt vulnus accepit recens?
Insedit ignis quantus, & quantus Deus
Siticuloso pectore?
Ah, ah satiscit ignea plaga cor, &
Exæstuat, micat, salit.
Flagrat pudicis ignibus Virgo; velut
Depascitur densum nemus

Interminata flamma, quam praeceps Notus
Eventilat, vel Africus.
Inusta telis efficacis alitis
Inarsit aestuosius
Vibrante in Aetna flamma; amantem sic Amor
Deum maritat virgini;
Vt gaudet ebriosa puri Nectaris,
Amor quod illi candidus
Propinat. arma sordidi Cupidinis
Infracta jam minus valent.
Iam non Iberae juverint choreae, & leves
Motus Amoris ludii;
Magisve vox canora lena pectorum,
Obtutus aut acer nimis
Iuvenum tyrannus, si quis injectus male,
Quam fixa Caelo lumina,
Refixa terris: Vt juvat sponso frui
Nitente praeter omnia?
Sedet interim praecordiis instans Amor,
Quae vis potentis aucupis;
Iam vulneri, jam telo inemoritur minor;
Incanduit purum jecur:
Exsucta ut est medulla, tota elanguit.
Amore tabescens pio.
Ah parce flammae, parce tot plagis, Amor;
Pectus fatigatum satis
Quid usque torres igne? quidve arcum acrius
Intendis? en praedam tenes.
Telum quid urges? quale non acutius
Tuae laborarunt manus.
Quid quaeris ultra? quid reposcis aut novi?
Parum ne amoris ebibit.

Puel

Puella sævos ausa fines Africæ,
Maurosque adire barbaros?
Fidem tueri fortis, impiaque amans
Hostis perire dextera?
Acies in acres, ac neces medias ruet
Adhuc acerbi sanguinis,
Vltro secures repetet, ultro acinaces,
Quicquid Scythes minabitur
Subire prompta, ni tu Amor, superstitem
Majora moliri velis.
Quæ finis ignis, aut beati vulneris?
Effare, quid sævis pie
Flamma triformi? sparge rore Virginem,
Remulce, & æstum tempera.
Vt pectus intumescit alto vulnere?
Vt torret impotentia
Amoris æstuosi? tenta mugiunt
Vt spiritu præcordia?
Tantis anhelat ingemens amoribus,
Tibique pectus igneum
Exhaurienti; pectus effossum vides!
Siste ô, cruentasti nimis.
Amantis æstum cerne, quem sat arguit
Ah cordis imi anhelitus;
Non expedire amore, qui tenet, potest
Mors sæva, non Acheron ruens.
Nulla levetur arte casti pectoris
Salubris ægrimonia.

IO. BAPTISTÆ MASCVLI
è Societate IESV
LYRICORVM
SIVE
ODARVM
LIBER XV.
De felici obitu Isabellæ Feltriæ Roboreæ Bisinianensium Principis, Sororis Vrbinatium Ducis.

Περαύλιον.



Ost sanctarum fœminarum laudes non omittenda videtur illa, quæ vestigiis earum semper inhæsit, Isabella videlicet Feltria Roborea Bisinianensium Princeps atque Vrbinatium Ducis Soror. huic nuper in amplissimo templo Neapolitano, quod extruxerat, singularibus adstricti beneficijs justa solvimus; supremos honores præstitimus dolore semper recenti; mortuam conclamavimus, cum maximè vocem intercluderet dolor; ereximus illi molē arduam Mausolei gravi mœrore depressi; excitavimus cippos, ac pilas tristitia plane sopiti, tædas accendimus orbati luce: tametsi illam ita tumulo composuimus, ut exceperit immortali-

tas, alat æternitas altricem inopiæ. Nobis tamen, quibus illa tantum præstitit, quantum suasit pietas, non potuit ejus mors non acerbior videri, quamquam vixerat satis matura, vel pietati, vel gloriæ; nam & suavissimi mores, & admirabilis innocentia vitæ, & in nostrum maximè ordinem beneficentia singularis cum occurrunt animo, quantum excitent oportet vel desiderii, vel doloris? amisimus plane magnum, sive præsidium, sive subsidium; ita illa & nostrum auctoritate nomen, & largitate alebat inopiam; reparavit illa Templum nostrũ olim fortè incensum, quod iterum nuper arsit non tam funalibus quam dolore omnium, ac funere prope nostro; quo illa in Templo assiduis precibus non minus ad sui conditoris amorem inardescebat. hic illa non Feretrio Iovi, sed immortali Deo trophæa pietatis erexit. venit quippe in mentem gentilitii nominis Feltrii, sive Feretrii, ut Bembus vocat. à Feretrio enim monte Feltriorum repetit gloriam, in quo tamquam in arce Romana militari arte præstantissimi Duces è gente Feltria trophæa dicarunt. sed heu quanta Feretrii nominis affinitas cum Feretro? hæc ipsa paucis ante annis extulit adolescentem filium spem Principatus; nunc ipsa denique elata Feretro. elata vero

eſt tanta cum civitatis vel concurſatione, vel ſtudio, ut triumphi vere Feretrii ſpeciem præ ſe tulerit funus. In primis vero ſpectare erat Templum ipſum Profeſſorum quantum quantum eſt (eſt autem mole prorſus ingens, concameratum, ſpatio ter amplum, ac tripartito diviſum. hoc à ſummo ſupercilio atratis peripetaſmatis conveſtivimus, *præter* cameram ſive Cœlum, quod illa paullo ante quam in cœleſte domicilium advolaret, quaſi rem præſentiret, magnificentiſſime inaurari, ac pulcherrime depingi juſſerat. in medio Mauſoleum excitatum erat in altitudinem prorſus immanem. omnia picturis, atque carminibus apte diſtincta oculos tenebant, ac mentes; ſpectabatur omnis antiquitas, ac ritus varii in ſolvendis juſtis; ita tamen ut omnia ad unũ tenderent. Expreſſimus vero *Lampadiphoria*, hoc eſt curſum illum, imaginem humanæ vitæ, quem non modo Græcia in honorem Minervæ, atque Promethei, ſed hæc ipſa Neapolitana Civitas germana Græciæ olim uſurpavit ad Parthenopes tumulum. illuc enim equites nobiliſſimi quique contendebant cum tæda, quam qui accenſam ad metam uſque geſtaret, palmam aſſequebatur. ſi cui extingueretur in curſu, is loco cedebat, tædamque alteri tradebat,

- bat,

bat, qui ſibi ſuccederet. notum illud Lucretii, *Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.* Succedunt nobis poſteri, quibus quaſi hæreditariam vitæ facem committimus. Ad Parthenopes igitur ſepulchrum tanquam ad communem metam mortalium Lampadiphoria Majores noſtri ſapienter inſtituerunt. nos eadem ad Iſabellæ tumulum, qui facibus undique collucebat, hac ratione traduximus, ut duo quaſi ſtadia conſtitueremus, alterum Pietatis, ac Religionis, Gloriæ alterum, humanæque amplitudinis & excellentiæ. in utroque ſtadio feliciter Iſabella Princeps ita excurrit, ut ad metam uſque ſplendidam ſemper, atque accenſam tædam prætulerit, neque unquam in ipſo curſu defecerit, ut merito eam palma nobilis evexerit ad Superos. Tum excitabantur, atque evocabantur ab omni vetuſtate principes, quibus propoſitum fuiſſet idem certamen virtutis, ac dignitatis; quibus, quia facile extingui ſolebat in curſu tæda, Iſabella cum iis collata apparebat illuſtrior. eadem porro æmulatione laudis principes hujus urbis maxime excitabantur. extat ejus funebris apparatus veſtigium pictura expreſſum, nondum typis impreſſum. Ego deinde ſeorſum in Helicone amantiſſimæ Parenti hæc cecini ad lyram.

DE ISABELLÆ PRINCIPIS, uti ſperamus, æterna felicitate,

Ex Deo viſo.

ODE I.

O Dulce gentis Roberææ decus,
O Feltriorum magna ſoror Ducum,
Clara Vmbria natali, & alma
Parthenopes, Iſabella, amores.
Relinque terras, en age divide
Biformis auras præpete Gloriæ,
Famæque penna vecta; patrum
Sat decori ſine labe vixti.
Non ſic obibis funere ſordida
Sanguis, Parentum magnanimûm, neque
Lethæa quondam perdet unda
Immemori vitio nepotum.
Iam Dædaleo certior Icaro
Arces renides viſere lucidas;
Diſcreta Divum regna, & agmen
Strenua conſocias piorum.
Pubes ovantum te tenet alitum
Concreta nulla ſorde, neque inficit
Mortale corpus; jura fati
Neſcia ferre perennat ævo.
Novena vocum fœdere perſonant
Odea Cœli: forma nec imperI
Simplex: magiſtratu triformi
Didita, tergemino ac ſenatu.
Fortis juventus claudere Tartaro
Cives rebelles; illa Acherontios

Fratres

Fratres, & immanem cecidit
Dipsada, dissecuitque findens
Crinalis hydra vipereum caput,
Fregit superbi robora consilI,
Ditemque regnatorem adegit
Cerbereo latitare in antro.
Nunc subter Vmbras, nigraque Tartara
Ille horret, horret Lucifer aureus;
Infamis ô Princeps tuorum
Exilio, miseroque casu.
Vises nitenti lumine perspicax,
Quo clara mentem Gloria roborat,
Rerumque formas, atque fontes,
Atque vices, seriemque fati.
Nil fortuitum, nulla Necessitas
Vrget Tonantem fingere liberum,
Diffinget idem magnus orbis
Arbiter, excidiumque ducet.
Vises choreas, Feltria, Virginum
Intaminata flore nitentium,
Devota & ultro castra letho
Purpureo trabeata textu,
Queis donat alta frontis adoream
Spectata virtus cuncta per ardua,
Divasque, regnatosque Divos
Arbitrio moderantis uno:
Trium cor unum, Numen idem trium,
Simplexque Numen, ter quoque maximum
Nota. profundo immensus ambit
Amne ruens Deus ille Divos.
Natus feraci pectore funditur
Verax imago Patris, & exprimens

AD FRATREM DVCEM.

Iungit cum ejus dolore suum.

ODE II. *l.1.od.27.*

Novendialis luctus, amantium
Suprema merces solvitur; arduum
Sub astra Mausoli cacumen
Mole patet veteri invidenda.
Te mœror acri vulnere conficit,
Germane; qui te cumque premit dolor,
Non erubescenda fatigat
Tristitia, meritoque frater.
Dolore peccas; ureris, ureris
Rogo tuorum, pectus ut æstuat?
Quanta sub ærumna laboras?
Quippe soror graviore fato
Erepta cessit; te quibus artibus
Soletur Orpheus? sideream movens
Lyram, morari doctus olim
Flumina, nunc lacrymas perennes.
Tenente Cœlum Feltride næniam
Fas omne tollit; tu fuge barbaros
Novare ritus, & cruento
Vngue velut lacerare vulnus.
Ævo beato scilicet ingemis?
Cœlumque misces questubus? impetum
Lenire oportet te furendi,
Et Cybeles cohibere motus.
Insanientis; nunc age, sordium
Decora virtus desinat, oraque

Gra-

Gratante risu solve, Feltris
Dum tua Cælicolas adauget.

Invitat Isabellam ad cæleste domicilium.

ODE III.

INgens avorum progenies Ducum,
Et Feltriorum gloria fascium
Quid vota frustraris morando
Cælituum? tibi dulce dudum
Suspirat æther. eripe te moræ,
Cæloque libra remigium leve;
Non usque Siren detinebit
Parthenope studiosa cantu.
Nitentis aulæ temne superbiam,
Luxumque sæcli; mitte volubilem
Mirata fumum contueri,
Euboici strepitumque Regni.
Te poscit astris Vranie suis;
Ostendit arces Signifer igneas,
Et spiceæ te stella poscit
Erigones, sociatque flammas.
Illic nec urbis sollicitus timor
Vrget; Cometes seu rubet improbus,
Seu mole Centaurus trabali
Deficiens humeros fatigat.
Non insolentem ludicra turbinem
Aget rotando, mobilis orbium
Fortuna, devolvens honores,
Et celeres quatiens per auras
Incerta pennas: quæ dedit ocyus
Vltro resigna, reddere largior;

Te

Te dote magna certa Virtus
Collocat, & super astra figit.
Non illa munus, quod semel obtulit,
Avara poscet; non ubi cœperit
Beare, desistet retexens,
Penelope similis moranti.

AD FRATREM DVCEM.

Avocat animum à nimio mœrore.

ODE IV.

Germane Princeps sat querimoniæ
Datum, doloris frena recollige;
Regina Virtus jam sorori
Purpureas dat inire sedes.
Non sic coruscat stella Lycaonis,
Cœlumque virgo Parrhasis obtinet
Pigro Bootæ juncta curru,
Pulchra magis nova forma claret,
Nec, si pudicis arsit amoribus,
Letho refrixit; spirat adhuc amor,
Germane Dux, castæ sororis,
Et cineres tenet ignis idem;
Puella comptos sprevit amantium
Crines procorum, nec chlamydi illitum
Quæsivit aurum, dedaléæ
Artis opus, Babylona temnens;
Munita honesto Feltria, Cyprios
Diffregit arcus, telaque noxia
Lusit pudica mente, & ignes
Matris Acidaliæ dolosos.

Non illa Virtus illacrymabili
Vrgetur Orco, mista nec impiis
Vagatur Vmbris, aut sepulchrum
Vrna tenet cinere indecoro:
Virtus sepulchri nescit inertiam
Alumna vitæ, nec sinit obrui
Obscura inornatam latébra,
Ac tumulo senuisse vili;
Ignara Feltris perpetuas pati
Obliviones, usque recentior
Ævo perennat, quæ secundo
Seu Zephyro penetraret altum,
Seu vela lævo tenderet Africo,
Vim temperatam prætulit, & modum,
Ius, fasque servans, & Parentis
Muneribus sapiens potiri;
Rejecit alto quicquid opum fuit
Vultu, caducis ardua præferens,
Per tela morbi, signa victrix
Explicuit, per & arma Ditis.

Præmium Isabellæ virtuti collatum ostendit.

ODE V. *Hor. l. 3. od. 3.*

Forti virentem Robore demovet
Pulsu malorum dura necessitas
Frustra, nec adversæ procellæ
Mentem agitant generosiorem.
Non inquieto turbine mobilis
Fortuna versat; gaudet in otio
Negotioso, dum perenni
Sollicitus decori adlaborat.

Sic Feltris altum nunc tenet æthera,
Divûmque latos aggerat ordines,
Graveſque morbi deprimendo
Extulerunt minimum caducam.
Audente Divûm in concilio loqui
Andreïa. Me Robore Feltrio
Inſignit inconcuſſa Virtus,
Et mulier patiens magiſtram
Agnovit; ex quò Natus amor brevis
Conceſſit aſtris, vere ſub aureo
Primum rubeſcens; ah recur- is
Flore cadens breviore votis.
Dolore functa, rebus & aſperis
Fati rependam triſtia; lucido
Iubebo ſcintillare Cœlo
Sidereis mediam choreïs;
Dum luce Feltris cætera ſidera
Sublime vincat, qualibet ætheris
In ſede regnato beata
Irradians face noctiluca.
Defleta terris, quà vagus Vmbriam
Metaurus ambit, quà lacrymabilis
Sebethus albo ſonte purus
Arva rigat, tumuitque fletu.
At illa Eoo pulchrior alite
Suo renaſcens de cinere ac rogo,
Longam ſenectam, ac triſtis avi
Iam veteres reparat ruinas.
Stabit vetuſto Robore firmior,
Et irrevulſa ſtirpe tenacior,
Firmante me fibras, & olim
Roboreum reparante germen.

A a Fe-

Felicem ejus ſtatum deſcribit.

O D E VI. *l. 3. od. 1.*

ODit ſevera murmura nænia
Auguſta princeps; carmen amabile
Apollinari fronde vinctus
Aonidum recinam ſacerdos.
Regina Feltris ſidereo, viden?
Invecta curru nubila digerit,
Subitque & vernali triumpho
Nobilis, & ſpoliis ſuperbi
Dives Tyranni; quæ generoſior
Munita pectus Robore, lividum
Hoſtem laceſſivit virago
Moribus, & melior pudore
Contendit. illi pallida Manium
Sit turba major; ſint Phlegethontii
Fratres, & ultrices ſorores,
Vicit, io, nova bella Feltris;
Nunc alta ſtipant ſidera jam nihil
Deſiderantem, nullius indigam,
Tumultuoſo nec fragore
Sollicitat canor aſper aris.
Arcturus ornat clarior ignibus,
Hædusque cornu mitior aureo,
Culpante nullo temperatum
Feltriadûm ſine clade ſidus:
Brumas iniquas non aget improbe
Fætum procellis, Sole nec acrius
Torrebit agros, verberabit
Grandine vel male pertinaci.

Lusit canoro gutture dulcius
Stellatus ales, dum rapit altius
Astræa Cœlo Feltrin; ac tu
Sancte Pudor, Pietas & altrix.
Vestris amicam moribus, & choris
Cœlo beastis; vestra ope reppulit
Ignara vinci castra Ditis
Vsque malas agitantis artes.
Vt vos avito Robore Feltriam
Munistis almæ, nil timuit minas
Vicesque Fortunæ, malorum
Agmina cum violens citaret.
Luctante morbo haud arte domabili,
Hinc certa Spes, hinc Sophrosyne stetit,
Vigorque constans, visque mentis
Haud patrium positura robur.
Vos Feltrin astris inseritis piæ
Puri nitentem pectoris, & graves
Finire poscentem labores
Ætheria recreatis aura:
Hac jure moles funeris altior
Assurgit illi; sidera lucidæ
Finxere tædæ, & myrrha fragrans
Vngit, Achæmeniumque costum:
Quippe orba Siren matre dolet sua,
Mœretque Feltrin funere pallidam:
Alget sepulchro, nos sed ardens
Vrit Amor, dolor acer urit.

Cœlum pietati debitum ab ea teneri putat.

ODE VII. *l. 1. od. 22.*

INnocens formæ, Cypriæque victrix
Sponte sectari leviora mittit;
Odit & terras, inhians amico
Sedula Cœlo.
Sive percurrens duodena signa
Semitam Phœbo secet hospitalem,
Sive quà candens via fabuloso
Lacte renidet.
Namque se nuper pia Feltris altè
Extulit penna levis, & corusco
Intulit Cœlo; fugit expeditis
Pectore curis:
Qualis emergit melior profunda
Nocte Tithoni rubicunda conjux,
Aurea pingens juga luce, florum
Roscida nutrix.
Te locet Virtus, ubi Plejas ardet
Pulchra, septenas jaculata flammas,
Aut poli clarum latus occupato
Sidere Cressæ.
Ponat aut Cycno niveo propinquam,
Aut chely stellas ubi mulcet Orpheus;
Dulce surgentem recinam, dolebo
Triste cadentem.

Sitim ejus de Deo videndo exponit.

ODE VIII. *l.1. od.23.*

QVo cervæ similis, Feltria, te citas?
Quærenti latices montibus aviis,
Si quis guttur anhelum
Fons demulceat obvius:
Sic desiderio concita, patrium
Cœlum deproperas: hic Amor ebrios
Explet Numine divos,
Insanus dolor exulat.
Non hic tigris agens differet unguibus,
Nec custos Erebi te sibi destinat;
Tandem despice terras,
Tempestiva frui Deo.

AD FRATREM DVCEM.

Ad sororis felicitatem traducit animum.

ODE IX. *l.3. od.7.*

HEros magne, potens divitis Vmbriæ
Germanam gemitu quid revocas pio
Multa merce beata
Portus appulit en sinum.
Latis illa Polo vecta Favoniis,
Cancri retrogrado sidere substitit

Cœlo; non ſine plauſu,
Et feſto Superum choro;
Atqui non gemitu flebile Feltriam
Suſpirare tuam parcis, & acribus
Pungis pectora curis,
Luctum mille acuens modis.
Maturare necem deſine, credulus
Æternis agita conſiliis Fidem,
Nec ſpes nutrit inanes
Grajum, vera monens Fides.
Divos luce recens ut ſoror auxerit
Aſtro Caſſiopes nobilior, refert,
Et formoſior ignes
Vibret ſidere Gnoſſio.
Vivit magna ſoror Feltria, nec minor
Stat majore ſui parte ſuperſtite;
Conclamare vocando
Siſte, & ſæpe tuam queri.
Quamvis dulce jubar, Sol cadat Vmbriæ,
Æque nec ſimilem viderit Itala
Tellus flore pudico,
Et fama generis parem,
Tu mœrori animum claude, neque opprime
Inſano gemitu pectora; barbaros
Luctus odit, & arcet
Cælo quæ potitur ſoror.

De

De gentilitia Quercu curvatis ramis in in oculi figuram, & de cometa, viso ante obitum.

ODE X.

Colonus alba te posuit die,
Formosa Quercus, colle Feretrio
Innixa fibris, Feltriorum
In decus, ac generis trophæum.
Arvo feraci brachia digeris
Gemmante bacca, mella liquentia
Sudante libro; pulchra ramos,
Pulchra comas, decus una silvæ.
Ah ne securim fata nocentia
Altè premendo subjiciant, cave
Ah, ne ruas arbor caduca
In dominæ caput immerentis.
Frustra recurvans brachia flexilis
Præfers ocellos, si tamen opprimis,
Devota damno immane casu
Cæca ferens sine luce fata.
Præivit omen; (nunc memini) Trabem
Nuper silenti vidimus æthere
Cratera propter; jure Siren
Præcipitem metuit ruinam.
Omenque fulsit triste Proserpinæ,
Crinale sidus, vidimus ignea
Coma cruentum; sæva virgo
Cædere cæsariem parabat.
Nunc crine Cœlum pulchrior aureo
Astra inter, ornat Feltris, inertibus

Secreta terris; jura Mortis
Dura fugit, mala dura Fati.
Mirata Cœlo sidera gestiunt
Audire Feltrin, noscere nobiles
Pugnas, triumphatumque Ditem
Eumenidum colubris resectis;
Quin & leonis qui spolio nitet
Heros, laborum Feltriadum decus
Miratur, hydram dum fatigat
Roborea exagitante clava.

Isabellæ Virtutes commemorantur.

ODE XI. *l. 3. od. 6.*

R*Egnata Divis templa tenet poli*
Princeps, quod olim lapsa refecerit
Delubra reddens, fortuitò
Tectaque depopulata flamma:
Nostras quod aras extulerit pia
Potitur astris, dant Superi bona
Non parva culti, iidem protervos
Exagitant Nemesis flagello.
Non morbi acuto vulnere concidit
Robusta Virtus, nixa stetit sua
Radice Quercus, vimque duxit
Damna per, & rigidas bipennes.
Plutone quamvis carcere fervido
Ciente Manes, castraque militum
Depraliantum, tela belli
Reppulit, & minuit superbum.
Ille occupavit secula moribus
Contaminatis, & superaddere

Tædam renidet, nec triumphis
Innumeris Acheronta parcis
Augere victor, callidus abditas
Versare fraudes, non sine flebili
Mortalium clade, heu nocentis
Consilii malesuadus auctor.
Evicit hostem strenua, Robore
Munita natali. impulit impios
Cyclopas Heroina Averno,
Femineis melior lacertis.
Non illa motu lusit Ionico
Matura tædis, ficta volubili
Docentis arte, & lege certa,
Orbe vago meditata gressus;
Sed fana Divûm, Sol ubi pallidas
Fugaret umbras, tendere promptior,
Cœlum fatigans dulce votis
Major avis, atavisque Princeps.

Gratulandum dicit ejus felicitati.

ODE XII.

NVnc tange mutam Melpomene lyrám:
Dicenda Mater nobilis Vmbriæ
Potens, acerbo erepta casu,
Parthenopes dolor, una, amorque
Non clariori progenie satam
Campana Siren vidit, & extulit;
Nôn fata donavere matronam
Hesperiæ generosiorem:
Seu ducta ramis germinat aurea
De stirpe Quercus, Roboreum decus;

Seu Feltriorum ſanguis altum
Fert genus, & proceres recenſet.
Aurora non ſic roſcida ſummovet
Vmbras, ut oris riſit amabilis
Pudens venuſtas, viſa longè
Vincere puniceam Dianam;
Nunc alma Virtus ex Acherontiis
Tutatur Vmbris, & beat æthere
Summo, propinans illi amoris
Purpurei cyathum ſodalem,
Obliviosum ſollicitudinis,
Curæque triſtis. ſidera lucidas
Videre libratam per auras
Concilio Superûm probante.
Sic Aſtra vincit Feltria pulchrior,
Ceu Luna jungens cornua Nereo
Renidet alto, ceu minores
Luce faces prait Heſperugo.

De ejus in egenos beneficentia.

ODE XIII.

A*Nguſta Feltrin pauperies gemit,*
Feltrin benignam muneris aurei;
Nigrante matronam ſepulchro
Parthenope aſpiciens, querelis
Incendit auras. quid lacrymabile
Fatum laceſſis Atropos? aſpera
Quid fila rumpis turbinata
Ducta colu, rapiente dextra?
Acerba terris occidis, occidis
O magna princeps, nec capiti pio

Pepercit, auratum recidens
Perſephone violens capillum ;
Sed vive lethi neſcia ſordidi,
Et læta dignæ ſortis honoribus
Cœlo perenna, fama buſto
Evocat immeritam perire.
Eſt excitatis ædibus altius,
Ariſque merces : plurima detulit
Potens Olympi, clauda nec te
Deſeruit ſine laude Virtus.

Dignam ſidereis ſedibus dicit.

ODE XIV. *l. 1. od. 26.*

NOtam pudoris Feltrin in æthera
Alumna Virtus tradidit alti
Portare Amori ; & jam tyrannus
Arctophylax glacialis oræ,
Ardet triones Feltride lucida
Vrgere pigros: illa Lycaonis
Splendeſcit aſtris, illa tingi
Oceano metuit ſuperba.
Nec nube cæca conditur unice
Illuſtris. ô qui ſidereum chorum
Veſper reducis, necte in orbem,
Necte voluminibus choréas.
Fas eſt corona plaudere ſiderum,
Dum tendit alte non ſine gloria ;
Hanc patrio ſacrare Cœlo
Te decet, aſſociare & aſtris.

De

De securitate qua in cœlo fruitur.

ODE XV. *l.1.od.17.*

TErras Olympo Feltria dignior
Mutas; nec acer te quatit Africus
Littus tenentem, vel protervi
Exagitant Aquilonis ira.
Nil Martiales sollicitant tuba,
Quandoque campis rauca remugiit
Bellona cornu, sed beatam
Composuit placida quiete
Amor tuendi: nam pietas, fides
Fuere cordi; nunc tibi munerum
Redundat ad plenum superne
Divite vis opulenta censu.
Nunc ô malorum nescia vincies
Mollemque caltham, sertaque lilii
Comantu, æternumque carpes
Purpureis amaranthon hortis.
Hic ebriosi pocula nectaris
Duces hianti gutture, nec malus,
Cocyte, confundes amara
Flumina; nec latices, Averne.
Hic casta Siren siderea chely
Vocale dices carmen, & efferes
Nullo laborantes beatos
Fasce superposito malorum.

A D

AD FRATREM DVCEM.

Mœrorem ejus mitigare conatur.

ODE XVI. *l.3.od.17.*

HEros vetusto Robore nobilis
(Quando hinc Quirites Roboreos ferunt
Denominatos quondam, honestos
Purpureo Latii galero)
Auctore ab illo Fama vetus canit,
Qui Feltriorum monte Feretrio
Nomen sacravit, mille onustus
Exuviis, dedit atque jura
Vrbina princeps, divitis Vmbriæ
Regens habenas. Iam tua nobilis
Germana cessit; flent cadentem
Pierides ululante Cyntho.
Annosa Qaercus deposita coma
Pallet. procaci ceu solet Africo
In regna Sylvani citatus
Sternere agens nemus omnę turbo.
Compone mentem credulus otii
Tranquillioris; Feltria nam soror
Potitur alta pace, curis
Sollicitis hominum soluta.

De sempiterna beatitate.

ODE XVII. *l.2. od.19.*

Coelo, Camœnæ, tendere Principem
Vidistis alma Sole sub aureo,
Divosque stipantes, & orbem
Implicitum Superûm choréis.
Illa ut fruendo Numen amabile
Haurit pudico pectore? ut ebria
Mens gliscit? obsignari & olim
Indociles beat usque ocellos?
Nunc lactis amnes dicite prodigos,
Divûmque nectar, mellis & uberes
Rivos fluentes large avita
(Feltriadum nova dona) Quercu.
Nunc dulce flammas dicite lucidas
Inter micantem; qua nitet æmulo
Splendore Plejas, vel corusca
Excipit Andromede cubili;
Te vidit alte Gnosias aurea
Coma decoram, sertaque protulit
Discreta gemmis, & corusca
Temporâ sideribus revinxit.

Parthenopen solatur.

ODE XVIII.

TV nunc Olympi limina jam subis,
Magnoque Divûm concilio interes,
Mortalis ultra nec laboras
Luce nitens melioris ævi.
At mæsta Siren interea jacet
Sepulta tecum te sine: Feltriam
Dolore tabescens inani
Assidue repetit cadentem;
Sortemque votis increpat invidam,
Fatumque durum. quippe manet nihil
Boni superstes, nilque pulchri
Italiæ prope funeratæ
Lugubrè tecum. quo fugit indoles,
Altoque robur pectore fœmina
Majus? nec oris jam renidet
Temperies hebetata letho.
Occulta quæ te vis rapit ocyus?
Quis promat altè non revocabile
Decretum, & arcanum Tonantis
Consilium retegat penétrans?
Forsan quietis sedibus intulit
Procul procella, ne mala cerneres,
Mundique labentis ruinas
Exitu propioris expers:
Iam bellicosus prælia commovet
Scythes, & omnis barbaria Italis
Minatur oris, jam protervi
Saxones explicuere signa,

Quæ

Quæ non rubeſcit ſanguine decolor
Tellus? quis amnis, quæ freta Tethyos
Non cæde liveſcunt? ubi aëris
Non fragor intonuit minacis?
Te pax tuetur candida, Feltria,
Impune, mortis nec metuis gradum
Vllum, ſed immenſis perennas
Orbibus impatiens perire.

AD FRATREM DVCEM.

Suadet ut nimium deponat luctum.

ODE XIX.

REgnatam Superis domum
Princeps læta tenet, namque Amor intulit
Virtutis memor ardua.
Fruſtra ſollicitas tot querimoniis
Germanam, & revocas polo:
Sat vixit generi, ſat quoque gloriæ
Heroina potentior.
Nequicquam lacrymis fata adamantina
Mollis, juraque ferrea:
Mortales ſtabili lege neceſſitas
Vrget, parcere neſcia;
Ex quo poma pater non ſine funere
Alta uxorius arbore
Carpſit, ſed ſatis heu jam lacrymis datum,
Seu cum Sol caput exerit,
Seu cum ſe Oceano ſerius occulit;
Illam quippe laboribus

Functa

Functam nectare Amor perluit ebriam,
Æterna ambrosiæ dape
Convivam Superûm non humilem beans.

Ejus ac gentis memoriam immortalem fore dicit.

ODE XX.

TE flemus almo lumine Principem,
Vitaque cassam, damnaque proprio
Deflemus occasu sepulti;
Quippe, Parens, sobolemque tecum
Trahis cadendo; nam tibi quandiu
Vigor superstes, lusimus impetus
Injuriosos, nec bilingui
Livor edax tumuit veneno.
Iaces sub urna, sic placitum polo,
Sed non inerti fama jacet situ,
Te stirpe patrum Feltriorum
Per titulos memorat vetustos:
Pater Quirinus Iulius infulas,
Et Xystus aptant, arbiter ætheris
Vterque, & Vmbrarum silentum
Rite potens; aperire postes
Seu malit altos, claudere seu velit.
Tot Vmbriæ te lumina, tot Duces,
Cotesque belli Martiales,
Et series decorant avorum.
Non te, neque illos invida posterum
Silebit ætas, nec tibi si rogus
Absumpsit artus, Fama Lethen
Sparget iners cineri tepenti.

AD FRATREM DUCEM.

Sororem ait pietatis fructu nunc frui.

ODE XXI.

Francisce princeps Feltriade, Ducum
Propago, claræ qui regis Umbriæ
Illustris urbes, magna quondam
Romulidum soboles Parentum,
Xysti que sanguis Roborei, & genus
Augustum Iüli, te Polyhymnia,
Testudo te discors reposcit
Inferiis operata ritè
Sororis almæ, ne fuge nænias
Audire, tristes & querimonias;
Culpamur haud mœrore iniquo,
Carminibus veniaque dignis.
Quamquam renidet sidere pulchrior
Germana, nec jam, pondere libera,
Sub fasce mortali laborat
Astra tenens meliore voto.
Virtus tuetur, sedibus igneis
Altè reponens; extulit, extulit
Illam superne, imasque jussit
Spernere jam sine amore terras:
Illic perennat dissociabili
Dolore nostro; quæ simul ebibit,
Haustique Numen perspicaci
Mente tuens, posuere curæ.
Hinc vis amorum plenior effluit
Perenne dulcis; nec teneant graves
Feltrin dolores, atque certa
Lætitia reparare gaudet.

Morbi

Morbi labores appoſuit lucro;
Faſtidioſa non querimonia
Inſaniit, non acre vulnus
Fœmineis agitavit iris.
Nec criminoſis aſtra laceſſiit
Atrox iambis, vulnera colligans
Doloris, haud ignara morbo
Ægra diu toleranter uti.
Cuſtos pudicæ mentis, & integra
Morum, refregit tela Cupidinis
Fruſtra protervi, nec Dione
Iura tori violavit exlex.
Refecit aras, templaque fumida
Depaſta flamma, ſueta ubi ſupplices
Tuliſſe palmas, & fatigans
Voce pia revocare Divos:
Devota Cœlo fœmina patrio,
Et irretorto lumine contuens
Opes avitas, & reſignans
Omnia, ſe pietate texit.
Spes una nudæ pauperie, & decus,
Et alma nutrix, prodiga Virgines
Pecunia dotali, & auro
Expediens Paphiæ per artes.
Eubœa Siren jure dolentior
Deflet ſupremo munere næniæ
Donans; & atro ſana velat
Tegmine ſqualidior videri.
It pompa longo funere decolor,
Agmenque flentum verrit humum nigra
Cauda; feretro præque currunt,
Aut vigiles rapuere tædas.

Vt mœsta pallent omnia? ut occupant
Luctum tenebræ? jam sine Feltria
Amabile haud quicquam est; Amores,
Gratia, Religioque mœret.

AD FRATREM DVCEM

De monte, ac gente Feretria sive Feltria.

Cujus gloriam auxerit Isabella.

ODE XXII.

HEros, avitis fascibus Vmbriæ
Potens, feretro jam lacrymabili
Subire cessa; pone caudam
Syrmatis, & trabeam resume.
Germana victrix intulit aureo
Trophæa Cœlo, signaque postibus
Direpta Ditis, ditis olim
Exuviis generis FeretrI.
Gens una, Roma qua Capitolium
Sublime, tanti nominis æmula,
Novare contendit superbo
Monte super, gelidoque saltu.
Hic arma Thracum, telaque barbara
Virente Quercu plus vice simplici
Bellona suspendit, sarissas,
Et clypeos, & acuta crista.
Cui Feltriorum gloria? cui ferox
Ignota virtus? quod genus hostium
Non defatigavere bello?
Qua celebri caret ora fama?

Quis

Quis Martialem nescit, & impigrum
Boncontem in armis? cui generosior
Non dictus Hugo? non Galassus?
Teque potens, Federice, dextra,
Et mente magna? laude recens viget
Guido, sepulchro fama superstitem
Heroa Guidobaldum amica
Usque canit memorans Parentem.
Ac te ferocem Robore patrio,
Germane, fortis perdere Thraciam
Classem premendo, barbarorum
Vim minuens per acuta Martis.
Testis Scytharum sanguine decolor
Nereus, ut hostis sensit, & horruit
Victoria te matre natum
Farnesia, auspiciis secundis.
Te digna vixit, te soror indole
Expressit alta, par & Amazoni,
Cum Dite pugnavit superbum
Expolians, Ereboque damnans.
Integra vitæ vixit, & ætheri
Devota tellurem pede libero
Depressit, & quicquid tenaces,
Ne revolent animos, retardat.
Victrix Averni jam Capitolio
Infert opimas exuvias soror.
Quercum triumphalem quid ultra
Commerito capiti moraris?
Io triumphet; quin geminas, io
Pæan? resultet vocibus Umbria,
Et ripa responset Metauri
Naïadum celebris choréa;

Ergo dolori jam satis, & super
Datum gemendo; corrige flebilem
Luctum, nec aeternis fatiga
Exagitans animum querelis.
Seu te Mathesis daedala detinet
Industrium, & certae sapientiae
Consultus artes aemularis,
Vimque Syracosii Magistri.
Seu jura sancis arbiter imperI,
Vrbini prudens fraenaque temperas
Titi benignus mente, dulces
Delitiaque hominum, atque amores.
Seu Mars te in acres magnanimum Scythas
Bello resorbet, concipe spiritus
Majoribus dignos, FeretrI
Montis & exuvias adauge.

DE AQVILA GENTILITIA.

Isabellam caste ab ea in cœlum evehi dicit.

ODE XXIII. *Epod.* 10.

Gentilis ales explicat pennas leves
Ferens Olympo Feltriam.
Vt lenis aura ventiles Favonius
Alas, memento, praepetes;
Neu tristis Eurus infremas rauco aëre,
Rectave cursum differas.
Assurgat ales altius, Cœlo viam
Lapsu penetrans pervio.
Non ut reponat atheri, evadens rogo,
Manes Avernos Caesarum;

Nec

Nec innocenti ut ungue ab Ida ſuſtulit
Puerum miniſtrum poculi:
Quin ipſa nectar ore purpureo magis
Ducet propinans haud Iovi.
Qua tendit, alba nocte Plejas ardeat,
Amica Plejas obvia
Quietiore Feltridi occurrat Polo,
Sertoque Gnoſſis aureo;
O quantus inſtat plauſus aſtrorum choris?
Quæ gaudiorum ſtat ſeges?
Ducet choreas cum Diana ſiderum,
Orpheique reſonabit lyra:
Sidereus alte cum remugiens Polus
Reddet canore Feltriam.
Nil tum verebitur male averſum Deum,
Iramque cæci fulminis.

Die emortuali.
Alludit ad ſacram næniam.

ODE XXIV.

D*Vcet ruinam protinus omnium*
Dies nefaſtus, lucis inops dies,
Iraque tempeſtas caducam
Molem aget in cinerem relapſam:
Premens Olympum concutiet Pater
Tonante curru, ſummaque funditus
Et ima cum ſtridore acuto
Verſa ruent; tumulabit & ſe
Sepultus orbis. concipiet facem
Commune buſtum, qua Thetis ardeat,
Athoſque, & Apennine, & Alpes
Aſſidua rigida pruina.

Frustra sub atra nocte Lycaonis
Quaremus Arcton, tunc nec amabiles
Gelu Triones, perque terras,
Perque Polos equitante flamma.
Hac omnis ardens ibit in Ilium
Spectanda moles, hac species decens
Et forma Vulcano calenti
Ludibrium, cineremque debet;
Sic eloquuto, sic trepidas fides
Movente quondam, non sine Numine,
Antiqua Idumes Rege, idemque
Virgine pracipiente vate.
Eheu malorum quantus adest metus:
Periculosa sortis in alea?
Quam sava mortali proteruo
Damna movet sine fraude vindex?
Quam cor resultat? quam metuo gravem
Suspensus iram, voce domabilem
Nulla precantum? dum resorbet
Cuncta avida violens favilla..
Ardens severi forma supercilI,
Et vultus uret flammeus aspici;
Cum nube fulva, cum tremendo
Ipse ruet Genitor tumultu.
En ille telo jam furit impios
Devolvere Orco, claudere Tanaro:
Qualis catellis Vrsa raptis
Frangere persequitur nocentem,
Thorace tectum tunc adamantino
Nil vota flectent; fulmina diget,
Qua parte multa fellis atri
Imbuit, & nocui veneni.

Sepul-

Sepulchra circum buccina mugiet
Clangore rauco, (mira fides) citans
Vulgus silentum, sistet alti
Iudicis ad trepidum tribunal.
Mors juris emirabitur insolens
Surrexe ab alto pulveris aggere,
Stupebit & Natura Manes
Attonitæ similis receptos.
Cum forma rebus, cum cineri vetus
Sanguis redibit, mollis & halitus;
Vrnæque pallentes reponent
Credita; prosilietque bustis
Auritus extemplo cinis, impiger
Cinis novari, vi reparabili:
Ceu vere post brumas inertes
Fronde nova juvenescit arbos.
Nempe omne reddet Persephone caput,
Et jussa Clotho fila recolliget;
Fatisque reclusis gregale
Agmen aget volucer satelles.
Dijudicantem non male conditum,
Cæcumque mentis consilium latet;
Reum resignatis tabellis
Proferet, & scelere explicato
Obscura promet; sim licet integer,
Morumque purus, abstineam haud metus,
Nam castus incesto remistus
Sæpe simul periisse mœret.
Non pœna inultum flagitium ac nefas
Impune linquet; jam pede libero,
Quæ clauda quondam, tunc sonante
Verbere post humeros sequetur.

Tum cuncta, nobis constituit Deus
Edura terris additus impiis
Vltor. quis, heu, tutans paventem
Damna per expediet, ruentis
Casumque mundi? quis dabit asperam
Defendere iram parcere nesciam,
Acremque in hostem vultum, & ora
Iudicis indocilis moveri?
Non thura me, non sera piacula
Solvent, nec aris debita victima,
Bacchante sub Cœli ruinis
Numine, nil miserante terras.
Serves trementem rebus in ultimis;
Si criminosi me sceleris pudet,
Vt ebrius dulci juventa
Expedii sine lege habenas.
Si me tueri strenuus arborem
Scandis, cruentum si caput impedis
Sub vepre, venalemque multo
Si pretio reparas salutem;
Donec residit, nec tonat ardui
Procella Cœli, nunc lacrymabiles
Tonant querelæ, nunc profundo
Corde piæ repetuntur iræ.
Iam jam recanto crimina, me malus
Vt error olim surpuit? ut mihi
Frons erubescendo pudore,
Fœda super scelerum, notatur?
Humor, qui ocellis labitur, arguit
Quæ cura sontem, quis dolor excoquat:
Seu blanda pellexit voluptas;
Seu furiis agitavit ira.

It ex-

It expiato crimine Magdalis
Devota amanti; & qui crepuit probrum
Infame pendentis, Deum te
Fassus & immeritum perire.
Culpis iniquum ne furor incitet,
Fatalis Ætna cum rogus arserit,
Orbisque tempestivus uri
Excidium tulerit supremum.
Natura quando grande periculum
Laborioso parturiet sinu,
Stragemque latè concidentum
Terrigenum, & dolitura funus.
Tam sævus ibis, quanta per arduas
Procurrit ornos flamma volubilis,
Et quantus insurgit tumente
Aufidus imperiosus alveo.
Muni per alta incendia liberum
Iter paventi; nec cineri meo
Superba mors insistat; Orcus
Aut violens sibi me reposcat.
Secerne puram vellere candido
Agnam reducens pascua neu gregi
Compelle nigro neu petulcis
Iunge precor, bone pastor, hædis.
Quodcumque dura voce minabere,
Plectantur Vmbræ, me bene sospite,
Et debitum jus pervicacem,
Atque vices maneant superbæ.
Vt summa clades orbis inhorruit,
Casusque præceps, diraque vastitas,
Ne perde mortalem: soluti
Funera post lacrymosa mundi

Re-

Repone latis sedibus integrum
Vitæ, vocari lenis; ego unice
Securus irarum, severas
Eumenides, Erebumque fallam.
Nunc parce pœnis, parce licentiæ
Flammarum, amicis consule Manibus
Virtute functis, & quietem
Tu Genitor placidam redona.
Cum sacra libans munera pulveri
Novendiali rite litavero,
Ignes Avernos sponte muta
Sidereis, Acheronta cœlo.



IO. BAPTISTÆ MASCVLI

è Societate IESV

LYRICORVM

SIVE

ODARVM

LIBER XVI.

Aduersus Hæreticos horum temporum.

Πεϱαχύλιοι

VErsabar nuper in Helicone inuitatus à Musis. sapidissimas illæ apparauerant epulas, quippe pietate conditas, pudicæ castis; cum ecce tibi horribili clangore concutientes alas Harpyiæ superuolant,

Diripiuntq; dapes, contactuq; omnia fœdant
Immundo.

Prorſus fœda monſtra Ωκυπετῄ, κελαινώ, Θύελλα, Αλωπὴ, & ſi quæ ſunt aliæ Stymphalides dictæ, & Iouis canes. quid tum ? inſurgunt omnes, inuadunt; ipſe Apollo contendit arcum. ego qui Lyricum magis, quàm venatorium arcum tractare noueram, arripio illum, ac reſumo, quem iam è lauru ſuſpenderam; fœdiſſimas peſtes Diris inſequor, & carmine deuoueo Stygi; tum eos, qui tantum malum auerterant, proſequor laudibus. Dicet aliquis, Quid ſibi volunt iſtæ ambages ? nempe quis inficiabitur his eſſe ſimiles Hæreſes, quæ, quicquid attingunt de ſapientiæ menſa etiam ſacra, inficiunt, fœdant, concerpunt vnguibus?

Triſtius haud illis monſtrum, nec (ſæuior vlla
Peſtis.

Quamquam Hęreſes longè tur-

turpiores sunt; nam Harpyiæ licet visos, ac vultures infernè præsefe-rant, supernè certè sunt,

Virginei volucrum vultus.

Cetera quoque monstra in mentem reuoca, Scyllas, Sphynges, Gorgones, Lamias, quæ licet corpore reliquo insigni turpitudine sint, facies certè illis est virginum; sola Hæresis est, in qua nihil apparet casti; quæ nihil habet, quod non procax, petulans, incestum sit; os ipsum impudens maximè, immò execrandum; ita omnia monstra fœditate superat. Pugnasse verò cum Harpyis olim dicuntur celeberrimi illi Argonautæ, ac ventorum filij Zetus, & Calais paternis alis elati. Pugnarunt etiam cum simili genere, hoc est cum Hæresibus semper non modò veteres illi Ecclesię magistri, sed etiam hoc tempore è nostris multi; in primis fortissimi illi Ocea-

ni Argonautæ Azebedo duce, prætermittam verò hic eos, quos in literaria pugna quasi pennatos extulit vis ingenij; quia ad hoc genus laudis pertinent cùm nonnullæ Odæ primi libri, cùm plurimæ noni. Pugnarunt quoque ferro ac pugnant (vt ceteros omittã Principes) inuictissimi nostri Reges, ac Cæsares, nec eo euentu, quo cum Maronianis illis Harpyis pugnatum est, quæ nullis acceptis vulneribus euaserint. Ac primum nostri homines quantum in ea pugna laudis sunt consecuti, Campiani, Garnetæ, Rogerij cum reliquis? quanta inde materies, ac seges gloriç semper extitit? nam & Epiri Regi gloriari licuit, cùm hostes infestissimos Romanos nactus esset, videri se Herculis nobili sidere procreatum, cui tamquam ab angue Lernæo tot hostium capita renascerentur. Intuere nunc non modò Lutherum, atque Caluinũ, sed cetera illa monstra, Bezam, Carolo-

rolo-

rolostadium, Osiandrum, Melanchthonem, Bucerum in primis illum taurino vultu acuentem cornua in cote perfidiæ, atque in religionis viscera impiè ruentem. quid Oecolampadius cum illa furiali tæda? nonne ipso nomine minitatur templis incendia? an non illum eiusmodi cometam appellabis, quem eadem prorsus voce Græci Lampadion appellant longo tractu flammarum prodigiosum, & Christianæ reipublicæ, vt ita dicam, fatalem? an non is similis Euno illi Syro, quem ferunt in seruili bello, fanatico furore simulato, dum Syriæ Deæ cæremonias iactat in ore abdita nuce, quam sulphureo igne stipauerat, leuiter inspirata flamma verba fundere solitum, eaque simulatione prodigij multa seruorum millia coëgisse omnibus infestum. at quantò sæuior Oecolampadius? qui non leuem ex ore flammulam inspirauit, sed eructauit incendia delubrorũ!

Ceterum seruile & hoc bellum dixeris, nimirũ quod Seruetus ipse, mancipium illud libidinis, ac sodales Hæretici, qui improbissimæ dominæ voluptati seruiunt, intulerunt; nisi malis appellare Titanicum, quod contra Superos est indictum. Sed nihil obstitit, quin nostra phalanx tam periculosum bellum periculo explicaret suo; repente quà ingenio, quà virtute in subiectas Hæreses suo more detonuit; ea videlicet pugnæ specie quasi in Terrigenas è cœlo, ac nubibus tela mitterentur. At fuit cruenta victoria. video; sed quæ cruore illo sit vsa, vt titulos inscriberet triumphales. Romanos milites interfectos olim admiratus est ipse hostis in Pyrrhico bello, quòd in extinctis etiam quodammodo arderet ira, retinerent adhuc in vultu minas, & quod præcipuũ est quamquam soluti vita, tenerent tamen arctè atque distringerent manu

manu gladium tāquam adhuc pugnaturi poſt mortem. at in noſtrorum vultu, Spirabat non ira, ſed pietas; & miramur ab hoc genere militum breui totum orbem occupari potuiſſe terrarum, & Religioni ſubdi? quamquam igitur eorum virtus conſecrata faſtis nondū eſt, vt propterea ſeorſum à Cœleſtibus meminerim, tamen indicti, ac ſine laude abire non debent. Atque hi quidem flammam in Chriſtianam Rempublicam excitatam reſtinxerunt cruore ſuo, illi alieno, hoc eſt ipſorum hoſtium, Chriſtiani videlicet Principes, religionis veræ patroni, quid enim aliud Romanus Cæſar in Pannonia, Bohemia, Palatinis vrbibus, totaque Germania ſpectauit ſemper, ac ſecutus eſt, aut Hiſpanicus Rex in Belgico bello tamdiu tot ſumptibus in arma, legiones, exercitus? quid Gallicanus molitus eſt, & molitur, niſi vt perfidia, & impietas aboleatur? neque enim hic putauit ad corpora tantū

contactu curāda, sed ad Religionis quoque strumam exsecandam vim sibi tributam esse diuinitus? qui ardor & inuictissimū Poloniæ Regem agit. Quid nos interea? ignaui scilicet in Helicone sedebimus? an potiùs acri, ac præsenti animo in Religione tuenda erimus? At enim in huiusmodi monstris profligandis Herculis opus est claua, non clauiculis citharæ, arcu nō plectro. Aduolēt (inquis) aduersus Harpyias istas Boreæ filij alis instructi, non pigra testudo. Audio, sed & Hercules vnà cum Musis ædem habuisse legitur, & ipse testudinis inuentor talaria, & Phœbus arcum; & nobis erit pro venabulo stylus, quem acuet pietas. quamquam, ne nimis acerbi videamur, non tam superstites aduersarios, quos breuì ad signa redituros speramus, insequemur, quam auctores ipsos, & architectos sceleris; nec solùm horum perfidiam detestabimur, sed nostrorum maximè hominum in

pu-

pugnando constantiam, nec non Cæsareos, ac Regios de impietate debellata triumphos concinemus. Atque vt in primo libro veram sapientiam laudibus consecrauimus, ita in hoc vltimo insanientem, ac falsam Diris execrabimur.

EXAGITANTVR HÆRESES VARIÆ.

ODE I.

Seueriori nunc fide Pieri,
Dic monstra septem pulsa trienibus;
Fortes cane Heroas perire
Pro Latio, pia & arma Regum.
Fœcunda fraudúm parturit Eumenis,
Nec fœta partus edere luridos
Cessat; recenti prole gaudens
Fert vterum pariter tumentem.
Est vt refossis ille procacior
Insultet aris, alter iniquior
Diuis tabellas dedicatas
Proruat, & simulcra vertat.
Hic vaticano prælia suscitat
Patri, minans incendia, & impias
Vrbi ruinas; ille magnam
Numinis exagitat parentem,
Castamque Diuam. immane periculum
Pollutus orbis contremuit probro,
Pallente Phœbo, perque nubes
Igniuomas equitante Nato
Matris pudicæ vindice, & horridum
Mittente telum. Est qui superûm dapem,
Dulci elaboratamque Amore
Ambrosiam, illecebra trahente,
Fastidit. Alter par decus abnegat,
Patrique Natum posthabet, inuidens
Natalibus magnis, & aquè
Ius negat, imperijque sortem.

Non occupauit Patris opes Dei
Ignotus hæres; vis sed amabilem
Fæcunda Diuûm mente gignit
Dulce Dei decus obtuentis.
Hic astra culpat, vinclaque ferrea
Necessitatis, vimque adamantinam,
Durosque claues mente seruâ,
Arbitrio famuloque fati.
Sed pœna sæuis insequitur flagris
Reos adurens. imminet, imminet
Infesta tergo, & cæde acuta
Attenuare superba curat.
Testis mearum turpiter occidens,
Ari, minarum; testis & impudens
Luther, cutisque olim cruentæ
Exuuijs viduate Manes.
Suetus procaces non semel arduus
Pater sagitta perdere. sic perit
Incestus olim vulgus, vrbes
Mulciber vt pluuius resorbet.
Adhuc procella vis patet ignea;
Stant verberata fulmine vineæ,
Agrique mendaces referta
Poma ferunt cineris, videri
Dolosa; certant punica Regibus
Hic mala, pendens vuaque purpuræ,
Sed forma Bacchi fraudulenta
Sulphureas cadit in fauillas.

DE

DE FIDE ADVERSVS HÆRETICOS, quos vocant Sacramentarios.

ODE II.

Magistra tantùm quæ docuit Fides
Curo haud proteruus discere, nil supra
Deum lacesso mente acuta,
Icariis bene doctus ausis.
Fide beatus scilicet vnicè
Docente. non me Panthoides magis
Percussit, aut fallax Cleanthes,
Socratico neque permadentes
Sermone quondam, cuique Apis Atticæ
Sedit labellis nectaris artifex;
Vita nec incesta magister
Infurias, Paphiamque adegit.
Mentem fatigo quid vacuo diù
Labore? tantum quid trepido minor?
Et claustra non frangenda tollo,
Finibus ingenij reuulsis?
Occulta magni non patet omnibus
Cortina Patris; quemlibet haud suis
Admittit arcanis; nec alti
Consilij penetrale pandit.
Interminatum Numen, & arduum
Discernit audax ingenio breui
Mortalis impar, constituta
Munera transiliens Mineruæ.
Hoc fonte deriuata superbia

Infecit

Infecit vrbes, hinc Latij probra,
Et pugna decertata verso
Pane super, profugoque Baccho.
Vt voce mira parturiat Deum,
Et mente Flamen, dicere vt efficax
Mensa reclinatum dapali
Ambrosia interiore pascat.
Nec dona credam me Cerealia
Tulisse vulgò, & Lesbia pocula;
Quamuis Iacchi ducam odorem
Naribus, haud leue suspicabor
Quicquam sub vmbra qui latet hospita
Nutrit, placenta quà simulat Ceres
Formam, teneri paruus orbis,
Cetera magnus Amor, Deusque.
Sed ire clauda mente per arduum,
Curtoque sensu non peto; simplici
Nil allaborandum superbè
Est Fidei. nimium sagacem
Quandoque Veri præda fugacior
Ludit, arctu se expediens plagis,
Euasit aut sublimis, artem
Aucupis & vacuam fefellit.

ADVERSVS LVTHERVM.

frustra cum in veram religionem armari dicit.

ODE III.

Qvid turpe Ditis progenitum satu
Monstrũ? quid audax prælia cõmoues,
Luthe-

Luthere, coniuratus arces,
Pergamaq; haud labefacta Romæ
Tentare motu! non adamantini
Postes tenaci cardine corruent;
Ludetq; septem vim Trionum
Damna per inuiolata semper
Romana virtus, hoste domabilis
Nullo; ferocem præsidio poli
Nullæ fatigabunt ruinæ,
Quam Genitor reparans tuetur
Iuratus auctor. nil grege proficis
Contaminato: te sapientibus
Loiola curis, te pudicis
Consiliis animosus vrget.
Ne crede pœnis interiisse, quos,
Patris Quirini nomine, carceris,
Saxaq; damnauit securis,
Sustulit & sine lege iudex
Deliberato vulnere dedicant
Ferrum; coruscos illacrymabiles
Videre, districtos & enses,
Pro Fide amant animam & pacisci.

ADVERSVS LVTHERVM.

Ignatium eius conatibus obsistentem opponit.

ODE IV.

LVther, cohortis signifer impiæ,
Quondam nocentis dux sapientiæ,

Seu Colchicæ certantis arti
Seu magè Thessaliæ venenis.
Te viperino semine (pró pudor)
Ferale monstrum Dis malus edidit
In damna Romæ, in damna templorum
Excidiumque, necem ac piorum.
Nutrix Enyo dicitur horrida
Admosse labris vbera pallidis.
Lac & Medusæum suetus
Ducere, Cerbereumque virus.
Quàm pene duri sæcla Sabellij,
Et contumacis vidimus EutropI,
Cœtumque discretum impiorum
Bella sacris temerè inferentem?
Loiola at ingens edomuit malum,
Pestemque terris exitiabilem
Exegit. illum sæuus Orcus
Extimuit, trepidúmque vulgus
Vmbrarum; vt acri personuit tuba
Bellator; angues Eumenidum graues
Arsere in iras frustra, acuto
Vulnere cum cecidere secti.
Quin & Britannus pronus in oscula
Patris, Quirini sponte cadit; neque
Sæuire curat cæde multa;
Sollicitamque agitare Romam.

ADVERSVS LVTHERVM.

Execratur eius perfidiam.

ODE V.

Lymphata fertur mens malè cacubo
Obliuioso fœderis arbitrum
Te dixit Alecto ruendi
Fana solo, veteres & aras.
Deforme monstrum, quale nec horrida
Lerne profunda vel Nemee specu,
Non belluosis crebra lustris
Africa, non Erymanthe condis.
Gaudes piorum sanguine, saucia
Gaudes parentis vulnere barbaro,
Romæque singultu, & querelis
Multa mouens mala funerata.
Auara cadis bellua; non tigris
Gangetis æquè, non leo inhorruit
Gætulus, vt morsu trementem
Persequitur lacerare ceruam.
Periurus audes dicere perfidum
Olim sacramentum, irruis impiè
Armatus in sacrata Diuûm
Pergama; proruere & superba
Sigilla, & aras haud veritus pede;
Iuratus in Manetis, & Eunomii?
Insanientum verba, doctor
Stultitiæ, veterisque fraudis,
Te fulmen atrox attonat, attonat,

Quirl-

Quirinus hostem, quo premit arduus
Iussis proteruum, quo profundum
Concutiens Acheronta turbat.
Potens minaci carmine perfidos,
Tadisque sacris in rapidam Styga
Deuoluere; vltor sic rebelle
Ingenium domitare curat.
Fœdare castos, & fidei integros
Tentare vt audes mille vafer dolis.
Sed Adrianis cautibus mens
Surdior illecebræ resistet.
Lethale nectar, mellaque Nestoris
Ceu viperini pocula sanguinis
Detestor, euitoque turpis
Quicquid Amor mihi rex propinat.

ADVERSVS LVTHERVM.

De suppliciis quæ hæreticis parata sunt.

O D E VI. *Hor. l. 5. od. 28.*

TE, te hostem superûm Stygis arbitra Ro-
Diris exagitat metuendis, (ma, poliq;
Luther, bella ausum templis indicere, bella
Impia, dementesque ruinas
Romuleis tectis minitantem, turpis vt auctor
Immundi, fœdique iuuentam
Eris Acidaliæ flammis, puerumq; sagittis
Armas, lethalique veneno:
Sed non clauda subit te pœna, tuosq; profunda
Ora habet illatabilis Orci,

Periurus ut voti horrificum caput
Olim obligasti, protinus instruis
Turpes cohortes, arma demens
Arma moues Latio. veneno
Tingit sagittas exacuens furor.
Accrescit ingens vulgus, & agmina
Insanientum, aduersa cœlo
Agmina purpureaque Romæ.
Non impotenti sanius irruis
Manete quondam, pergama deuouens
Romana Diris, terque ferrum,
Terque faces minitatus Vrbi;
Iniquus aris, & Latio grauis,
Quantum nec olim Nestorij genus;
Sic mente præfracta ut Nouatus
Porphyriusve, furensve Cerdon.
Quin si resurgat Sergius impudens,
Fallas sagaces; scilicet haud nota
Discernat audax prorsus ulla
Ingenium, indomitamque mentem.

ADVERSVS LVTHERVM;

Bellum illi cum sociis indicit.

ODE VIII. *epod. 1.*

Quebus hostis Vaticano principi
Inominata prælia?
aratus aras impius ligonibus,
Et alta fana vertere.
uid vos, quibus ferrum minaris, & necem,

Et monstra pœnarum horrida,
Vtrumnè languidi otio, aut fracti metu
Cedemus hosti? an impigri
Sumemus arma? teque per Britannicas
Oras, per vrbes Theutonum
Virtutis arcu, & insequemur ingenI
Telis, Quirini perfugam
Signu? licet natura sit fortis parum,
At militem cœlum iuuat;
Vis manat hinc multum redonans auxilI
Sic militabo acerrimum
Bellum: nec arma induerint Vulcania;
Non area squama asperent
Pectus; nec atra Gorgonis geram ægide
Caput colubris horridum,
Satis superque munit hac vis, vnicè
Datura spem victoria.

ADVERSVS CALVINVM.

Opponit eius perfidiæ stabilem fidem.

ODE IX. *l.1.od.16.*

LOiola calui verticis abscidit
Angues resectos Cantaber Hercules;
Magnaque detestata Roma
Consilia, & scelerum repressit
Impune causas. ceu furis impotens
Vulcane, pectis lurida ceu soles
Proserpere, informes & artus
Pascere, sic malesanus ira

Calui-

Caluinus ardet vertere persequens
Augusta Diuûm pergama, dirutis
Aris; proteruus perque rupit
Templa furor, rapuitque flamma.
Vis omnis Ari, visque Sabellia
Caluinum in vnum iam ruit, & Styga
Reliquit, altis ac tenebris
Occupat immeritos Triones.
Non sic tumenti pectore sæuiunt
Venena quondam Thessala, Colchide
Tractata Saga: viperino
Cautus ego malè felle vitem
Spirantis hydri damna; Quiritium
Patri ter amplo credulus vnicè;
Nec peierabo vota quondam
Fonte mihi repetita puro.
Me lex Sicambro dissociabilem
Secernis arcens; sæpe sodalium
Mentes in insanas Enyo
Proripuit malesuada fraudes.
Non me parentis Romulei fide
Diuellet atrox Tanarus integrum,
Vibrans super ceruice ferrum
Excipiam, rigidumque vulnus.
Sunt certa Romæ robora, Numine
Præsente; vanq Marte parabitur
Ruina demens Vaticano
Imperio, miserumque funus.
Mutare quærant sed reuocabiles
Incesta castis; & pia fœdera
Tandem recantatis nouentur
Consiliis, Latiique probris,

ADVERSVS CALVINVM.

Sacris eum Diris deuouet.

ODE X.

MAter Sacrorum Roma, quid impius
Caluinus audet voce laceßere
Turpi pudicam? te verentur
Cyclades Oceano repostæ,
Indique & omnis barbaria audiens
Dictis? Enyo sola quid obstrepit
Docenti? & insanum proterua
Extimulat, furiatque vulgus?
Plerumque mentes illaqueat dolis
Mentita Pallas, iure perhorrui
Tractare non tangenda Marsis
Saua magis, nocua & venena,
Falsi magistro dissociabilis;
Nec errat acres inter ouis lupos,
Nec cerua Maßylum leonem
Fœdere amat sociare iniquo.
Doctrina fallit lubrica plurimum
Disci; dolosa fallit imagine.
Fucata malas, damna celat
Fronte supercilio renidens;
Haud virgo Pallas, Pallas adultera
Vero resistit, cedere nescia;
Et vertice obiecto Medusa
Caute animum, ingeniumq; mutat.
Fraudis scientes eximit, eximit

Cœtu piorum Relligio integra,
Iugoque diductos Quirini
Reiicit exilio pudendo;
Nimis timendo carmine & asperis
Quandoque Diris intonuit Pater
Termaximus, nigramque tadam
Pratulit in Styga deuouentem;
Formidolosi fulminis Vrbs potens
Odit rebelles, & malè perfidos
Arcet; nec est dignata mensa,
Alloquio neque, te magistro,
Caluine, abuti dedocet, vnicè
Ius Vaticano nobile Flamini,
Sacrasque vittas deferens, &
Tergeminum, propriumque honorem.

ADVERSVS CALVINVM.

Carpit eius amentiam.

O D E XI. *epod. 2.*

INsanit, & tumente anhelat spiritu,
Manes vt olim, aut Eutyches;
Nec deuouentem Tanaro Romam timet,
Non intonata commouent
Dira minando, nigra nec funalia,
Paratus & viuo rogus,
Vt exercranda probra cœlo coniicit.
Sequuntur errantes greges
Rudem viarum & inscium veri ducem
Inhospitali semita.

Aut dicta castu amputat vafer libris,
Aut inserit turpis noua;
Nothosque sensus promit interpres, velut
Admissus arcanis Dei.
Sententiis sed obstrepit dementibus
Deo loquenti. nil mouet
Cortina Vatum, decipit vulgus rude,
Et cæca tendit retia.
Vt gaudet aras prorutas cernens solo,
Et fana flamma fumida?
Certans Sabino, & Sergio certans sacro,
Afroque Donato prior.

ADVERSVS CALVINVM.

Christo morienti obtrectantem, quasi de spe deiecto.

ODE XII. *epod.1.*

QVid ô cruento stipiti affixum Deum
Et tu probris exulceras?
Magnumq; Numen, atque diuinum caput
(Prô barbara execratio)
Orco profundo deuoues reum Stygis,
Flammis Auerni torridum?
Neque hac probrosa vox olim Sabellio
Nec excidit Carpocrati.
Mortalis (heu negabis hoc durus Geta)
In alta mergit Tartara
Mundi parentem, interque Manes horridos
Ligat catenatum, ac trahit,

Furórne cæcus eripit mentem? acrior
Megæra an vrget ignea
Tæda proteruum? cerno, cerno stamina
Clotho secantem; tunc memor
Opprobriorum contremas, nudus spei,
Pallore turpis luteo.
Sic est. Deo minatus impiè, rogum
Interminati supplicI
Plecteris ipse; senties sacrum tibi,
Quem tu cruorem proteris.

ADVERSVS BVCERVM.

Nomini eius malè ominato insultat.

ODE XIII.

CVi tauriformis cornua prælio
Procudis acri? quem petis impetu
Inominato? franget iram,
Cornuaque imperiosa franget
Romana virtus. illa ferocior
Vires Leonis contudit Armeni,
Mentesque Titanum superbas
Subruit, ingeniumque pugnax.
Vicisti & Vrsas Roma Libystidas,
Lupos & acres, oraque tigrium,
Vnguesque, Pœnos ac leones.
Et Getica catulos leana;
Tauro ruenti nunc age durior,
Et robore obluctare valentior;
Obnixa in aduersum recurre,

Sterne ferum, & cauea fatiga,
Insurge victrix. solliciti metus
Nunc abstineto Roma, dabit tibi
Infestus olim, mox superba
Cornua dilaceranda Taurus.

ADVERSVS BEZAM.

Illecebrosa eius carmina exagitat.

ODE XIV.

DVx inceste cupidinum,
Et demens opifex carminis improbi,
Quem lasciua licentià
Turpem sollicitus iussit amoribus,
Te soluit puer ignea
Tada, te pariter stulta proteruitas
Durauit Latio grauem.
Vnum, sed geminum prodigium, nocens
Molli carmine, saxaque
Vincens duritie, & mente adamantina.
Vatum in te veterum ruit
Cyprus tota; cales, queis malè feruidus
Flammis arsit Anacreon;
Arcus, & pharetram, & dicis amantium
Infelicia vulnera:
Irata nimium sic Polyhymnia,
Nec Phœbo auspice, Phocidos
Integros latices inficis, inficis.

ADVERSVS CAROLOSTADIVM.

Alludit ad nomen, eiq; illudit

ODE XV.

QVò te citatum proripis, impio
Prouecte cursu? non vt Olympius,
Pulchra legatur sorte puluis,
Laurea vel pugilem coronet.
Inauspicatus sed furor incitat
In templa Diuûm, meta licentia
Sed nulla turpi est constituta.
Curriculi, stadiique liber
Erras; furentem te stimulant mali
Ditis sorores; flagitiumque agunt
In omne; deiectum ire suadent
Fana, sacras violatum & aras.
Hic mentis orbus, hanc teris orbitam
Stultus proterui consilij; solo
Sed lubrico offendes, piorum
Quod liquido madpit cruore.

ADVERSVS OECOLAMPADIVM.

Furorem eius & audaciam insectatur.

ODE XVI.

QValis per altum flamma volubilis
Nimus recurrit, quam celer Africus
Irritat

Irritat acrem, talis Oeco-
Lampadij furor impotentis
Per fana fertur, cuncta ruens, regum
Minatus Vrbi, incendiaque impia.
Certat Prometheo, dignus, ales
Cui rigido iecur vngue carpat
Vltro recrescens. tela Cyclopea
Hic conflat ignis, noxiaque ædibus
Tormenta sacris; sulphurato
Puluere ceu grauidus caminus
In Martis vsus aptus, & horrida
Bellona, vt auras impulit, ignea
Sodalis Ætna, perque rupit
Mœnia glande tonante, & arces,
Quis ô triformem Bellerophon ferox
Acri Chimæram vulnere perdomet
Elatus alis Pegasæis?
Ignea quis petat ora telo?
Illum piorum probra Quiritium,
Flammaq; circum templa volatiles,
Iuuantq; detestata cœlo
Prælia, tergeminæque Romæ.
Caput Quirinus deuouet illius
Horrendus Orco rite nigrantibus
Tædis, & execrata damnat
Consilia, exagitatq; Diris.

ADVERSVS IOANNEM HVS.

Eius impia dicta execratur.

ODE XVII. *epod. 5.*

AT ô scelesto furcifer; quid impia
Roma parentis viscera

Ferro lacessis? tela quid mittis, velut
Acrem petiturus feram?
Quid non malorum texis? ô patiens diu
Astraea inulti criminis,
O surde probris improbis æther, adhuc
Quiescis auritus minus?
Nunc nunc coruscus igni, nubibus tona,
Iramque in vnum conÿice.
Ah ah sacras bipennibus duris fodit
Aras, & ædes subruit.
Statim sed illum dira detestatio
Non expianda deuouet,
Romana qua vis est profundi Tænari,
Potens & ardui poli,
Sic cum probrosa voce, & incesta Deum,
Matrem & petisti Virginem.
Caue, caue, nam Roma ritè fulmina
Parata mittit, ignei
Rogique damnat, contumacis Eutropi
Turpem sodalem, & Eunomi.

ADVERSVS HVGONEM.

Insanum eius furorem exagitat.

ODE XVIII. *epod. 15.*

HOc hoc scelestum & obligatum Manibus
Atrox iambis acribus premam caput.
Æquale numen non mouendum Filÿ,
Parenteque cultum, & ius paternum denegat.
Impunè vt vrbes ille mendaci dolo
Contaminatus perdat? aureum inquinet

Vt are tempus? duret vt ferro aspero?
Superba ductor ordinauit agmina,
Aduersa cælo, tela torsit impia
Peruncta felle viperino, Cerberi
Spumaq; turpi. non furore deuocat
Irata Roma, non verecundus pudor;
Nec mens relapsa, prisca & in pectus fides.
Hac vota sunt nefanda, Romam vertere,
Quam nec tyranni Ditis acer impetus
Prosternere, aut fratres Auernales valent.
Insistet Vrbis pulueri victor? feræ
Graues ruinas occupabunt adium,
Et ossa Diuûm dissipabit impius?
Furoris heu deuoti, & impotentiæ
Hostis, pologq; abominatus arduo
It, it reuoluere alta flamma Pergama,
Imaginesq; Cælitum proscindere.
Quirine vindex, quid moraris? ardeat
Infamis hostis ardeat, donec cinis
Arens feratur actus insanus Notis.
Vix expiare posit incestum scelus
Sicana flamma, vix & ars Cyclopea.
Non soluet illum Mulciber dementia,
Sic obseratis auribus Roma minas
Temnit satelles liberi Cupidinis,
Vt surda Mauro tunditur cautes salo.
Lenire pectus asperum frustra pares,
Mollire frustra. Gorgonis vultu riget.
Illum capillos implicata turpibus
Hydris adurit, fumidam Alecto facem
Tendens furenti, torto adurit verbere,
Vrgetq; sæua, demouens mentem loco,

Diiudicantis sacra iura Curiæ,
Formidolosa temnit & subsellia
Patrum, seuera damna fleturum caput.

In Patres nonnullos Societatis Iesu ab Hæreticis interfectos.

IN EDMVNDVM CAMPIANVM.

Eius eloquentiam & in morte constantiam laudat.

ODE I.

DIserte linguæ cultor, & artium
Consulte Rhetor Mercurialium,
Edmunde, tutor Vaticani
Imperii, dominæque Romæ.
Ferox acuto Marte lacessere,
Et ingeni hostem frangere viribus;
Nec afferunt virtuti acerba
Damna metum, rigidumque ferrum.
Nequicquam inani Curia perstrepit
Fragore; fractus non secus Adriæ
Obiecta cautes fluctibus stat,
Nec vacuas metuit procellas.
Damnate quamquam cadis, & horridæ
Pœnæ, haud refixo damna tuebere
Obtutu, amici ius Quirini
Impatiens sine honore temni.
Diuûm theatro ter crepuit polus
Plausum, ter orbis; dum bene dimicas

Spe-

Spectandus hosti, quantus acri
Ingenio immineas, lacertis
Et quantus insurgas, sapientia
Munitus armis, ceu quatit arduas
Fulmen trisulum arces, corusca
Pleiade dilacerante nubes.

IN EDMVNDVM.

Equuleo frustra torquetur.

ODE II.

FRustra laborat vis inimicior
Stantem columnam vertere, sontium
Pœnis adurgens, & seuera
Fata minans tibi, Vaticana
Vt iura temnas; qui generosior
Luctatus aris pro Latij caput
Ac deuouens vltro, nec arma
Sæua times, neque mortis vllum
Gradum retractas. humida nubila
Serenus inter; ferre necem grauem
Neruos fatigantem, inq; sæuis
Suppliciis equitare fortis
Frenas dolorem haud indocilis tui
Auriga cœli. sic capitolio
Inuectus altè dux reportas
Haud vacuum spoliis triumphum.
Te crudus hostis, te stupuit frequens
Senatus, hæsit lictor atrox stupens
Nil te pauentem dura pœna

Horribilis mala, dira cædis.

IN EDMVNDVM.

Elisabethæ impiæ minas temnit.

ODE III.

EDmunde, pugna strenuus ardua
Defendere Vrbi probra, cruoribus
Vnctas secures sponte temnis,
Iudiciiq; minas & iras
Subselliorum, damnaq; Curiæ,
Vitæ, cruenta seu necis, arbitra.
Seuera nil consulta pectus
Concutiunt, animumque atrocem.
Pugnas sub acri marte, periculi
Plenoq; vt amenti sapientia
Obsistis eluctate, nomen
Purpureoq; sacras triumpho.
Heu mente quantum parturit impia
Regina fraudis, quam furit impotens
Euertere aras, atque flamma
Proruere, atque ligone fana,
Virtute seu tu viuide martia,
Siue expedito nobilis ingenI
Telo, proteruum frangis hostem,
Ipse tua nece victor heros,
Eoa quarat littora plurimus
Loiolæ alumnus, regnaq; Memnonis;
Te nota percussit Britanni
Ora, salus patriaq; gentis,

Virtutis amplus scilicet hic manet
Campus, theatrum laudis & assonans.
Laurum triumphalem cruore
Sparge tuo, religans virentem,
Frontiq; adaptans. tempus erit potens
Cum Roma dignis mactet honoribus,
Et templa qua tutatus, atque
Thuricremas tibi sacret aras.

IN HENRICVM GARNETAM
ab Hæreticis interfectum.

Immortaliter victurum dicit.

ODE IV.

AT non pudenda cessit inertia
Infracta virtus, agmen vt aspicis
Plutonium aru, & caducis
(Prô scelus) incubuisse templis.
Seuera soluit lingua silentium,
Telumque vibrans exacuit Fides
Potentius telo trisulco
Fulminis, igniferaq; glande.
Pulchrè cadentem tempore deteri
Obliuioso prouida non sinit
Virtus; canora te tubaq;
Vsque dedit celebrare Famæ.
Inter secures & gladios genas
Latas ferebas, oraque mitia,
Horrenda quamuis illa Diti
Ora, supercilio feroci.

Quis

Quis apta forma finibus vltimis
Pigmenta quærat? nobilis artifex
Amor Ducis spirantis ora
Dulce notans animet cruore?
His quippe sollers ille coloribus
Heroas Vrbis ponere martiæ,
Sic spiritu per lethum, acerbam
Perque necem veniente vita.

IN DOMINICVM COLLINVM ab Hæreticis interfectum.

De eius inconcussa fide.

ODE V.

ROmana virtus quem semel excitat,
Non ille ferrum palleat asperum
Deuotus aris, ceu securim
Ritè tener vitulus cruentat.
Humana temnens cuncta, per arduum
It mente, splendens purpura Curiæ
Non ægra perstringit tuentis
Lumina, non hebetabit auri
Fulgor, vel argenti nitor, ætheris
Spectare suetum patria sidera.
Edura franget, vincet asper
Lævia, blanda mouebit atrox:
Non sumptuoso munere subruet
Tyrannus, aulam pollicitus; neque
Mollibit auersum fauoris
Illecebra, tumidique honoris.

Demissa quamuis à Borea tenet
Procella turbans, expediet metu
Pectus, nefas cui signa Roma
Deserere, aut pretium est perire.
Hamata squamis atque adamantina
Lorica munit; sic sibi creditum
Virtus vt instruxit, nec ora
Iudicis extimuit nec iras,
Promptumque longa supplicium nece
Lusit, nocentum damna bipennium,
Et cuspides lusit micantes,
Et rigida noua monstra pœnæ.

IN THOMAM GARNETAM Ab Hæreticis interfectum.

Eius animi magnitudo laudatur.

ODE VI.

NVnc martialem concine barbite
Heroa, fortem temnere supplicij
Acerbioris damna, fortem
Ius Latij, decus ac tueri.
Stat præparatum pectus in arduis
Vtcumque rebus, siue Britannicum
Mare imbuat pulchro cruore,
Siue sola interioris Indi.
Mirum seueris quod fuit arbitris
Pœna, vt recenti robore pro sacris
Pugnaret aris, proque fanis
Non sine laude animosus heros,

Victor resistit, victor & occidit,
Seu pertinaci Marte Melanchthona
Fatigat, arcet seu fugacem
Mennona, præcipitemque Bezeam.
Non ora crudi Iudicis horruit,
Lati piorum sanguine Iudicis;
Deuotus ensis nec pauentem
Terruit, & grauior videri
Lictor securi promptus ahenea,
Et exsolutis fascibus obuius
It pectore aduerso, minorem
Vel capitis metat ille ferro.
Mens firma, & alti consilij tenax
Virtute nitens robore stat suo;
Sed prouehit robur Tonantis
Strenua vis, neque gnara vinci.
Quandoque patrona illa tuebitur
Clientem, & acri militia instruet,
Eludet iras barbarorum
Per media inuiolatus arma.
Vis illa pectus roborat, horridis
In rebus atrox; scimus vt integræ
Quondam puellæ flammam, acutum
Et chalybem tulerint feroces.
Frustra Tyrannus vulnera destinet
Virgis timendus, siue securibus,
Vrbesque nutu latè & ampla
Regna supercilio coërcens.
Sed quid Nerones, ac Decij furor,
Aut quid Valentis sollicitent minæ
Thorace munitum trilici,
Quem q; Fides adamante cinxit?

Supernè promptam cernit adoream,
Interque pœnas, sæuaque vulnera
Mercede se solatus olim
Diuite, decipitur dolorum.
Garneta pugnax hac ope restitit
Contra minacis spicula Curiæ
Inter tumultus impiorum
Nunquam animum positurus acrem.

IN ROGERIVM FILOCIVM ab Hæreticis interfectum.

Studium tuendæ religionis commẽdat.

ODE VII.

IVratus Heros iura Quiritium
Audet tueri cæde sub aspera;
Lacessit hostem dissidentem
Romuleis benè tectus armis,
Virtute præsens, ac trepidis ferox
In rebus. illum Relligio haud rudem
Pugnæ coruscos inter enses,
Et medias iubet ire cædes
Impune. templis pro patriis mori,
Arisq; sacris, est decus, & satis
Lucri est: cruoris largus vltro
Magna anima haud timidè pepercit.
Dum Roma celsum sideribus caput
Regina dignis tollat honoribus
Ignara fœdi, sordiumq;,
Dulcè necem fuerit pacisci,

Vitam

Vetabit, Hugo quem malus incitat,
Lutherve demens, inquinet integrum
Sententiæ, purumque labus;
Et meritu agitabit iris
Falsi magistros, ardua sic poli
Fides recludit sponte cadentibus,
Nec deprimit casu, sed altè
Per liquidas agit ales auras,

IN FRANCISCVM POGIVM ab Hæreticis necatum.

Franc. Xau. exemplo periculis infractum dicit.

ODE XIII.

NEglecta Roma, haud opprobrium leue,
Quiduis suadet ferre vel ardui,
Seu mittat vltra Gangem, & Indum,
Seu rigidos agat in Triones.
Eradet ipso quo cadit æneo
Mucrone turpes stultitiæ notas;
Cruore vel delebit ipso
Fœda malus elementa chartis,
Hoc actus igni legifer Indiæ
Franciscus vrbes Memnonis appulit,
Delubra deiecturus alta
Ditis, & inuidiosa signa,
Fines reuellens Oceani vltimos,
Vltraque tendens per sola deuia,
Auarus orbis, non auarus
Sanguinis, intrepidaque vitæ;

Triformis vni terra recluditur,
Vt incitatum Numine viuido
Heroa tempestiua virtus
Mittit agens, pelagoque credit;
Vt vox procellas increpuit potens
Ingrata ventis non semel otia
Indixit, & sauos per æstus
Compositi siluere fluctus.
Hac vt Quirini iura tuebitur
Britannus heros; seque senatui
Tumultuoso mente firma
Offeret impauidoque vultu;
Procudat enses, telaque Mulciber,
Ceruice ferrum tingere barbarum
Prægestit, inscribens trophæum
Nobile purpureo cruore.

IN ALEXANDRVM BRIANTVM ab Hæreticis interfectum.

Firmum eius propositum laudat.

ODE IX.

ET te ferocem puluere bellico
Mirata, fastu Roma recenseat
Aras tuentem Vaticanas,
Signaq; non temeranda Diuûm.
Vis nulla firmum propositi Ducem
Infregit, inter sæua tot agmina
Ditis frementis spicula inter,
Vulneraq; horribilesque cædes,

Dæ-

Deliberatis acrior emicas
Pœnis paratus fata lacessere.
Est ille fortis cui licebit
Dicere: Romulidum tuebor
Ritusque, & aras, vel latus occupet
Vulcanus igni, me vel acutior
Ceruicibus sectis securis
Deminuat, laceret vel artus
Formidolosis vulnere scorpius,
Non peierabo fœderis irriti
Reus, fidem nec diffitebor,
Quam semel institui fateri.
Integra Romæ iura, pueritia
Ab vsque prima, condidici, manent
Immota per cœli tonantis
Fulmina, per pelagi tumultus.

IN THOMAM COTTAMVM
ab Hæreticis interfectum.

Pro vera religione se deuouentem
facit.

ODE X.

O Macte miles non superabili
Virtute, robur concipe martium,
Insurge in hostem, non ferendis
Fana diu violauit ausis
Lutherus; audax omne animo nefas
Mouere, & omnis nequitiæ sciens,
Demissus Orco: sed Quirini
Ritè manu, iaculoque acuto.

Infecta monstro scilicet horruit,
Tantaque tellus ingemuit lue,
Incestat vt pollutus vrbes
Fraude mala, maculaque turpis.
Hoc hoc saluti prouidus vnicè
Dolebat Heros, prodigium execrans
Immane fœdum, sordidique
Ingenij monumenta damnans:
O signa dixit vilè iacentiâ,
Deiectæ & aræ spretaque Numina.
O mœsta templorum ruinis
Relligio, immeritisque probris.
Certans Britannûm gloria sideri
Hac labe turpis, dedecorum hac nota
Lutheride vt sit? prô parentum
Relligio vetus, atque nunquam
Periura voti, mobilis aut Fides.
Oblita cultus patria pristini,
Oblita auorum, dura Roma,
Dura patri Latio resistet?
Tingam secures protinus, & caput
Ferro resectum deuoueo libens,
Quæ iam pararit tela lictor
Nouimus, & quibus instet armis.
Vltro peribo, vulnere sic iuuat,
Ac cæde pulchra vixe perennius?
Hoc marte Luther proteratur
Victor, hac superetur arte.
Tali virilis mente lacessiit
Hostem, labanti haud consilio leuis,
Trahente par virtute robur,
Vimque animi veniens in auum,

IN XXXIX. SOCIOS
ab Hæreticis necatos.

Ad felicitatis portum appulisse dicit.

ODE XI.

Sinistra, an exis alite dextera
Soluta nauis littore? nobiles
Heroas adducens, & Argo
Altera, sed potiore cura;
Caue ah! furentes aspicis, aspicis
Hostes piorum; remigio leni
Centaurus armis fœta fertur,
Atque neci insidiata Pistris.
Non sic Charybdis vasta volubili
Plerumque puppes gurgite surpuit,
Non fabuloso Scylla latratu
Horrida, non agitata Syrtis.
Formidolosum nauta Capharea
Non horret æquè; aut alta Ceraunia.
It decoloratus cruore
Purpureo Sociûm immerentum
Nereus; vt ensis pectora barbarus
Hausit, rubescunt Oceanitides,
Duraq; cautes, atque nostrûm
Omnis inhorruit vnda cade.
Beata multa merce, cadentium
Cruore diues nauis, & vnicè
Illustris, astris quam remissam

IN IGNATIVM AZEBEDVM
ab Hæreticis necatum.

Generosæ mentis consilium laudat

ODE XII.

O Ductor heros agminis impigri
Vicisse Nerei longa pericula,
Prædonum & iras, nil dolosum
Oceanum, horribilesq; phocas
Tremiscu, & quos parturit impiis
Horrenda monstru terra, Zuinglios,
Bezasq; Seruetosque pronos
Voluere templa superba Diuûm.
Iurate custos alta tuebere
Vrbis terampla pergama; sorbeat
Vel vnda, mordacive ferro
Icta cadat sine lege ceruix.
Vigor cadenti spirat adhuc, vigor
Temnens secures, telaque barbara,
Et militis commissus acris
Intrepidæ fidei renidet
Honos Quirini. sic vetat emori
Alumna virtus, eripit, eripit
Lethe; nec vnquam muta magis
Obstiterit meritis vetustas.

AD FERDINANDVM III. AV. TR. IMP. Hæresum depulsorem.

Quanto veræ religioni præsidio sit ostenditur.

ODE I.

Magistra Veri Roma patentibus
Dat iura terris, cunctaq; temperat;
Seu Tænari vectes refregit,
Seu Borea velut icta cautes
Tumultuosi non timet Adriæ
Motus, nec insani freta Bospori,
Non inquietæ vim procellæ,
Imperium tumidique Nerei.
Secura damni, ne furor vrgeat
Proclinis aras, signaque conterat,
Vertatque templorum superba
Culmina præcipiti ruina.
Hæc fausta nobis scilicet otia,
Hæc sæcla fortes Austriadæ aurea
Habere dant, sic, Roma, honore
Ritè nites, veterique cultu.
Ceruice curua iam domitus iugum
Trahit Melanchthon, & famulus trahit
Seruetus, & cursu repressa
Vis Carolostadij tenetur.
Sic gratulata protinus hostium
Victrice Roma fregimus agmina,
Ditis furorem haud auspicatum
Fregimus: imperiique robur.

Fatalis

Fatalis orbi pone superbiam
Luther, seueras expetit, expetit
Astræa pœnas; fœda fundes
Viscera cum sanie cruenta,
Sic expiatis sordibus occidat
Contaminati dux gregis, & mihi,
Patrique damnatum Quirino
Cum Sociis Nemesis fatiget
Vltura probrum; Romulidum fidem
Periurus ex quo fregit, & impia
Famosus hostis bella mouit,
Armaq; seditione ducta.
At nunc quieti fœdera Pannones
Iungunt; & hostis perfidus abstinet
Amentiæ; & mitem redonat
Austriadum mihi Mars Bohemum.
Sic Bactra tendo nomen in vltima
Illustris, orbis perdomiti potens.
Hostis triumphatiq; semper
Laude recens, meliorq; Amazon.
Sed contumaces horrida perfugas
Hac lege fræno, ne sociabili
Piis remisti fœdere, atrum
Porrigere instituant venenum.
Cœno renatus ter ferus irruat
Luther, ter aprum sed Calydonium
Venabitur cum laude Cæsar
Mille mihi iaculis refossum.

AD FERDINANDVM IMPER.

Opportune eum religioni donatum dicit.

ODE II.

O Dux canori carminis, aurea
Qui plectra tangis, nunc age Delie,
Fer acer arcum, fer pharetram,
Prome mihi ter acuta tela.
Cui prima tendes vulnera? quem premes
Pythona? fundentem horrida sibila
Vibrante lingua, mille curuatum
Orbibus. ac tumidum veneno?
Caluinus orbem seditionibus,
Cæcisq; Luther motibus occupat,
Vterque formidatus Vrbi,
In Superos iaculator audax.
Laxis habenis prona licentia,
Decurrit in præceps; & amoribus
Ardescit incestis iuuentas
Ægra cupidinea sagitta.
Damnosa cui non sæuiit Eumenis,
Acerba castis? quis fidei tenax
Tortoris euasit cruentas
Cæde manus, chalybemq; durum?
Atrox Enyo sanguine plurimo
Infecit æquor. propulit impia
Heroas, obiecitque monstris
Turpibus, indomitisque Phocis.
Sed mitte, Clio vulnera; Cæsari

Gratare magno; rettulit hic decus,
Cultumque sacrorum, & vetustis
Restituit simulacra templis.

AD FERDINANDVM IMPER.

Ad hæreses debellandos currentem incitat.

ODE III.

ADes querelis principis vrbium,
Romane Cæsar: protinus emicat
Coruscus armis, totus armis
Asper in impia castra Ditis.
Defende templis excidium graue,
Defende & aris; collige, collige
Sacrum piorum puluerem, & flens
Ablue non humilem fauillam.
Nunc, nunc ferocem te iuuet aneus
Thorax & acer vultus in improbum
Hostem, vocari dignus Vrbis
Vltor eris. refer ô supernè
Ducem volucrem nobilis agminis;
Qualis per auras ille volubiles
Nigro subegit carcere olim
Cum socijs Erebi tyrannum.
Compesce bellis indomitum genus,
Sternens superbos; ne furor vrgeat
Praceps, in ararum & ruinas
Mittat, in exitiumque Roma.
Mutare mentes lenibus asperas,
Mollire duras tu potis vnicè,

Vel Marte concussos tonante
Frangere, vel sociare cultu.
Auctore tanto dicta procacia
Tandem recantent. pone silentium
Probris; voraci siue flamma,
Seu rigido libet vngue ruptis
Sæuire chartis. scripta iacent, iacent
Sepulta nigro puluere. fabulæ
Lutherides, nugæque inanes,
Tisiphone sceleris magistra.
Sic astra tanges vertice lucido,
Fama volucri vectus in ardua;
Sic regna regnis addere, vrbes
Vrbibus armipotens videdes.

AD FERDINANDVM IMPER.

Religionem eius patrocinio solatur:

ODE IV.

NVnc desine omnis Relligio metus,
Curæque, puram lætior explica
Frontem, ligones semper atris
Ne metuas, rapidamve flammam
Impunè templis. impulit, impulit
Lutherum Auerno vis noua Cæsaris
Amica Romæ: nec proterua
Mente furit, sociosve cogit
Contaminatos; turbinis ignei
Ritu sueti corripere ardua
Querceta, siluam cum comantem

Mulciber imperiosus hausit.
I martiali freta ferocia,
Regina, durum frangere Saxona.
Sol quicquid edit, quicquid abdit,
Diua, tuum est; capesce sceptra dextra.
Secura, Luther quid malus audeat,
Quid moliatur perfidus inclyta
Caluinus Vrbi; quid minetur
Beza ferus nec amicus artis
Seruetus. vltrix Austridiadum domus
Domat procacem siue Melanchthona,
Seu te sacra arrodentem acuto.
Muscule, dente, nocens vel Hugo.
Iam criminosa frena licentiæ
Iniecta tandem; seque domabilem
Lutherus Alecto fatetur,
Cæsareis opibusque fractam.

AD FERDINANDVM IMPER.

Triumphum describit de hæresi debellata.

ODE V.

AVguste, Manes acer in impios
Turba, a terres regna Proserpinæ,
Superba centum dans catenis
Monstra, Melanchthoniasq; laruas,
Chimæram & Oecolampadij igneam,
Sthyngemq; Caluini atque Lutheridem
Strigem, atque Bezanam Celano,
Horribi-

Horribilemque trahens ZinglI
Empusam ahena compede Erinnyas
Trahens sorores, quæ tibi Gorgonum
Posthac resistet? sæua tendens
Viperei capitis colubros,
Tedaq; nigra tangere Theutonum
Conata fines. quis veterem audeat
Gygemq; terris, & renata
Geryonum reuocare monstra?
Sopore longo quis Vigilantium
Malè excitabit? quis neget impium
Cerdona, & infestum Sabinum,
Auspice te, potuisse vinci?
Manantem & atro Nestora perfidum
Veneno, & insanum mareotico
Maneta, & infamem suorum
Naufragio PelagI Charybdim;
Cùm tu nocentes reliquias ferox,
Pugnante cælo, viceris, vnicè
O terror atri Ditis, Orci
O domitor, Latiiq; vindex!

AD PHILIPPVM IV. HISP. REGEM Hæresum depulsorem De bello Belgico, & sacris Quæsitoribus.

ODE VI.

PHilippe, clari sceptriger Hesperi,
Interminati rector & imperI,
Cui regna longè barbarorum,
Oceani quoque belluosi

Subiecit amplos Relligio sinus,
Discreta ponto littora feruido;
Ter vt verendum Numen alter
Disceret orbis ab vrbe Roma.
Te turpis horret vulgus, & EunomI,
Arīq; viles relliquiæ tremunt,
Quicumque Belgarum Quirino
Bella mouet Latioq; sacro.
Distringe ferrum Ditis in improbi
Examen, ararum excidio incubans;
Timenda delubris caducis
Arma inhibe domiturus armis.
Tantum probrorum? dedecorum feres
Tantum? sacrarum scilicet arcium
Superba fatali ruina
Tisiphone Latiiq; damnis
Lutherus erret? prisca reuellere
Signa, & tabellas ausa refringere,
Vnguiq; sacratas proteruo
Effigies lacerare Diuûm
Vnde inquinatas Beza coercuit
Manus, Menandro parq; Sabellio?
Quas ille non deiecit aras?
Fana quot in cinerem soluta
Testantur iram incendiaq; impia?
Quis heu ruentum non sonitum audiit?
Vestalis aut cuius pudori
Cæcus amor Paphiæ pepercit?
Pro magna Romæ numina: pro; sacra
Tangendā nulli, quis furor opprimit?
Luthere, ritus Vrbis omnes
Sustuleras, nisi te furentem

Sincera cultus Austriadum fides,
Et cura magni prouida Flaminis
Franasset armis sine flamma,
Horribilisq; foro seuera.
Sic ritè Iudex atterit, atterit
Infame monstrum. sedulus excutis
Quaesitor astus, inq; flammas,
Inq; necis redigit timores.
Mactatur Orco victima lurido
Ceruice luctans, nec patiens iugi,
Et gestiens latè per agros
Ludere liberiore saltu.

AD PHILIPPVM REGEM.

Lutherum ab ipso domitum dicit.

ODE VII.

IMpie fare Luther
Antea praeceps vbi nunc vis animi impotentis
Inuidiosa Roma?
Cur vt olim non violens deproperas &
Vertere & alta Diuûm (aras
Tecta? cur sacras tabulas tangere nunc
Quid resides inaudax? (vereris?
Sic iners, inglorius, vt saucius anguis acri
Vulnere pressus, iras
Cur nec attollis tumidus? post metuenda
Sibila, post probrosa (lingua
Dicta langues? tene furor proripiebat amēs

In pia templa & aras?
Nempe fregerunt generosi Austriadæ furo-
Turpè iace resecta (rem.
Hydra, limosamq; tene pro tumulo palu-
Obruet alter igni, (dem,
Claua & Alcides domitor te grauiore fran-
(get.

AD PHILIPPVM REGEM.

De hæreticorum audacia ab ipso frenata.

ODE VIII.

INsana mentem cui quatit impio
Furere Enyo, mox auidus rogus
Paratur. escam debet ille
Mulcibero; neque acerbus ibit
Impunè Romæ principis auream
Scindens coronam, purpureum decus
Fœdansque, qui claues Olympi,
Atque Erebi teneat profundi
Neglector. aras ille ligonibus
Incessus, Vrbem destinat ignibus
Cremandus igni; fana Diuûm
Deuouet, & simulacra Diris.
Scriptis in vsum consilij sacris
Pugnare libris haud timet; integra
Oracla, cortinamq; Romæ
Insequitur, maculatq; puram.
Diffingere ausus verba loquentium

Arcana Vatum nil fuit arduum
Luthero.inerti prorsus Vrbem
Prouocat ingenio magistram,
Intelligi cui lubrica Pythia
Cessit sacerdos,ac dubius tripus,
Vocalis & Dodona quercus
Fatidica,& volucri Diones.
Intaminatum sordibus vnicè
Tuere cultum. candida Veritas
Nunc regnet,& bellante frustra
Fraude prior,duce te,triumphet.
Defende sacris Vatibus impios
Mendacis astus, sensaq; Mercurî,
Chartas verecundasq; Patrum
Labe,nota prohibeq; turpi.
Belgam venenis solue nocentibus,
Philippe; falsa, nam potes,expedi
Mentes Chimæra,Vaticanæ
Prosit honos,decus atque sedis.
Sententiarum tolle procacium
Duces,& acri supplicio reos
Doma,erubescendum remittant
Consilium,abstineant & iræ.

AD PHIPIPPVM REGEM.

Hęreſeon vltor acerrimus laudatur.

ODE IX.

Qvos nunc gigantes Roma vercbitur
Cœlo timendos?occidit,occidit

Vis omnis, & fulmen trisulcum
Incubuit cineri nefasto.
Vtcumque flammis tu bonus expias,
Philippe, sontes, scriptaq; desecas,
Mutari & incestis Lutheri
Casta iubes monumenta Patrum.
Hac cura Regem te coquit, hæc sacrat,
Philippe, cœlo, non Tagus aurifer,
Non sceptra, baccataq; frontis
Fascia, purpureiq; cultus.
O chare Diuis, regna tuentium
Tueris aras, templaq;, & integra
Cum mente subdis, nec rebelle
Imperium sinis esse Romæ.
Quis Vaticani Flaminis infulis
Te Rege ludat, signaq; deserat?
Hara quis ex Lutheri in aras
Vt ruet, aut minimum timebit
Labem nitori spargere candido
Matris pudicæ? quis neget inuidum
Ardere Ditem, te proteruos
Iudiciis agitante certis?
Hunc, hunc Melanchthon perfuga Iudicem
Bezesq; demens, & metuit reus
Seruetus, acri terga flagro
Cui Nemesis secat, ac perurit
Nimis doloso Romuleum pati
Iugum, fateri dum dominam abnegat,
Vrbemq; mutata lacessit
Mente, tumens odiis iniquis;
Seu signa Diuûm sub pede ponere
Iniurioso, frangere seu thronum

Mina-

Minatur, æternæq; Romæ
Imperium, violentus aris.

AD PHILIPPVM REGEM.

Belgij maximè circa religionem cura laudatur.

ODE X.

QVid vsque Romæ sacra licentius
Illudit hostis? Roma diu probris
Vexata damnosis laborat,
Thure simul viduantur aræ.
Augusta fundo pergama vertere,
Et fana flammis fumida destinat,
Nec ira decedit, furorq;.
Supplicijs domitus, metuq;
Dirarum & atri fulminis, ardua
Quod Roma vindex torquet in impios,
Vt pertinaci mente miscent
Difficiles Latio tumultus.
At non Philippus probra feres, tenax
Veriq; cultus, & Fidei integer
Te præter, vmbris quis renatas
Eumenides patrijs recondat?
Quis monstra Ditis turpia conterat
Vltrice claua dignior Hercules?
Quis ignei restinguat Oeco-
Lampadij rapidum furorem?
Caluiniani verticis asperos
Quis franget angues? horrida cui cadet

Excetra Lutheru resecta,
Deq; tumens capitum veneno?
Quam pœnè toto pallida Belgio
Megara fugit? cumq; sororibus
Alecto, & agmen fugit omne
Vipereum metuens Philippi.
Vt, vt Melanchthon perfidus horruit
Romæ tribunal, iuraq; Curiæ
Sagacis? aut damnatur alta
Turpè pyra simulacrum, & igni,
Aut viuus ardet; nec magico iuuat
Susurro, & Orci carmine decipi
Pœnarum; Auernæ stagna Lethes
Sparserit, aut Stygiam paludem;
Non ars gementi Thessalus afferet
Opem medendo nigra ve pocula;
Et Colchicis desecta campis,
Profuerit minus herba flammis.
Artus nocentes illacrymabilis
Vulcanus haurit; nec cineri impio
Cyclops inexoratus vili
Parcere amat, stimulatque pœnam.
His te ferocem fama laboribus
Clara loquetur postgenitis tuba;
Prosternere hos cura leones,
Hos Erymanthi agitabis apros.
His actus in prælia tamdiu,
Philippe, sumptus immemor, instruis;
Hic te resorbet mentis æstus
Belgica in arma pium. sororem
Hoc iunge voto nunc, age, Cæsari
Formidolosam Manibus impijs.

Lu-

Lutheri; inerti cruda Diti
Illa ruet tennans superbum.
Candore pulchram purpureus pudor
Distinguit;impar Delia subrubet
Mari renidens noctiluca,
Hesperium iubar ardet impar;
Hanc siderum quando Vranie inserat
Choro,tuenti sit dubium decus,
An Pleiadum splendescat vna,
Anne Helice,an Cynosura ductrix?

AD LVDOVICVM XIII. GALLIÆ REG. Hęresum depulsorem.

Gratulatur de perfidia debellata.

ODE XI.

O *Digne pulchra laudis adorea,*
Victrice lauro iam caput impedi;
Te fama subscribet columnis,
Te statuis Latij patronum,
Titanas acri fundere pralio
Audentem,& hydra turpe recidere
Caput.recenti ô laude notus,
Postgenitis quoque clarus olim.
Te Rege flammas tendere desinent,
Ferrumq;. franas marte licentiam,
Intraq; prascriptum parentis
Romulei reuocas iubendo.
Rursum nocentem Roma Meletium,
Cherintum & aris contremuit grauem,

Et additum templis Nouatum,
Et veteres Pelagi furores.
Nunc Gallicani prælia principis
Cantabo, Auerno & monstra fugacia,
Bezenq;, Caluinumq; fractum,
Et Carolostadium repressum;
Terq; obligatum nodo adamantino
Hugonem, & agmen turpe sequentium
Dicam catenatumq; Lutherum,
Ac trepidum sine honore Ditem.

AD LVDOVICVM REGEM.

Formidolosum dicit religionis hostibus.

ODE XII.

REgnator ampli martius Imperi,
Potens & aras reddere dirutas,
Sacrorum & instrumenta templis,
Et patrii simulacra Diuis:
Periurus hostis te tremit impigrum
Frænare bello, Tisiphone tremit
Proterua, Caluinique nutrix
Vbere vipereo Megæra.
Te Victoria præcurrit, adoream
Gestans triumphalem, ac domitæ Stygis
Trabale signum; martialem
Ipsa Ducem Pietas tuetur.
Quandoq; gentis frangere perfidæ
Motus rebelles persequeris ferox,

Et cogis examen timendum
Manibus, atque Erebi tyranno.
Sat criminosæ turpè licentiæ
Datum; nefastus, sat sacra polluit
Seruetus, incestusq; Bezes
Ferre iugum Laij dolosus.
O multa terris sæuet Olympias
Armis fatigantem Eumenides graues,
Et vulgus infidum, fremente
Dite licet, noua bella questo.

AD LVDOVICVM REGEM.

De eius victoriis aduersus hæreticos.

ODE XIII.

INuicte Princeps, te columen suum,
Te magna dicit Roma decus nouis
Auctum triumphis & superba
Pergama concutientem acuto
Fragore belli, fulminaque ænea
Torquentem in hostes; te tua proripis
Virtus ferocem deflagrata
Fana per haud equitare passum
Impunè flammam, signaq; deripi.
Te cura Diuûm suscitat asperum
Vlcisci; & in bellum resorbet
Certa Fides, adamante pectus
Firmans; clientem damna per omnia
Fides tuetur; sic trepidi fugas
Ditis phalanges; sic Auerno

Atto-

Attoniti subiere Manes.
Te, te minantem palluit Eumenis
Lutheris, & vulgus Phlegethontium;
Canisq; latratu trifauci
Per medium exululauit antrum.
Non fana flammas, non metuent graues
Aræ ligones; non agitabitur
Romana probrosis iambis
Relligio, vt minuis furorem
Infractæ bello? pressa licentia
Nouas habenas sensit & horruit
Nupor domantem; nec per vrbes
Tisiphone volitabit audax.

AD LVDOVICVM REGEM.

Commendat religionis tuendæ ardens studium.

ODE XIV.

O Nectæ sertum Calliope Duci.
Nectæ ó merenti patria lilia,
Dic, alter Alcides laborans
Vicit, iô, noua monstra vicit.
Seu sauit Hugo, seu magè Numinis
Obliuio'us Beza; rigentium
Pestis Tritonum, seu Melanchthon
Perfidus, ingeny ac proterui
Tyrannus acer, tu trepida manes
Tutela Romæ, protinus impiger
Vexare sontes, & rebelles

Marte potens domitare & armis,
Notus timendi roboris impium in
Hostem, refringens duritiem ingenI,
Et spiritus fastu superbos
Deprimis, imminuisque robur.
Maurum leonem ceu lepus, Appulum
Lupumve fugit dama fugacior,
Sic acer vrges Ditis agmen;
Nec tumidis agitatur iris
Insana pubes, scilicet insequens
Ferroq; & igni sacra Quiritium,
Delubra coniurata, & aras
Vertere, præcipitemq; Romam.
Tu Marte vires opposito graues,
Tu robur audax debilitas, opem
Præbente cælo. nil inultum
Linquis in opprobrium Quirini.

AD LVDOVICVM REGEM.

Religionem eius tutelâ niti dicit.

ODE XV.

IAm *Roma tollat liberior caput,*
Et sorte dulci gestiat ebria;
Iam vota templis ritè reddat,
Thure sacris operata multo.
Tu das beato luderè in otio
Vrbem frementem lætitia, prius
Quæ sordibus mutauit ostrum,
Consenuit gemituq; longo.

Ebeu

Eheu ruinas audiit, audiit,
Casusq; delubrorum; Acherontiis
Iactata monstris, nunc sed hostes
Edomiti didicere tandem
Quid vera possit Relligio, duce
Sub Gallicano, prona relabitur
Iam mens retrorsum, & vela cursu
Polliciti meliora vertunt.
Insigne Romæ præsidium; vnicè
Tutor sacrorum, prouidus erige
Iniurioso quæ ligone
Templa solo cecidere, & aras.
Sic regna nullis seditionibus
Fortuna verset: sic caput inseras
Sublimis astris, teq; latè
Fama ferat populis loquendum.

AD SIGISMVNDVM POLONIÆ REG. Hæresum depulsorem.

Veræ religionis integritas commendatur.

ODE XVI.

DIc Musa Regem Sauromatum, Scythas
Belli procella fundere nobilem,
Caluinianos atq; Manes
Consiliis agitantem, & armis.
Nunc pulsa terris Erigone redit,
Iacens & olim Relligio exilit.
Non vsitato macte honore,

Macte animi pietate Princeps,
Franare mentes difficiles regi
Vis est, parenti subdere & optimo
Gentem rebellem, temperanti
Omnia ritè sacris habenis,
Vis est & aetas thuris honoribus
Mactare rursus, tectaq; Caelitum
Depasta flamma, impulsa ferro
Erigere, ac decorare signis.
Tu monstra damnas turpia tu grauem
Plutona regni finibus exigis;
Compellis Orco tu nocentes
Eumenides, acieq; ferri
Centum colubros vertice desecas.
Tu Vaticano cum Patre Brentium
Depraeliantem, tu renatum
Nestora persequeris timende
Extinxe bello. sis licet omnium
Amans & orbis deliciae, tamen
Vltore te, neglecta ferrum
Relligio haud sine laude cudit.

AD SIGISMVNDVM REGEM.

Religionem ab ipso decus accepturam dicit.

ODE XVII.

O Magne princeps puluere Thracio
Spectande, clari fulminis in modum,
Scindentis ingenti fragore

Nubila: sic agitas Scytharum
Turmas, nec unum sat decus, impium
Hostem sacrorum sed pius edomas,
Iubesque deferri Quirino
Obsequium, dominaeq; Romae.
Non moesta longo Relligio parens
Luctu iacebit sordibus obsita;
Post te nitebit maior hostis
Viribus, opprobriisq; maior.
Cultus honestos nobilis induet
Regina, priscum sumet & imperI
Insigne, vel vis tota Ditis,
Totaq; vis Acherontis obstet.
Leuis iuuenta sic Iouis aliger
Pennas recentes tollit in arduum
Sub vere primo perq; vadit
Æthera liberior relabi.
Sub bellicoso Rege Melanchthonis
Irae resident, atque Zuinglij
Furor probrosas nam silere
Ille minas Latio iubebit.
Quisquis proterua fronte minabitur
Infestus aris, Sauromatûm potens
Hunc franget armis, marte franget,
Inferias referetque turpi
Luthero; vt illum vis animi citat
Non templa Bezes ardua subruet;
Non quis sodales Hugo Ron
Per nocuos inimicat astus.

AD SIGISMVNDVM REGEM.

Victoriis nobilem laudat.

ODE XVIII.

QVis te tuentem fanaq; patria
Arasque, vates Mæonius canat,
Sacretq;, Sigismunde, Pindo,
Aonidum instituens choreas?
Te palma cœlo non semel euehit,
Direpta Luna signaq; Turcica,
Notus triumphaliq; campus
Milite, laurigeroq; curru.
Quin & sacratis legibus edomat
Titana luctantem, indocilis pati
Impunè magna damna Romæ,
Et solij probra Vaticani.
Appone pulchris hanc quoque laureis;
Hoc vince bellum; dum iuuat arduus
Olympus addens martialem
Vim, superis opibusq; firmans,
Permitte Diuis certior exitum
Pugnæ, feroci qui simul impetu
Prostrauerint hostem, haud probrosis
Ille minus agitabit Vrbem.
Vides vt aras impius eruat,
Ac templa Luther sordibus inquinet?
Oppressa damnis vt laboret
Relligio auxilium reposcens?
Quæ meta sistet vim Carolostadij?

Quis tollat Oecolampadio facem?
Funesta quæ per templa perq;
Sacrilegas equitat ruinas.
Nunc Vrbis almæ proditor, & Fide,
Regem tremiscat; nec Latij patrem
Lacessat audax pertinaci
Ludibrio pia iussa temnens.
Tu criminosis Hussiadûm modum
Impone dictis; seu calamo notas
Delere, Vulcano vorare
Turpia siue elementa tradas.
Diana Thracum sic tibi cornua
Frangenda dedat, signaq; deferat;
Sic regna detestata cælo
Comminuas, spoliis renidens,

LAVS DEO.



Cum facultate Superiorum.

